
SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ECCLESIAE
VE
RI
TAS

France

JUS
CANONICUM

JUXTA ORDINEM DECRETALIUM

IMPRIMATUR.

Sancti Deodati, die 10 octobris 1881.

† MARIA ALBERTUS,

Episc. Sancti Deodati.

Vesontione. — Ex typis Outhenin-Chalandre filiorum et soc.

JUS

CANONICUM

JUXTA ORDINEM DECRETALIUM

RECENTIORIBUS SEDIS APOSTOLICÆ DECRETIS

ET RECTÆ RATIONI IN OMNIBUS CONSONUM

AUCTORE E. GRANDCLAUDE

VICARIO GENERALI, DOCTORE IN SACRA THEOLOGIA ET IN JURE CANONICO

TOMUS TERTIUS

LIBRI DECRETALIUM QUARTUS ET QUINTUS



PARISIIS

APUD VICTOREM LECOFFRE, EDITOREM

Via dicta Bonaparte, 90

1883

JUS
CANONICUM
JUXTA ORDINEM DECRETALIUM

LIBER QUARTUS DECRETALIUM
DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

Nota 1°. Libro præcedenti explanatæ sunt causæ civiles ecclesiasticæ, a potiori clerum concernentes; in hoc examinandæ veniunt causæ matrimoniales, quæ licet propriæ sint laicorum, tamen judicibus ecclesiasticis et animarum curatoribus scitu sunt valde necessariæ. Cum vero matrimonium a Christo Domino venerabilibus sacramentis annumeratum sit, in eo contrahendo et judicando, non jura civilia, sed divina et canonica instituta servanda sunt.

Nota 2°. Hunc librum in quatuor partes Schmalzgrueber apte divisit; porro commentarium clariss. Maschat (1) in has qua-

(1) Remigius Maschat a S. Erasmo, natione Bohemus, religione clericus regularis, Scholarum piarum, natus est in oppido Patzoviensi, anno 1692, et vivere desiit Lipnicii in Moravia, 1747. Omnium virtutum studio conspicuus, theologiæ et juris canonici professor insignis, Maschat varia protulit opera philosophica, theologica et juridica, quæ nervosa brevitate miraque perspicuitate distinguuntur.

Inter hæc opera, eminet *Cursus juris canonici*, Znoymæ 1735 editus, et recentioribus Pontificum constitutionibus auctus ac variis correctionibus emendatus opere et cura Ubaldi Giraldi a S. Cajetano iterum typis mandatus fuit Ferrariæ, an. 1760, sub titulo *Institutionum canonicarum*. Ex hoc igitur commentario a Giraldo, Amort et aliis impense laudato, expositionem libri quarti Decretalium deprompsimus (ob rationes in *Monito* vol. I, p. VIII, relatas).

tuor partes digestum et variis animadversionibus auctum hic trademus. Igitur *prima* pars erit de ipso sponsalium et matrimonii contractu; *secunda* sponsalium et matrimonii impedimenta referet, quæ consensum ad hos contractus requisitum afficiunt; *tertia* expendet illa impedimenta quæ ipsos contrahentium personas respiciunt; tandem *quarta* tractabit de legitimarum nuptiarum effectu, harum dissolutione et de iis quæ divortium consequuntur. His partibus, quæ totam B. Raymundi compilationem complectuntur, tractatus de dispensationibus matrimonialibus additur, qui totum librum absolvet.

PRIMA PARS

DE CONTRACTU SPONSALIUM ET MATRIMONII

TITULUS PRIMUS.

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIIS.

Præsens rubrica duas habet partes : alteram de sponsalibus stricte sumptis, prout ordinantur ad matrimonium; alteteram de ipso matrimonio : neque tamen rubrica ista adæquat nigrum, cum in hoc etiam agatur de quibusdam impedimentis matrimonii. Unde expediet post tractationem de sponsalibus et matrimonio generalem doctrinam præmittere de iisdem impedimentis, et in specie ea examinare, quæ in hoc libro propriis titulis carent.

SECTIO PRIMA.

De sponsalibus.

Nota nomen *sponsalium* derivari a *spondendo :* nam moris fuit veteribus stipulari et spondere sibi uxores futuras, unde et *sponsi sponsæque* appellatio nata est (l. II, III, ff. h. t.); illi

vero qui spondebant quod viro stipulanti feminam in uxorem darent, dicebantur sponsores ; et actus quo cæremonia ista peragebatur, dictus est *sponsalia*. Omissis aliis acceptionibus, sponsalia in jure præsertim canonico dupliciter accipiuntur : 1° *stricte*, seu specifice, prout important promissionem futuri matrimonii ; 2° *late*, et cum addito *sponsalia de præsenti*, prout important matrimonium ratum ; cujusmodi significatio est frequens in jure (tit. *de Sponsa duorum*, c. 22 et 31 h. t., etc.) firmaturque usu quotidiano, quo recens matrimonio juncti dicuntur sponsi et sponsæ ; ut proinde non sint curandi qui, cum res ipsas carpere non valeant, nomina carpunt. Hic agendum de sponsalibus primo modo spectatis.

I. Quid sint sponsalia quoad rem?

Resp. Sunt mentio et repromissio nuptiarum futurarum, seu sponsalia sunt contractus consensualis, quo vir et mulier reciproce consentiunt super futuro matrimonio legitime inter se ineundo : ita in re comm. Ratio introducendi sponsalia fuit, tum ut matrimonium non temere, sed cum magna deliberatione eligeretur ; tum ut daretur competens terminus ad impedimenta detegenda. Simpliciter autem loquendo, matrimonium contrahi valet absque præviis sponsalibus, ut clare colligitur ex c. 9, 22, et 31 h. t. Nec est paritas a novitiatu : quod enim is præmitti necessario debeat professioni religiosæ, habetur hodie jus clarum (Trid., s. 25, c. 15, *de Reg.*), quale jus non exstat de sponsalibus matrimonio præmittendis.

Dicitur autem *legitime ineundo*, quia sponsalia valide non contrahunt, nisi illi inter quos matrimonium consistere potest absque ullo impedimento juris naturalis et canonici ; ne scilicet detur obligatio sponsalitia ad aliquid invalidum vel turpe adstringens : unde defectu usus rationis sponsalia inire nequeunt infantes, furiosi, amentes, nisi in lucidis intervallis ; perfecte ebrii ; item, qui simul mutus, surdus et cæcus est, moraliter loquendo, vix aptus est ad contrahenda sponsalia, cum nec verbis, nec signis instrui possit de matrimonio. Denique sponsalia contrahere non possunt, quicumque laborant aliquo ex impedimentis dirimentibus aut impedientibus.

II. Qualis esse debeat consensus sponsalitius ?

Resp. 1. Debet esse *certus* super his numero personis : nam sicut matrimonii, ita, et sponsalium objectum substantiale sunt personæ determinatæ in individuo ; et cons. error in persona ipso jure naturali vitiat sponsalia, « cum errantis voluntas nulla sit, seu nullus consensus » (l. VIII, IX, c. *de J. et F. Ign.*). Quod si quis cum duabus vel pluribus simul contraxit, nullam determinate tenetur ducere ; sed, si velit matrimonium inire, unam ex his eligere debet, ex reg. LIV in 6. Hæc tamen electio cessat in casu quo cum altera sponsa matrimonium subsistere nequit ; ut si quis, post sponsalia cum duabus sororibus inita, cum una illarum fornicetur ; tunc enim defloratam obligatur ducere, quia cum altera ob impedimentum affinitatis nuptiæ consistere non possunt.

Resp. 2. Consensus sponsalitius debet esse *deliberatus,* hoc est, cum tanta advertentia, quanta sufficit ad peccatum mortale, seu ad promissionem humano modo factam : ita comm. Nam sponsalia sunt contractus, seu actus moralis ; ergo perfici debent consensu deliberato. Unde quia passio amoris, iræ, odii, vel alia similis, rarissime aufert usum rationis, non obstat valori sponsalium, nisi oppositum probetur.

Nec contrariatur can. 5, *Si quis,* 2, q. 3, et can. 21, *de Pœnit,* dist. I ; nam cit. c. 5 plus non dicitur, nisi quod convitium in ira dictum vim accusationis non habeat, licet vim convitii habere possit. In can. 21 dicitur, quod discessio non statim faciat divortium, nisi deinde constet quod uxor diverterit animo perpetuam constituendi discessionem.

Resp. 3. Consensus sponsalitius debet esse *verus,* et non fictus : unde vi fictæ promissionis nullus in foro interno obligatur ad contrahendas nuptias : nam sine animo se obligandi nulla nascitur obligatio fidelitatis aut justitiæ : at in foro externo, in quo verba censentur conformia menti, ficte promittens compelletur ad standum his sponsalibus, nisi probet fictionem ; ut si vir illustris puellæ rusticæ promittat nuptias, cum talis jocari potius, quam sponsalia celebrare præsumatur. Damna autem quæ ex ficta promissione alteri parti inferuntur, in conscientia reparanda sunt ab eo qui suo

pernicioso mendacio, seu delicto partem illam damnificavit.

Deflorans puellam sub ficta promissione matrimonii, in conscientia non tenetur determinate ad illam ducendam : ita S. Ant., Bonac. et alii contra Sanch., Schmier, Laym., etc. Prob. ex cap. 26 h. tit., ubi deflorator sub ficto contractu matrimonii non contrahit obligationem maritalem : quoniam dolus solummodo adfuit, et defuit omnino consensus ; ergo ob eamdem rationem deflorator non contrahit obligationem sponsalitiam. Ratio est, quia obligatio ista determinata non oritur ex promissione deflorantis, cum sola promissio vera, et non ficta, inducat obligationem; non ex contractu innominato : Do usum corporis, ut me ducas; nam licet puella sub hac conditione offerat copulam, alter tamen hoc ipso, quod ficte promittat nuptias, eam non acceptat sub tali conditione ; et cons. ex hoc contractu inchoato a puella non obligatur. Denique obligatio ista non oritur ratione damni illati, quia hoc damnum aliter reparari potest, constituta vel aucta dote, vel alio modo. Si vero deflorator aliter damnum illatum reparare non posset, nisi per nuptias, tunc teneretur defloratam ducere ; cum injustus damnificator eo modo quo potest teneatur damnum illatum resarcire. Hæc pro foro interno : in externo autem proceditur secundum antedicta.

Dices : 1° C. 1, *de Adulter.*, ibi : Dotabit eam, et habebit uxorem. 2° Deflorator ex justitia obligabatur habere consensum sponsalitium verum ; ergo illum supplere debet, ne aliud pro alio invitæ creditrici obtrudat contra (l. II, § 1, ff. *de R. C.*). Ad 1. Particula *et* ex usu communi accipienda est disjunctive per l. *Sæpe*, 53, ff. *de V. S.*, quod etiam adversarii fatebuntur. In alternativis vero debitoris est electio ex reg. LXX in 6. Ad 2. Dist. ant. Obligabatur, si copulam acceptasset sub ea conditione sub qua fuit oblata, conc. ant. ; si acceptavit sub ficta promissione, neg. ant. (1).

Resp. 4. Consensus sponsalitius debet esse *non mere internus*, verbis, vel aliis sensibilibus signis manifestatus ; nam sponsalia fieri debent modo humano, quo alii contractus, scilicet per signa sensibilia indicantia internum consensum (2).

(1) Amort in sua Theologia defendit omnes contractus initos sub conditione turpi, etiam sponsalitios, esse jure naturali invalidos.

(2) Sponsalia solemniori modo iniri possunt, nempe coram parocho et testibus, et dicuntur *ecclesiastica ;* sed nulla solemnitas requiritur et sponsalia sunt

Et quidem 1° verba, quæ sunt signa nobiliora, intelligenda sunt secundum communem significationem, aut morem patriæ; ita ut constet ea serio prolata esse animo contrahendi sponsalia. Hæc verba : Nullam ducam, nisi te, per se significant sola sponsalia conditionata : Si quam duxero, aliam non ducam, præter te; nam in sensu juris particula *nisi*, relata ad futurum, parit solum affirmationem conditionatam (l. XXI, § 5, ff. *de Act. empt.*, l. XL, § 2, ff. *de Cond. et demonstr.*), licet relata ad præteritum, vel præsens, ex negativa faciat affirmativam absolutam; v. g. Non habemus regem, nisi Cæsarem, hoc est, Cæsar est noster rex et non alius. Hæc autem verba : Volo te habere in conjugem, sunt ambigua an sponsalia, an matrimonium significent. Hodie in locis ubi Trid. viget, quæstioni huic vix est locus, quia matrimonium contrahitur coram parocho cum solitis verbis et cæremoniis.

2° Annuli traditio, porrectio manuum, et similia signa, de se non sunt sufficienter manifestantia consensum sponsalitium, quia fieri possunt ex alio fine, v. g. amicitiæ, vel amoris, etiam pravi, nisi mos patriæ, vel aliæ circumstantiæ illa determinent ad significanda sponsalia; ut si tractetur de sponsalibus, et desuper sequatur traditio annulorum, etc.

3° Taciturnitas, v. g. feminæ, dum vir ei promittit matrimonium, non est signum sufficiens sponsalium, quia in his obligatoriis tacens non habetur pro consentiente, etsi forsan interne consentiret : siquidem consensus in mente retentus nihil operatur in contractibus humanis.

4° Si parentes utriusque sexus pro liberis puberibus contrahunt sponsalia, hæc præsumuntur valida ex sola liberorum taciturnitate : ita clare deciditur c. un., § fin., *de Spons. impub.*, in 6. Ratio hujus specialis decisionis est, quia tacens, etiam in præjudiciosis, tunc habetur pro consentiente, quando tenetur et potest contradicere, nec tamen contradicit : quo sensu recte intelligitur reg. XLIII, qui tacet in 6. Sed dum parentes pro liberis contrahunt sponsalia, isti, si nolint ea fieri, tenentur et possunt contradicere, mentemque suam aperire ; ne alioquin pec-

valida, etsi sponsalia clandestina in foro externo non attendantur, propter defectum probationis. Vide Bened. XIII, *Inst. eccl.* 116, n. 12; *Synod.. diœc.*, l. XII, c. 5.

cent acta parentum contemnendo, et eludendo; ergo si præsentes taceant, vel absentes, postquam resciverint, non contradicant, censentur consentire in sponsalia a parentibus contracta. Et hoc pro foro externo, in quo jus præsumit talem consensum ex eo quod liberi voluntatem suam conforment justæ voluntati parentum, et hi optime velint liberis prospicere de futuro matrimonio.

At pro foro interno, in quo præsumptio cedit veritati, si liberi tacendo dissentiant, re ipsa nulla sunt sponsalia; cum de essentia eorum sit consensus personalis. Hæc tamen dispositio, utpote correctoria juris naturalis, non est extendenda ad fratres, patruos, tutores, similesque personas, quæ sine mandato speciali sponsalia pro aliis contrahere nequeunt.

Nec obstat c. 14, *de Restit. spoliat.*, et cap. 1, *de Matrim. contract.*; nam in cap. 14, vel sponsalia non erant contracta a patrua pro nepte, vel non erant valida. In casu cap. 1 cit., soror non tacuit, sed consensit expresse.

Resp. 5. Consensus sponsalitius debet esse *reciprocus*, h. e. mutuo ab utraque parte datus, et mutuo acceptatus: nam sponsalia sunt contractus bilateralis, utramque partem obligans ad ineundas nuptias, ut insinuat Florent., lib. I, ff. hoc tit., et Julian., lib. II, eod., « sponsalia, inquiens, sicut nuptiæ, consensu contrahentium fiunt; » ergo: unde promissio ab una parte facta, et ab altera acceptata, sine repromissione futuri matrimonii, non facit sponsalia, sed tanquam liberale et gratuitum pactum obligat solum promittentem, qui optime faciet, præfigendo terminum promissario, ut, intra illum repromittat, prior promissio committatur. Si vero promissio matrimonii, etiam præsenti facta, non sit acceptata, nullo modo est obligatoria, cum non sit duorum in idem consensus (l. I, § 2, 3, ff. et c. 1, 3, *de Pactis*).

Dices 1° : C. 1, *Qui clerc. vel vov.*, sola promissio matrimonii inducit sponsalia. 2° Promissio acceptata virtualiter est repromissio; cum sicut nuptiæ, ita et sponsalia claudicare nequeant (1). Resp. ad 1. In isto casu vir et mulier, mediante procuratore, vere consenserunt in sponsalia, ut ibi notat glossa. Ad 2. Neg. antec. nisi aliud ex circumstantiis

(1) Promissio simplex, etsi acceptata, est de se retractabilis, utpote incompleta, et impedimentum publicæ honestatis inducere nequit.

colligatur; ut si in præsentia testium ad sponsalia convocatorum puella acceptet promissionem, quia talis acceptatio censetur fieri animo ineundi sponsalia. Nec urget paritas a matrimonio : quia hoc ex natura sua est conjunctio viri et mulieris, adeoque reciproce obligatorium : econtra promissio matrimonii potest esse, vel sponsalitia utrinque, vel mere liberalis et gratuita.

Resp. 6. Consensus sponsalitius debet esse *liber* a coactione, quia libertas requiritur ad substantiam actus humani moralis. An vero sponsalia metu gravi injusto extorta valeant? Controvertunt DD. Negant Abb., Covar., Laym., Schmier, Wex, et plures alii; sed cum Sylv., Less., Perez, Pirh., Schmalz., et aliis, subscribo sententiæ affirmanti sponsalia metu extorta valere ipso jure. Prob. 1°. Talia sponsalia valent jure naturali, quia metus non tollit voluntarium simpliciter; valent etiam jure positivo humano, quia nullibi irritantur expresse, neque tacite in cap. 14 et 15 h. tit.; nam jura ista de matrimonio loquentia, cum sint odiosa, et juris naturalis correctoria, non debent porrigi ad sponsalia. Prob. 2°. Sponsalia ista non officiunt matrimonio, quia non obligant : neque sunt via ad matrimonium metu, sed purgato metu, sponte ineundum; neque nocent parti metum passæ, sed potius prosunt, quia in arbitrio ejus est, ut, vel rescindantur probato metu, vel si deinde commoda appareant illi, pars metum incutiens teneatur eis stare : neque ex alio fundamento talis irritatio eruitur, ergo. Porro pars metum passa, si urgeatur ad nuptias, habet exceptionem *quod metus causa,* (§ 1, *Inst. de except.*); si vero se liberare vult ab obligatione sponsalium, habet actionem *quod metus causa* (lib. I et IX, § 3, ff. *Quod metus causa*); si tandem sponte renuntiet exceptioni, seu actioni *quod metus causa,* tunc metus purgatur, et sponsalia evadunt plene libera, obligantia utrinque efficaciter ad nuptias ineundas. Neque ratificatio ista, seu renuntiatio actionis facit nova sponsalia, cum ab altera parte non acceptetur, sed præcise est conditio, qua posita, prior consensus acceptatus, qui ex causa metus potuit infirmari, fit firmus et efficaciter obligatorius; sicut accidit in aliis actibus metu gestis, dum pars metum passa renuntiat actioni metus, volendo stare contractu prius inito. Ex quo dissipantur ea omnia quæ per longum et latum affert P. Wex.

Dices : 1° Cap. 2, *Ex litteris, de spons. imp.*, sponsalia metu gesta dicuntur invalida. 2° Dispositum de matrimonio, censetur dispositum de sponsalibus (l. XVI, ff. h. t.); ergo sicut matrimonium, ita sponsalia metu gesta non valent. 3° Pars metum passa multum gravaretur : nam contraheret impedimentum publicæ honestatis, et in casu quo metus probari non posset, vel judex ecclesiasticus ex malitia nollet rescindere sponsalia, cogeretur ad nuptias ineundas. Resp. ad 1. Sponsalia ibi vel erant valida, et ex causa metus rescissa, si puella nollet exspectare puerum : vel erant nulla ex defectu consensus, quia puella nunquam eum voluit, nec vult in virum habere. Ex quibus verbis patet, dissensum puellæ fuisse non tantum in traductione in domum pueri, sed etiam in ipsa desponsatione. Ad 2. Ubi diversa est ratio sponsalium et matrimonii, diversa est dispositio : hic autem diversa est ratio : nam matrimonium ex natura sua est insolubile, et ideo jus vult illud esse spontaneum : econtra sponsalia ob metum et alias plures causas dissolvi possunt. Ad 3. Neg. antec. Ad prob. resp. Impedimenta a jure introducta non gravant, ut patet in affinitate orta ex copula illicita. Alterum gravamen, si accideret, per accidens se haberet etiam in sententia adversariorum : nam si pars metum passa non posset probare metum, vel si judex ex malitia probationes non admitteret, vel injuste pronuntiaret sponsalia esse valida, pars ista in foro externo, nisi appellaret, cogeretur ad nuptias; sed hæ in foro interno, stante metu, non valerent in utraque sententia. Ex his patet, quod metus sponsalibus immixtus nullo modo influat in matrimonium, quia hoc non aliter valet, nisi metu purgato per renuntiationem actionis *quod metus causa*.

Resp. 7. Sponsalia clandestina sunt valida, et per se licita : nam nullibi irritantur, vel prohibentur, tanquam illicita : neque sunt via ad matrimonium clandestinum, sed publicum coram parocho et testibus ineundum. Consultius autem fiunt sponsalia publica coram testibus, ut facile probari possint : secus conficienda erit scriptura super illis contractis (1); epistola vero, nisi sit confessata, non probat ; uti nec litteræ amatoriæ, quæ solam præsumptionem de se levem faciunt.

III. An, et quæ pacta adjici possint sponsalibus?

Resp. 1. *Arrha* de utroque jure licite apponitur sponsalibus : nam jure can. nullibi reprobatur : jure vero civili (l. III, V, c. hoc tit.) expresse permittitur arrharum constitutio.

(1) S. Congreg. Conc., *in Placent.*, 31 jan. 1880, declarat invalida sponsalia absque publica scriptura celebrata in Hispania.

1° Nomine *arrhæ* objective sumptæ venit illa res mobilis, vel immobilis, quæ a sponsis vel eorum parentibus datur, quasi pignus, in securitatem futuri matrimonii, sicut in aliis contractibus. Jam si quis ex sponsis juste resiliat a sponsalibus, arrha non duplicatur, ne quis ob justum factum puniatur, sed juste resiliens, si arrham accepit, eamdem restituit, vel suam repetit : si vero non accepit, ad nihil tenetur. At si quis injuste resiliat, arrha duplicatur, hoc est, accipiens arrham tenetur eam restituere, et alterum tantum dare. Arrhæ quadruplicatæ, v. g. ut qui accepit 100, pendat 400, admittuntur ex speciali conventione : ultra quadruplum vero nequeunt augeri (cit. lib. V, c. hoc tit.) ubi tamen minor, si veniam ætatis non impetravit, excusatur ab excessu arrarhum, et solum ad arrham, si quam accepit, restituendam obligatur. Item pater, si per eum non stet quominus filius aut filia nuptias contrahant, datam a se arrham non perdit, ne alieno delicto prægravetur.

2° Excessus arrhæ ultra simplum accepti probabilius non debetur ante sententiam judicis, nisi aliud inter sponsos convenerit : ita Sanch. cum cit. contra Covar., Menoch., etc. volentes duplicationem, vel quadruplicationem arrhæ in conscientia deberi, saltem conditionate, si pars altera exigat. Ratio est, quia ille excessus vim habet pœnæ ; hæc autem regulariter non debetur, nisi post sententiam judicis, licet sit pœna conventionalis, si aliter non sit conventum.

3° Si inter sponsos nuptiæ secutæ sunt, arrhæ repetuntur, vel computantur in dotem aut donationem propter nuptias, nisi aliud habeat consuetudo loci : nam impleto contractu, arrha sine causa esset penes accipientem, ergo.

Resp. 2. Pœna moderata contra injuste resilientem licite apponitur in sponsalibus : ita Suar., Laym., Reff. cum cit. contra Bartol., Covar., Wex, etc. (1). Nam talis pœna nullo jure reprobatur : non naturali, ut de se patet, cum pœna ista invitet ad actum honestum justitiæ, seu ad sponsalia implenda ; non jure positivo, quia de hoc non constat; siquidem c. 29 *Gemma,* h. t. loquitur de sponsalibus invalidis puellæ infra septennium : vel si valida erant, puella facta viripotens ex privilegio juris, vel alia causa,

(1) Vide De Angelis, qui distinguit inter conditiones ab extaneis appositas, vel ab ipsis sponsis eorumque parentibus, tutoribus, etc. (hoc tit., n. 4).

juste recedere potuit a sponsalibus (c. 7, *de Despons. imp.*), ergo. Præterea pœna ista non minuit libertatem, sed tantum restringit temeritatem, ne quis sponsorum injuste resiliat : sicut arrha, vel pœna a judice ecclesiastico lata contra injuste resilientem; ergo pœna in sponsalibus licite apponitur, sicut in aliis actionibus et contractibus (lib. XIV, ff. *de Pact.*, cap. 4, *de Arbitr.*). Hinc Leo imp. in sua nov. 18 statuit, ut in sponsalibus constituta pœna solvatur, ne sponsalia sursum deorsum ferantur.

Dices : Cit. c. 29 h. t. in parte dispositiva generaliter prohibetur pœna in sponsalibus, uti etiam in l. CXXXIV, ff. *de V. O*, et l. V, c. h. t. ibi in fin. *Si cautio pœnam*, etc. Resp. cit. 29, dispositio generalis ponitur pro omnibus similibus casibus, quibus juste resilitur a sponsalibus; et tunc non esse locum pœnæ ultro fateor. Cit. l. CXXXIV, liberi sponsalia a parentibus facta non ratificarunt; et ideo stipulatio pœnæ eis adjecta non valuit. Cit. l. V, reprobatur pœna indifferenter posita contra juste vel injuste resilientem. Imo verius puto ibi corrigi jura antiqua civilia, secundum quæ, soluta pœna, potuit quis resilire a sponsalibus et matrimonio jam contracto (l. XIV, c. *de Nuptiis*, l. II et seq. ff. *de Divort.*). Et hoc modo stipulatio pœnæ sponsalibus adjecta est omnino turpis. Opposita sententia est practice tuta, eamque sequi potest, et judex in foro externo, et confessarius in foro interno, reum non condemnando ad pœnam promissam.

Resp. 3. Pœna late talis de lucro perdendo, aut non acquirendo, recte ab extraneo apponitur sponsalibus, ut si testator leget 100 Cajæ, si Titio nupserit : nam in tali casu fit liberalis promissio sub conditione certarum nuptiarum ; ergo si conditio deficiat, etiam deficit promissio. At similis pœna adjecta ab ipsis contrahentibus, reprobatur a jure, quia præsumitur amore libidinis facta (lib. XCVII, § 2, ff. *de V. O.*), ut si Caja dicat : Si me uxorem duxeris, hanc villam tibi dabo. Excipe, nisi talis donatio sit onerosa ex causa dotis vel donationis propter nuptias.

Resp. 4. Sponsalitia largitas, seu donatio, quam sponsi sibi mutuo faciunt ob causam futuri matrimonii, secuto matrimonio, manet accipienti. Si culpa donantis non sequantur nuptiæ, sponsalitium donum manet donatario; si vero culpa donatarii non sequantur nuptiæ, is donum reddere tenetur; si tandem neuter sit in culpa quominus matrimonium sequatur, utrinque fit restitutio : sponsa tamen, si sponsus ei osculum dedit, medietatem

doni sponsalitii lucratur (l. XV, XVI, c. *de Donat. int. nupt.*). Hæc sponsalitia largitas aliter vocari solet jocale, seu jocalium, mundus muliebris, et dotalitium, vel donatio ante nuptias; licet voces istæ etiam alias significationes habeant. Circa proxeneticum, quod datur proxenetæ, seu conciliatori nuptiarum in remunerationem industriæ adhibitæ, servatur consuetudo, vel conventio; idque speciale est, quod proxeneta conveniri nequeat, quamvis liberalius, quam verum erat, depinxerit qualitates et facultates sponsi aut sponsæ (l. II, ff. *de Proxen.*).

Resp. 5. Pactum de habitando, vel non habitando, in certo loco, recte apponitur sponsalibus, et, contractis nuptiis, servari debet: nam tale pactum de se non est illicitum, neque contrariatur matrimonio. Excipe, nisi emergeret justa causa discedendi, antea non prævisa; ut si supervenirent capitales inimicitiæ, insalubritas aeris, etc.; tunc enim uxor teneretur sequi maritum alio discedentem.

IV. Quis sit effectus sponsalium?

Resp. 1. Duplex præcipuus : 1° obligatio gravis justitiæ ad contrahendas nuptias, et cons. impedimentum impediens juris naturalis, ne matrimonium licite cum tertio contrahatur : ita can. 27, 50, et fin. 27, q. 2, c. 2, 10, et c. h. t. c. 1. *de Spons. duor.*

2° Impedimentum publicæ honestatis, de quo infra ; et jure veteri, ubi Trid. non viget, sponsalia per copulam firmata transeunt in matrimonium (c. 15 et 30 h. tit.), nam est præsumptio juris, et de jure, copulam istam factam esse affectu conjugali, ad excludendum peccatum fornicationis : si tamen copula habita est affectu fornicario, cessat præsumptio ista pro foro interno, licet in foro externo nulla probatio, saltem directa, in contrarium admittatur.

Resp. 2. Dies obligationis sponsalitiæ, cujus impletioni nullus terminus præfixus est, statim cedit, et venit a tempore initorum sponsalium : nam in omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur (l. XIV, ff. *de R. J.*) neque ratio est cur sponsalia implenda sint post unum, aut plures menses, et non post diem. Hoc tamen moraliter accipe, sicut in aliis contractibus, ex quibus præsenti die debetur, puta intra competens spatium temporis, quia etiam stipulator non statim

eadem die cum sacco venire debet pro pecunia (lib. CV, ff. *de Solut.*). Opposita sententia Navarri, Sanchez, etc., docens obligationem sponsalium non urgere, nisi altera pars exigat eorum impletionem, est practice probabilis, et usu firmata : parocho tamen incumbet cura, ut sponsalia quantocius in effectum deducantur, præsertim si altera pars ex verecundia, vel alia causa, non audeat exigere impletionem sponsalium.

Resp. 3. Renuens absque justa causa implere sponsalia, a judice ecclesiastico monendus est, et prout prudentia dictaverit, etiam aliis pœnis et censuris compellendus ad eorum impletionem : ita c. 10 h. t. et cap. 2, 17, eod., ubi tamen monetur episcopus ut si viderit excommunicationem nihil prodesse propter pertinacem resilientis contumaciam, a censura abstineat, et inflictam revocet; quia tolerandum est potius minus malum, ne majus sequatur ex matrimonio coacto. In hoc tamen casu parti nocenti salubriter alia pœna infligi poterit, cum violetur justitia in re gravi, et legitimo præcepto superioris non pareatur.

Resp. 4. Fides sponsalium probabiliter violatur per fornicationem alterius ex sponsis; et cons. talis fornicatio præter speciem luxuriæ continet etiam speciem injustitiæ necessario in confessione exprimendam : ita Salmant., Schmalz., etc. contra Covar., Henriq. et alios : nam juxta cap. 25, *de Jurejur.,* fornicatio ista est contra regulam desponsationis ; siquidem violat jus ex sponsalibus quæsitum de corporis usu non alteri, sed sibi tradendo, ergo. Opposita sententia etiam est practice probabilis, quia per sponsalia non videtur acquiri aliud jus, nisi ad contrahendum matrimonium, quod jus per fornicationem non læditur. Multominus fornicatio sponsæ est adulterium, cum non sit violatio thori alieni. Nec obstat lib. XIII, § 3, ff. ad L. Jul. *de Adulter.*, nam ibi sola accusatio, seu vindicatio sponsæ fornicantis permittitur ob injuriam sponso illatam ; non vero talis fornicatio dicitur esse adulterium proprie tale.

V. An, et quibus modis sponsalia dissolvi possint ?

Resp. 1. Sponsalia, cum ex natura sua non inducant aliquem statum fixum et stabilem, dissolvi possunt sicut alii contractus humani, non tantum morte naturali, quæ omnia solvit, sed

pluribus aliis modis, ut mutuo consensu, fornicatione alterius sponsi, susceptione ordinis sacri, professione religiosa, etc., de quibus hic ordine dicam.

Resp. 2. Sponsalia, etiam jurata, licet juramentum præstitum sit non solum in favorem partis, sed etiam principaliter intuitu pietatis, v. g. erga pauperem puellam, mutuo consensu partium dissolvi possunt, ex reg. 1, *in Antiq.*, quia nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est (l. XXXV, ff. *de R. J.*) et favori suo quisque, etiam puella pauper, renuntiare potest ex reg. aliqua l. pen. c. *de Pactis*. Ut vero dissolutio ista honeste et licite fiat, requiritur justa causa; alioquin sponsi non erunt sine culpa, si temere, ex levitate, ira, et alia passione sponsalia solvant : quo sensu procedit c. 2 h. t.

Dices : S. D., 2, 2, q. 79, a. 9, ad. 2, dicit promissarium non posse remittere juramentum intuitu pietatis factum, seu principaliter in honorem Dei; ergo neque puella pauper tale juramentum remittere poterit. Resp. S. D. loqui pro illo casu quo res juramento promissa non cedit tota in utilitatem ejus cui juratum est; ut si quis alicui juraret, quod certam religionem ingredietur, ecclesiam ædificabit, etc.; at hic tota sponsalia cedunt in utilitatem puellæ pauperis, cui utique renuntiare potest, ut colligitur ex posterioribus verbis S. D. loc. cit.

Resp. 3. Fornicatio non tantum sponsæ, sed etiam sponsi, dat parti innocenti justam causam resiliendi a sponsalibus : ita comm. ex cap. 25, *de Jurejur.*, quod, licet expresse loquatur de sponsa fornicante, tamen comprehensive intelligitur de sponso fornicante : tum quia ratio utrobique est eadem, quod pars fornicans veniat contra regulam desponsationis, et frangenti fides non sit servanda ; tum quia sponsus et sponsa in hoc puncto non debent ad imparia judicari, sicut maritus, et uxor adulterantes. Si autem pars innocens velit stare sponsalibus, non licet parti nocenti resilire, ne commodum ex delicto suo referat, et detur occasio sponsalia fornicationibus dissolvendi.

2° Si sponsus et sponsa cum tertio fornicentur, probabilius uterque resilire potest a sponsalibus : ita Palao, Wiestn., Schmalzgr. et alii contra Palud., Schmier, et alios, docentes neutrum posse resilire, et contra Sanch., Pichler, etc., docentes sponsum resilire posse, non vero sponsam, quia in hac

præter delictum fornicationis, in quo par est sponso, etiam altera causa est specialis turpitudinis; nam causa sufficiens resiliendi est violatio fidei sponsalitiæ (cit. cap. 25, *de Jurejur.*) et rationabilis timor, atque diffidentia de observanda olim fide conjugali; sed hæc causa manet, etsi uterque sponsus fornicetur; ergo utrique resilire licet. Nec obstat, quod sponsus alteram causam resiliendi habeat; sufficit enim sponsæ una causa principalis, scilicet fides sponsalium fracta, et diffidentia de fide conjugali; sicut uxori sufficit adulterium mariti, ut ob hoc divertere possit, licet major sit turpitudo uxoris adulterantis. Nec pro secunda sententia facit (l. X, § 2, ff. *de Compens.*) quod paria delicta mutua compensatione tollantur, nam lex ista procedit de compensatione civili pecuniaria, ut si tibi feci damnum 100, et tu mihi damnum 100, delicta ista mutuo civiliter compensamus; at in nostro casu locum non habet, quia posito æquali delicto fornicationis non tollitur causa resiliendi, puta diffidentia de fide conjugali.

3° Si sponsa per vim corrupta est, dat causam resiliendi, quia notabiliter evadit deterior et turpior (can. 33, *Raptor.*, 27, quæst. 2), et quamvis idem videretur dicendum de sponso per vim corrupto, tamen oppositum est probabilius; quia sponsus per hoc non fit vilior, nisi forsan sodomitice corruptus foret.

4° Tactus impudici, oscula, et similes actus a sponsa admissi dant sponso causam sufficientem resiliendi; nam talis sponsa præsumitur impudice vivere, et sponsus sine dedecore eam ducere nequit. Secus est in sponso, qui per tales actus cum alia femina commissos regulariter non fit vilior, neque dedecus vel infamiam sponsæ infert, nisi actus isti essent frequentes, qui generarent diffidentiam de fide conjugali; tunc enim essent sponsæ causa sufficiens resiliendi a sponso.

Resp. 4. Omnis notabilis mutatio sponsalibus superveniens, vel antecedens quidem, sed primum post illa innotescens, est causa sufficiens resiliendi; uti est ex parte corporis deformitas, velut amissio oculi, narium, manus, lepra, paralysis, vel alius morbus incurabilis (c. 25, *de Jurejur.*); ex parte animi, pravi mores, crudelitas, ebrietas, scortatio, hæresis, veneficium, inimicitiæ capitales inter sponsos aut eorum propinquos, etc. Ex parte fortunarum, si unus, vel uterque pati-

tur notabilem jacturam bonorum, cum minus idonei fiant ad ferenda onera matrimonii; item si parentes nolint dare dotem, etc. Ratio horum est, quia sponsi præsumuntur se non velle obligare ad casus tam difficiles, sed tacite conditionem apponunt : Si res in eodem statu permaneant. Idem dic, si talis causa antea existens, v. g. morbus gallicus, primum post sponsalia innotescat, quia in jure paria sunt non esse et non apparere (l. XXX, ff. *de Testam. tutel.*), unde sponsus, qui cogitavit se contrahere cum virgine, si primum post sponsalia innotescat eam esse corruptam vel viduam, non tenetur eam ducere. Excipe, nisi sponsus, cognita notabili mutatione sponsæ, eam carnaliter cognovisset, quia hoc modo censetur renuntiare juri resiliendi, sicut maritus accedendo ad conjugem adulteram censetur injuriam condonare. An divitiæ insperatæ, vel nobilitas superveniens sponsalibus det justam causam resiliendi, dubitatur. Affirmant Schmier, Wex et alii; sed (probabilius) negant Sanchez, Konig, etc., nam altera pars per hoc non fit deterior in se, neque exsecutio sponsalium fit durior, nisi per accidens, quatenus offerri possent pinguiora sponsalia, quæ causa non est sufficiens resiliendi; alioquin toties recedi posset a sponsalibus, quoties alia pinguiora offeruntur.

Resp. 5. Discessus sponsi in terras remotas animo mutandi domicilium, si sponsa non consensit, dat ei sufficientem causam resiliendi (cap. 5, hoc tit.), nam ita discedens, ipso facto præsumitur renuntiare juri sponsalium, cum sponsa eum sequi non teneatur; unde si constet sponsum tali animo abivisse, sponsa statim convolare potest ad alia sponsalia.

2° Si sponsus abivit in terras longinquas animo revertendi, et reditus est valde difficilis, seu moraliter impossibilis probabilius etiam in isto casu sponsa resilire potest, sive discessus factus sit causa necessaria, sive voluntaria; nam sponsus hoc modo non servat debite fidem datam, sed cedit jure suo; cum alias dura accideret sponsæ exspectatio usque ad reditum sponsi, qui tam facile rediturus non speratur. Hoc tamen casu, antequam sponsa convolet ad alia sponsalia, conveniat sponsum per epistolam; et si hoc nequit, rem totam ad episcopum referat, ejusque judicio submittat. Nec hic obstant jura civilia (lib. II,

et l. XVII, ff. h. tit., et l. II, c. *de Repud.*); nam loquuntur de perditione arrharum, si sponsa non exspectavit sponsum absentem intra provinciam biennio, extra triennio, et ex causa necessaria quadriennio; quæ dispositio trahi non debet ad resolvenda sponsalia per renuntiationem saltem tacitam.

3° Si reditus sponsi facilis sit, vel difficilis quidem, attamen si cum licentia seu consensu sponsæ sponsus discessit, tenetur cum sponsa exspectare, usque ad tempus conventum, finiendæ obligationi præfixum : nam ita volenti sponsæ nulla fit injuria.

Resp. 6. Lapsu termini finiendæ obligationi præfixi solvuntur sponsalia ex parte innocentis; nocens vero tenetur stare sponsalibus (cap. 22, hoc tit.), idque probabilius verum est etiam in casu quo alter ob moram legitimam, seu impedimentum necessarium, non potuit intra terminum implere sponsalia; nam contractus ex conventione legem accipiunt (reg. LXXXV, in 6°); ergo lex seu obligatio sponsalium non porrigitur ultra terminum finiendæ obligationi præfixum. Nec obstat quod impedito tempus non currat (lib. I, § fin., c. *de Ann. except.*, cap. 5, *de Concess. præbend.*), nam licet non currat ad pœnam legalem aut conventionalem, currit tamen ad finiendam obligationem, si intra hoc tempus non fiat quod ex conventione faciendum erat. Opposita sententia Sanchez, Pontii, etc. non videtur improbabilis pro praxi. 2° At si terminus præfixus sit tantum implendæ obligationi, eo elapso, manet adhuc obligatio sponsalia implendi; nam terminus hoc modo præfixus respicit solam commoditatem contrahendi, non vero inducit ablationem obligationis. Exempla obvia habes in debitore qui non solvit termino præfixo, in homine fideli qui tempore paschali non communicavit; nam et iste tenetur deinde communicare, et ille solvere. In dubio an terminus præfixus sit finiendæ aut implendæ obligationi, attendendæ sunt causæ et circumstantiæ; nam si terminus præfigatur ex causa quia parti grave est diu abstinere a nuptiis, censetur terminus præfigi finiendæ obligationi; si vero terminus præfigatur ex causa quia videtur esse commodum tali tempore nuptias celebrare, censetur terminus præfigi implendæ obligationi. In casu quo per utrumque stetit quominus nuptiæ

celebrarentur intra terminum finiendæ obligationi præfixum, tunc ex parte utriusque sponsalia solvuntur, nisi ambo in prorogationem termini consentirent.

Resp. 7. Sponsalia resolvuntur pluribus aliis modis, ut 1° deficiente, seu non impleta conditione (cap. 3, *de Condit. appos.*); 2° professione religiosa, etiam post biennium in S. J.; susceptione S. ordinis, et probabiliter voto perpetuæ castitatis, ut tit. VI dicam; 3° matrimonio de præsenti cum alia contracto: tunc enim, saltem ex parte innocentis, priora sponsalia pereunt (cap. 31, hoc tit.). 4° Sponsalia ab impubere contracta, solo dissensu in pubertate facto evanescunt (c. 7, *de Despons. impub.*). 5° Legitima dispensatione Papæ; 6° impedimento juris naturalis superveniente sponsalibus, uti est impotentia perpetua; quia tali casu matrimonium est impossibile. At si ex delicto alterius superveniat impedimentum juris ecclesiastici, v. g. affinitas ex fornicatione cum consanguinea sponsæ in primo aut secundo gradu, tenetur pars delinquens, si potest citra majus suum incommodum et damnum, dispensationem petere, et injuste datum obicem tollere.

VI. An auctoritas judicis ecclesiastici necessaria sit ad dissolvenda sponsalia?

Resp. 1. Si adsit justa causa, et simul notoria, nullo jure requiritur talis auctoritas, sed partes privata potestate resilire possunt. Excipe, nisi speciale aliquod statutum contrarium esset in diœcesi; tunc enim sponsalia præsertim publica, ad evitandum scandalum, necessario auctoritate episcopi dissolvenda forent. 2. Si causa non sit notoria, aut certa, v. g. delictum fornicationis, plene probari debet coram episcopo, ne per causam prætextam et incertam tollatur alteri jus certum ex sponsalibus quæsitum. Si tamen pro causa allegaretur impedimentum dirimens, sufficeret judici etiam unus testis, fama, vel propria confessio utriusque, vel unius sponsi (argum. cap. 2, hoc tit.; cap. 10, *de Despons. imp.;* cap. 2, *de Consang. et affinit.*); nam ubi agitur de vitando periculo animæ, seu de peccato, minor probatio requiritur.

SECTIO II.

De matrimonio.

Nota 1° matrimonium, quoad nomen a *matre*, et non a patre dici, quia in procreatione prolium, ad quam matrimonium ordinatur, magis mater attenditur, quam pater ; cum mater semper sit certa, pater vero incertus, ipsæque proles, ante partum onerosæ, in partu dolorosæ, et post partum laboriosæ matri esse soleant, ut merito status iste conjugalis matrimonium potius quam patrimonium dicatur. Aliter vocatur consortium, conjugium et connubium, seu nuptiæ ; quia olim sponsæ velo, quasi nube, tegebantur ob naturalem pudorem et verecundiam (can. 7 et seq., 30, q. 5).

Nota 2° matrimonium quoad rem definiri quod sit viri et mulieris conjunctio legitima, individuam vitæ consuetudinem continens (§ 1, *Inst. de patr. potest.;* lib. I, ff. *de Rit. nupt.*). Et quidem si conjunctio accipiatur causaliter, seu efficienter, definitio ista competit matrimonio in fieri, prout est actualis contractus, et legis novæ sacramentum : si vero conjunctio accipiatur formaliter pro vinculo permanente, data definitio competit matrimonio in facto esse, prout est vinculum viri et mulieris, individuam vitæ consuetudinem continens. Quæ circa particulas hujus definitionis examinari possent, infra dicentur.

Nota 3° matrimonium varie dividi : 1° In legitimum, ratum, et consummatum. *Legitimum* tantum est, quod secundum leges, præsertim naturales, contractum est inter personas idoneas, attamen sine ratificatione Ecclesiæ ; et conseq. non est sacramentum, sed purus contractus civilis, sicut sunt matrimonia infidelium (cap. 7, *de Divort.*, can. fin. v. *Item illud,* 28, quæst. 1). *Ratum* est, quod secundum leges Christi contrahitur a baptizatis; et conseq. ratificationem Ecclesiæ habet, estque verum novæ legis sacramentum. *Consummatum* est, quod per copulam carnalem, quasi integraliter, et per modum complementi perficitur. 2° In verum, præsumptum, et putativum. *Verum* est, quod re ipsa valide contrahitur. *Præsumptum,* quod ab Ecclesia, seu a jure præsumitur contractum, sicut jure antiquo (cap. 30, hoc tit.) sponsalia per subsequentem copulam

præsumebantur transire in matrimonium (1). *Putativum*, quod putatur legitime contractum : reipsa tamen non est, ob latens impedimentum dirimens. 3° In *publicum*, quod fit in facie Ecclesiæ, scilicet in præsentia proprii parochi et testium; et *clandestinum*, quod fit clam, absque præsentia parochi et testium. 4° In *solemne,* in quo adhibentur solemnitates civiles, ut pacta dotalia, consensus parentum, solemnis traductio sponsæ in domum sponsi, musica, etc.; aliter vocatur politicum, seu civile; et *non solemne*, seu pure theologicum, aut canonicum, in quo adhibentur ea solum quæ de jure can. necessaria sunt ad nuptias. Sicut autem in matrimonio solemni ducta vocatur uxor, ita in matrimonio non solemni ducta dicitur concubina, licet re ipsa sit vera uxor (can. 35 et seq., d. 34). Sub matrimonio pure canonico continetur matrimonium contractum ad morganaticam, de quo infra tit. V.

I. Quid requiratur ad matrimonium, ut est contractus civilis, seu pure humanus?

Resp. 1. Legitimæ personæ, mas et femina; cujusmodi sunt omnes homines qui specialiter non prohibentur : nam edictum de matrimonio contrahendo est prohibitorium in materia generaliter permissa; ergo. Prohibentur autem ob defectum judicii infantes, furiosi, amentes, perfecte ebrii, et probabilius illi qui a nativitate surdi, muti et cæci sunt, ut supra num. 4. dictum. Ob defectum ætatis, impuberes; senes vero, dummodo apti sint ad actus conjugales, non arcentur a nuptiis jure hodierno; et ideo Justin., lib. XXVII, cap. *de Nuptiis*, correxit L. Juliam Papiam, quæ senes ultra 60 annos non admittebat ad nuptias. Denique prohibentur a nuptiis omnes illi qui laborant aliquo impedimento dirimente aut impediente.

Resp. 2. Ad substantiam matrimonii requiritur consensus reciprocus, quo vir et mulier sibi mutuo tradunt et acceptant corpora in ordine ad actus conjugales. Unde consensus conjugalis explicite ferri debet in jus reale, seu potestatem maritalem, et saltem implicite in copulam : ita comm. sententia con-

(1) Quoad loca in quibus non fuit publicatum conc. Trid., vide instruct. a S. Congreg. de Propaganda fide data sub die 17 jan. 1821 (Apud de Angelis, h. t. n. 8).

tra Pontium, et paucos alios, qui essentiam matrimonii constituunt in solo consensu, seu conjunctione animorum sine ullo consensu in copulam. Prob. ex Gen., II, 24, ubi : « Adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una, » et I Cor., VII, 4 : « Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir ; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. » Idem docet Florentin. in decr. un., § septim., Tridentin., s. 24, c. *Matrimonii,* et c. 1, *de Reform. matrim.* Ex qua doctrina ita argumentor : Matrimonium essentialiter, et ex natura sua institutum est ad procreationem prolium, et propagationem generis humani ; ergo consensus maritalis essentialiter ferri debet in jus et potestatem ad actus conjugales : subs. sed hoc ipso quod quis consentiat in talem potestatem, etiam implicite consentit in copulam, seu in actus conjugales : nam consentiens in causam, virtualiter et implicite consentit in ejus effectum ; ergo consensus conjugalis saltem implicite fertur in copulam : secus non apparet repugnantia cur inter patrem et filiam non posset matrimonium consistere. Unde S. D. in *Supplem.,* q. 48, art. 1, docet consentire in matrimonium idem esse ac « consentire in copulam carnalem implicite, non explicite ; non enim debet intelligi, nisi sicut implicite continetur effectus in causa : quia potestas carnalis copulæ, in quam consentitur, est causa carnalis copulæ, sicut potestas utendi re sua est causa usus ». Et p. 3, q. 29, art. 2, *in corp.*, ait : « Omnino verum fuit matrim. Virg. Matris Dei, et Joseph, quia uterque consensit in copulam conjugalem (hoc est in vinculum, seu potestatem conjugalem), non autem expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret (1). » An vero consensus maritalis suppleri possit a Deo, dubitatur : affirmantium opinio videtur probabilis ; quia Deus, cum in sua potestate corpora hominum habeat, potest virum et mulierem conjungere absque ullo eorum consensu, tribuendo utrique jus mutuum ad usum corporum.

(1) D. Thomas in 4, dist. 30, q. 2, expresse docet B. Virginem habuisse absolute votum perpetuæ castitatis, eamque habuisse assecurationem a Deo et a S. Josepho quod non esset exacturus copulam. Conditio implicita, nisi Deus dispensative aliter ordinaret, etiam nunc inest cuivis voto absoluto castitatis. Aliud est, quod contractus a jure vel arte ordinetur ad finem, et aliud est, quod contrahens vel artifex eum finem intendat. *Edit. Girald.*

Dices contra superiorem : 1° Nuptias non concubitus, sed consensus facit (lib. LXXXI, ff. *de R. J.*), quod etiam docet S. August. (lib. III, *de Bono conjug.*, cap. 3) et alii SS. PP. 2° In aliis rebus dominium directum separabile est ab utili ; ergo etiam in matrimonio potest dari potestas directa sine potestate utendi corporibus. 3° Sufficit quod ex parte contractus consentiatur implicite in copulam, licet non ex parte contrahentium. 4° Videtur requiri consensus expressus in copulam, quia per matrimonium sunt duo in carne una : unde can. 16 et seq. 27, q. 2, dicitur : « Non est dubium illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse. » Resp. ad 1. Consensus iste, seu conjunctio animorum, non est qualiscumque, sed essentialiter ordinatus ad actus conjugales, qui saltem implicite continentur in jure maritali. Ad 2. Neg. conseq. ; nam dominium, seu jus maritale per se est potestas utendi corporibus, sine qua nullæ sunt nuptiæ; econtra dominium aliarum rerum per se non est potestas utendi, et ideo in aliis rebus dominium utile separari potest a directo. Ad 3. Subtilitas ista videtur inconceptibilis ; si enim ex parte contractus consentitur in copulam, necessario etiam consentitur ex parte contrahentium, qui contractum faciunt. Ad 4. Neg. anteced. ad pr. duo in carne una dicuntur per hoc quod alter alterius potestatem habeat. Canones allegati, utpote depravati, qui in fontibus non reperiuntur, nihil probant, nisi per commixtionem sexus intelligatur commixtio seu conjunctio viri et mulieris in potestatem maritalem consentientium.

Resp. 3. Consensus maritalis debet esse : 1° *verus* sine fictione : alioquin matrimonium simulatum sine animo contrahendi, coram Deo est nullum (cap. 26 h. t.), et ficte consentiens, utpote alteram partem injuste damnificans, tenetur damna illata resarcire, quod vix alio modo fieri potest, nisi præstando consensum verum ; modo non obsit aliquod impedimentum dirimens; 2° *mutuus*, seu reciprocus, quo alter alteri tradat, et acceptet corpus (cap. 1, *de Sponsa duor.*); 3° *liber* a coactione, et metu gravi injusto (cap. 14, 29 h. t.); 4° *simultaneus*, saltem moraliter, ne interim tempore intermedio ab uno revocetur ; 5° *expressus* ab ipsis contrahentibus : et ideo parentes, licet pro liberis suis contrahere possint sponsalia, non tamen matrimonium, quod fortiorem obligationem, et majora gravamina post se trahit ; ut proinde dispositio cap. unic., § fin., *de Despons. impub.*, utpote correctoria juris naturalis, non sit extendenda ad matrimonium. 6° Consensus matrimonialis debet esse verbo, vel alio signo æquivalente, *extrinsece manifestatus :* tum quia matrimonium est contractus humanus, qui verbis,

aut signis exterioribus perficitur ; tum quia est simul sacramentum, quod signo visibili, seu sensibili constare debet. Decens tamen est ut personæ loqui valentes consensum suum verbis claris exprimant, maxime si alias scandalum oriretur, vel dubium de valore matrimonii. Hoc, et non plus colligitur ex cap. 25, hoc tit., c. 3, *de Spons. duor.* Interpreti, quo mediante, contrahitur, integre credendum est ; cum sit communi contrahentium voluntate electus.

II. An, et quod matrimonium sit sacramentum ?

Resp. 1. Matrimonium fidelium in lege Christi est verum sacramentum : ita contra sectarios definitum est in conc. Florent. in decreto un., § quinto et § septimo; Trident., sess. 7, can. 1, *de Sacram.*, et sess. 24, can. 1. Quæ definitio fundatur in perpetua traditione, a Christo Domino accepta, et in verbis Apostoli (Ephes., v, in fin.) : « Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo, et in Ecclesia. » Ratio est, quia, ut docet Trident. cit. sess. 24, *in doctrina de sacr. matrim.*, matrimonium confert gratiam, quæ naturalem conjugum amorem perficit, indissolubilem unitatem confirmat, conjugesque sanctificat, et ad sustinenda onera matrimonii corroborat; ergo (1). Videtur autem hoc sacramentum institutum, vel illo tempore quo Christus nuptiis interfuit (Joan., II), vel dum, sublato libello repudii, voluit matrimonium esse insolubile ; vel complete post resurrectionem suam, dum multa locutus est de regno Dei, seu statu Ecclesiæ.

His non obstat cap. 3 *de Presbyt. non baptiz.*; nam ibi dicitur quod aliqua, quæ in Ecclesia sunt sacramenta, ab infidelibus more profano, et materialiter recipi possint, ut Eucharistia, et matrimonium in ratione contractus civilis.

Resp. 2. Essentia metaphysica sacramenti matrimonii consistit in conjunctione maritali, significativa et collativa gratiæ ; physica vero in materia et forma : et quidem corpora conjugum sunt materia remota ; proxima vero est consensus externus, ut habet vim traditionis ; forma autem est idem recipro-

(1) *Syllab.* Art. 45. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.
Litt. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

cus consensus, ut habet vim acceptationis, determinantis traditionem, seu materiam. Denique ministri hujus sacramenti sunt ipsi contrahentes, non vero sacerdos : ita vera sententia contra Canum : nam ille est minister matrimonii, qui illud efficit ; sed ipsi contrahentes efficiunt sacramentum matrimonii, quia per cit. Flor. § septimum, causa efficiens matrimonii est mutuus consensus : sacerdos vero est tantum testis ab Ecclesia deputatus, qui benedictionem conjugibus impertit; ergo : tum quia ante Trid. matrimonium fuit sacramentum, et tamen absque sacerdote contrahi potuit (Trid., s., 24, c. 1, *de Ref. matr.*).

Resp. 3. Matrimonium est sacramentum transiens, seu consistens in actuali usu ; non vero permanens, sicut Eucharistia : ita Bosco, Schmier, etc., contra Sanch., Laym., et alios : nam sacramentum novæ legis est signum practicum ex opere operato collativum gratiæ, sed talis gratia confertur conjugibus in ipso actuali contractu, non vero ex opere operato in ipsa copula carnali, ut communis docet ex can. 4, 32, *Connubia*, q. 2, ibi : « Non tamen tempore illo quo conjugales actus geruntur, præsentia sancti Spiritus dabitur ; » ergo. Ex quo patet disparitas a sacramento Eucharistiæ, quæ in usu sui sanctificat ex opere operato.

Dices : Matrimonium semper significat insolubilem unionem Christi cum Ecclesia : ergo semper est sacramentum. Resp. Significatio ista speculativa non competit præcise ex eo quia sacramentum est, alias etiam competeret matrimonio rato ; sed ex eo quia matrimonium, quod susceptum fuit ut sacramentum, per copulam consummatum est. Ut vero quid sit proprie sacramentum, debet esse signum practicum significativum gratiæ.

Resp. 4. Matrimonium fidelium non est duplex, sed unicum sacramentum : nam inter duos unicus est contractus, ad rationem sacramenti elevatus ; ergo et unum sacramentum : unde si ex dispensatione apostolica fidelis contraheret cum infideli sicut S. Monica cum Patritio patre S. Augustini, Clotildis cum Clodovæo Francorum rege, probabilius ex parte neutrius est sacramentum : nam cum sit unum sacramentum, unusque contractus, deberet esse totum, seu unum in utroque ; sed in infideli non potest esse sacramentum, ergo nec in fideli.

Nec obstat textus ex I Cor., VII, 14, nam vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem, non sanctitate sacramentali, sed legali, seu

legitima, quatenus proles legitimæ sunt; item externa, et occasionali, quia ex cohabitatione datur occasio conversionis ad fidem.

Resp. 5. Matrimonium conversorum ad fidem non transit in sacramentum proprie tale : ita Bosco, Schmalz., contra Sanch. et alios, qui volunt transire ipsa baptismi susceptione, et contra Bellarm., Laym., etc., volentes transire dum prior consensus post baptismum renovatur. Prob. ex dictis, quia actualis contractus matrimonii elevatus est ad rationem sacramenti; sed contractus iste non fit tempore baptismi, neque post baptismum, cum supponatur factus in infidelitate; ergo.

Dices : Juxta S. D. in 4, d. 39, q. un., a. 3 ad 1, infidelium matrimonium est sacramentum non actu, sed habitu, seu aptitudine, et post baptismum fit ratum. Resp. S. D. loqui de sacramento, non stricte et proprie, prout est signum practicum collativum gratiæ, sed late, prout est signum speculativum significans insolubilem unionem Christi cum Ecclesia; cujusmodi signa sunt omnia matrimonia consummata fidelium.

Resp. 6. Fideles, etiam post Tridentinum, contrahere possunt per procuratorem matrimonium in ratione sacramenti; ita com. contra Durand., Can., etc.; nam matrimonia a fidelibus contracta sunt sacramenta, ut definit Flor. et Trid., l. cit.; sed matrimonia contrahi possunt a fidelibus per procuratorem, c. fin. *de Procur.*, in 6, cujus dispositio non adversatur Tridentino, cum procurator nomine principalis contrahere possit coram parocho proprio et testibus; ergo. Idem dic de litteris continentibus consensum matrimonialem; quia et istæ litteræ exhiberi possunt parocho et testibus, et coram eis reciprocus consensus dari : cæterum, ut tale matrimonium valeat, requiritur in procuratore speciale mandatum, quod propter arduitatem negotii submandari non potest : et ne interim principalis tempore intermedio suum consensum revocet (cit. cap. fin.).

Dices : 1° Pœnitentia, ordo, et alia sacramenta non possunt suscipi per procuratorem; ergo nec matrimonium, maxime cum principalis, eo tempore quo contrahitur, posset dormire, et nihil cogitare de matrimonio. 2° Consensus matrimonialis est personalissimus; ergo suppleri non potest per procuratorem, sicut nec consensus tutoris. Resp. ad 1. Neg. cons., nam cætera sacramenta non imitantur naturam contractus, neque in eis verificaretur forma : « Ego te absolvo, » etc.; econtra

matrimonii sacramentum sequitur naturam contractus, nec habet formam determinatam per certa verba, cum sufficiant quæcumque æquivalentia signa. Illa autem verba : « Ego vos copulo, » sunt cæremonia accidentalis et verificari possunt hoc sensu : Ego vos nomine procuratorio contrahentes copulo. Quod principalis eo tempore dormiat, non officit, quia consensus ipsius moraliter perseverat in mandato, et dormiens, modo aliunde impeditus non sit, gratiam recipere potest. Ad 2. Dist. antec. est personalissimus per exclusionem procuratoris, neg. antec. per exclusionem alterius, qui sine mandato speciali contrahat, conc. antec. quod tutor substituere sibi nequeat subtutorem, specialiter a jure introductum est favore pupillorum, cum datio tutoris legi reservetur ; quod jus et ratio non currit in contrahentibus matrimonia.

Resp. 7. Fideles contrahendo validum matrimonium, non possunt rationem sacramenti separare a contractu matrimoniali (1) : ita Petr. de Ledesm., Laym., Sanch., Schmalz. et alii ; quorum sententia mihi videtur probabilior, licet aliquando oppositam defenderim cum Gonet, Vasq., Dicastill., etc. Prob. ex cit. Flor., § septim., et Trid., sess. 24, can. 1, ubi generaliter, et indistincte matrimonium fidelium dicitur esse vere et proprie sacramentum : sed hæc definitio conciliaris non esset vera, si aliqua matrimonia valide a fidelibus contracta non essent sacramenta ; ergo omnia sunt sacramenta : vel si sacramenta non sunt, neque sunt vera matrimonia (2). Ratio est,

(1) *Syllabus*. Art. 66. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. apost. *Ad Apostolicæ,* 22 augusti 1851.

Art. 73. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium ; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

Lettera di S. S. Pio IX al re Sardaigna, 19 settembre 1852.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860.

Sequitur quod causæ matrimoniales spectent ad forum ecclesiasticum, juxta 74 *Syllabi.*

Art. 74. Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.

(2) Vide etiam litt. *Apostolicæ* Pii IX, 22 aug. 1851 ; epist. ejusdem Pontif. ad regem Sardiniæ, 9 sept. 1852 ; allocut. *Acerbissimum,* 27 sept. 1852, tandem *Syllab. err.*, art. 66. Quare doctrina illorum qui putabant in christianorum matrimonio contractum a sacramento dividi posse, *falsa* seu *erronea* reputari debet.

Sequitur *matrimonium civile,* in locis ubi promulgatum fuit Conc. Trid., esse pro

quia Christus matrimonium in ratione contractus validum elevavit ad rationem sacramenti, seu voluit esse sacramentum, et cons. conditionem ei apposuit, ut, si fideles valide illud contrahere velint, contrahant illud modo christiano cum ratione sacramenti, non vero more ethnico in ratione puri contractus; ergo matrimonium a fidelibus contractum semper est sacramentum; vel si hoc non est, neque est validum matrimonium: tum quia non est credibile Christum Dominum in arbitrio fidelium reliquisse ut pro placito suo matrimonia contrahant cum vel sine ratione sacramenti.

Dices : 1° Juxta Florentin. intentio est necessaria ad valorem cujuscumque sacramenti; sed contrahentes matrimonium possunt habere positive contrariam intentionem non conficiendi sacramentum, maxime si sint hæretici, negantes matrimonium esse sacramentum. 2° Christus elevando res ad sacramenta, non sustulit naturam physicam vel moralem illarum; ergo neque sustulit valorem matrimonii in ratione contractus. 3° Ex nullo jure constat quod conditio sacramenti annexa sit matrimonio fidelium modo irritativo, ut matrimonium secus contractum sit nullum in ratione contractus. Resp. ad 1. Fideles, uti et hæretici, habent generalem intentionem contrahendi matrimonia more christianorum; et cons. in ratione sacramenti, cui intentioni non prævalet privatus error quo cogitant, vel matrimonium non esse sacramentum, vel illud a se non contrahi in ratione sacramenti. Quod si autem nec generalem intentionem habeant contrahendi more christianorum, sed contrahere velint more ethnicorum, tunc quidem, fateor, non conficiunt sacramentum, ex defectu intentionis, ut sanior TT. sententia tenet, sed neque conficiunt matrimonium in ratione contractus validum: tum quia non observant conditionem a Christo annexam, tum quia sequeretur talem contractum non esse sacramentum ex doctrina adversariorum, et esse sacramentum ex doctrina conciliorum docentium omne matrimonium a fidelibus contractum valide, esse sacramentum, cum Christus matrimonium in Ecclesia validum elevaverit ad rationem sacramenti. Sicut ergo in lege Christi repugnat ut matrimonium ponatur validum in ratione sacramenti, et invalidum in ratione contractus, ita quoque repugnat ut matrimonium ponatur validum in ratione contractus, et invalidum in ratione sacramenti; cum ista duo Christus inseparabiliter conjunxerit (Sanch., l. II, *de Mat.*, disp. 10, in fin. Ad 2. Nihil quidem sustulit, sed tamen annexuit conditionem sacramenti,

catholicis omnino invalidum : Bened. XIV, const. *Redditæ sunt nobis*. Vide etiam instr. S. Pœnit. 15 jan. 1866 (Apud de Angelis, h. t. n. 13).

Tamen notandum quod potestas civilis valet 1° imponere quasdam conditiones, ut matrimonia habeant effectus civiles determinatos; 2° habet *jus registrandi* matrimonia, etc.

ut contractus iste validus esset sacramentum ; ergo si fideles volunt contrahere valide, debent etiam velle conficere sacramentum. Sic ordinatio clericorum, si non valet ut sacramentum, neque valet ut actus civilis deputans ad ministeria clericalia. Unde phrasis ista : « Christus non immutavit naturas rerum ad sacramentum elevatarum, » sane est intelligenda quod scil. ratio sacramenti non destruat, sed elevet essentias rerum ; non vero quod ea quæ attento jure naturali valide fierent, etiam valide fiant in Ecclesia Christi sine ratione sacramenti, ut probari potest per omnia sacramenta. Sic etiam Tridentinum, irritando matrimonia clandestina, non sustulit naturam matrimonii, sed determinavit ; et tamen hodie matrimonia clandestina, sicut non valent in ratione sacramenti, ita neque valent in ratione contractus. Ad 3. Eodem jure quo constat matrimonium validum elevatum esse ad rationem sacramenti, etiam constat per necessariam consequentiam nullum in Ecclesia Christi matrimonium valide contrahi quod non sit sacramentum. Vel adversarii ostendant exceptionem, aut dicant concilia temere loqui, dum sine exceptione definiunt matrimonia fidelium, utique valida, esse vere et proprie sacramenta ; quæ definitio non esset vera, si vel unum matrimonium, valide a fidelibus contractum, non esset sacramentum. Dices : Valida est baptizatio physica, etsi non sit sacramentum ; ergo etiam validus est contractus matrimonii, etsi non sit sacramentum. Resp. istam paritatem non esse ad rem : nam baptizatio non elevatur ad lavandum corpus, sed ad lavandum animam a peccatis : sine ratione autem sacramenti aqua, nec physice, nec moraliter, lavat animam : et similiter matrimonium in lege Christi, sine ratione sacramenti, moraliter non ligat animam, licet physice ponatur consensus internus et externus, sicut physice ponitur baptizatio corporis, in quo paritas ista currit, non vero in valore de quo loquimur : secus etiam ordinatio sacerdotum, de jure naturali sufficiens, sine ratione sacramenti sufficeret ad sacerdotium novæ legis christianæ, quod unice volunt sectarii (1).

III. Qui sint effectus et proprietates matrimonii?

Resp. seq. 1° Vinculum conjugale, quod ex natura sua relativum est, dicens habitudinem mariti ad uxorem, et econtra, S. D. in *Supplem.*, q. 44, art. 1. Et per tale vinculum ex mutuo, maritali consensu resultans constituitur matrimonium in facto esse, seu status conjugalis ex natura sua continens individuam vitæ societatem ; ac proinde vinculum istud ab intrinseco, ex natura sua, seu de jure naturali est indissolubile, ut infra dicam tit. *de Divortiis*.

(1) Hanc quæstionem exactius discutit Benedictus XIV, in opere *de Synodo*, et Amort in *Theologia* (Girald.).

2° Bonum fidei conjugalis, seu jus maritale, aut mutua potestas in corpora, vi cujus conjuges obligantur mutuam amicitiam et amorem sibi exhibere, communiter in eadem domo habitare, communi mensa et toro uti, debitum sibi reddere, et nulli extraneo commisceri, vel copulari per nuptias ; et ideo de jure naturali contrahunt impedimentum ligaminis dirimens alias nuptias. Quæ omnia expressit Deus (Genes., II, 24) : « Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una ; » eademque inculcat Apostolus (I Cor., VII). Ex mutuo tamen consensu, jura ista restringi vel remitti possunt, quatenus subjacent potestati conjugum, ut jus cohabitandi, exigendi debitum, modo absit periculum incontinentiæ.

3° Bonum prolis, quæ fit legitima, ali, et christiane educari debet a parentibus.

4° Bonum sacramenti, vi cujus conjuges recipiunt gratiam sanctificantem cum jure ad specialia auxilia bene et sancte vivendi in hoc arduo statu, ejusque onera sustinendi. Quod si conjuges in peccato mortali contrahant matrimonium, peccant gravi peccato sacrilegii : juxta nonnullos duplici, vel uno æquivalente duobus, quatenus indigne sibi administrant et recipiunt sacramentum : probabile tamen est, quod, remoto obice, gratia matrimonii eis conferatur, cum sacramentum matrimonii virtualiter perseveret in vinculo conjugali, atque ita capax sit suum producere effectum. Ex bono sacramenti, quatenus ordinati ad consummationem matrimonii, oritur etiam absoluta et omnimoda indissolubilitas, ita ut matrimonium consummatum nulla potestate humana, etiam Summi Pontificis dissolvi possit ; quia Christus Dominus voluit unionem suam indissolubilem, quam habet cum Ecclesia per carnem, significari per matrimonium consummatum, ut docet Apost. (Eph., V, 32), Trid., sess. 24, in doctr. *de Sacr. matrim.*, et can. 5 et 7. Et hi sunt præcipui effectus matrimonii utrique conjugi communes. Speciales autem effectus ex parte mariti sunt : potestas maritalis, vi cujus maritus est caput uxoris, quæ non ut ancilla, sed ut socia subordinata, tenetur marito obedire in his quæ pertinent ad curam domesticam, et rectam familiæ administrationem : item potestas patria respectu liberorum, de qua

fuse agunt civilistæ. Ex parte uxoris, speciales effectus sunt, quod uxor coruscet radiis mariti, participando ejus nobilitatem, dignitatem, privilegia fori, sessionis, immunitatis, domicilii, etc., de quibus consule civilistas.

IV. Quid juris circa petitionem et redditionem debiti ?

Resp. 1. Obligatio reddendi debitum, si ab altero conjuge petatur, ex genere suo est gravis, regulariter sub mortali obligans, nisi justissima causa excuset (I Cor., VII, 3; Gen., II) : « Crescite, et multiplicamini : » nam obligatio ista est justitiæ orta ex contractu matrimoniali graviter obligatorio. At petere debitum per se neuter conjux obligatur ; quia nemo obligatur jure suo uti. Per accidens, si altera pars ex verecundia non petat, ad removendum periculum incontinentiæ, saltem ex charitate obligatur alter ad petendum debitum ; quia tunc petere, moraliter est reddere debitum.

Resp. 2. In dubio de valore matrimonii, eadem observantur quæ in dubio dominiorum, possessionum, et similium jurium. Et quidem 1° in dubio positivo, dum pro et contra adsunt rationes probabiles, uterque licite petit et reddit debitum : nam ob rationem solum probabilem neuter privatus est commodo possessionis : et aliunde opinio vere probabilis de valore matrimonii contracti excludit periculum fornicationis formalis. 2° Qui bona fide contraxit matrimonium, et superveniente dubio, incipit dubitare de valore illius, si adhibita sufficienti diligentia, veritatem comperire nequeat, deposito hoc dubio speculativo, licite petit et reddit debitum : nam ob superveniens dubium non debet deturbari ex possessione bona fide acquisita (Reiff., *Theolog. moral.*, tract. 4, dist. 13, num. 84, cum aliis ibi cit.). 3° Si unus bona, et alter mala fide contraxit, veritate non comperta, bonæ fidei conjux debitum petere potest ob rationem mox datam ; at malæ fidei conjux, qui suspicionem habens de impedimento latente mala fide matrimonium contraxit, debitum petere non potest, quia ex contractu malæ fidei non acquisivit jus petendi et utendi ; reddere tamen debitum debet, ut communior docet contra Sotum, quia conjux bonæ fidei non debet privari jure et commodo possessionis ob malam fidem alterius, donec probetur matrimonium esse nullum. Si vero uterque

mala fide contraxit, neuter petere et reddere potest debitum, ob eamdem rationem; quo sensu procedit cap. 44, *de Sentent. excom.*, 4. Si uterque dubitare incipit de valore matrimonii bona fide contracti, probabilius ante sufficiens examen neuter licite potest reddere aut petere debitum : ita Sanch. et alii contra Cordub., Henriq., etc. docentes licitum esse reddere, sed non petere : nam possessio dubia, non præmissa sufficienti investigatione veritatis, non tribuit jus utendi, sed deficiente tali jure, alter nec tenetur, nec potest dare usum corporis; ergo. Nec est paritas a conjuge ligato per votum castitatis : nam talis in materia justitiæ habet jus exigendi debitum, licet peccet in materia religionis ; et cons. altera pars licite eire ddit debitum.

V. Quis parentum teneatur alere proles?

Resp. 1. Pater mox a nativitate, imo existentibus in utero, tenetur providere de alimentis : ita verior sententia ex lib. V, § 1, et seq. ff. *de Agnoscend. et alend. liber.*, et lib. VIII, eod. ubi onus alendi liberos generaliter attribuitur patri, et lib. V, ff. *de Ventre in poss. mitt.*, ubi jurisconsult. ait : « Curator ventris alimenta mulieri statuere debet; quia videntur, quæ ita præstantur, ipsi præstari qui in utero est. » Nec obstat lib. IX, *Cod. de patria potest.*, ex qua nonulli volunt matrem obligari usque ad triennium alere proles : nam lex ista, ut bene advertit Lauterbach, Schmier et alii, procedit de alimento lactis et cura infantis, non vero de aliis alimentis, quæ etiam in utero existenti pater præstare tenetur. In defectum patris ad alendos liberos obligantur ejus ascendentes; et tandem mater (cit. lib. V, § 2 et 1 ff. *de Agnosc. liber.*). Si vero liberi aliunde sufficientem sustentationem habeant, excusatur pater ab eorum sustentatione; uti etiam si ingratitudinis delictum in patrem committant (lib. V, § 7 et 2 eod.). Porro nomine alimentorum venit victus, vestitus, habitatio, medicamenta, et cætera quibus tuendi, curandive corporis nostri gratia utimur (l. XLIV, ff. *de V. S.*). Et quamvis de jure civ. (Nov. 89, cap. 15) aut ex complexu c. *de Incest. nupt.*, prohibeantur alimenta dari spuriis, seu ex damnato coitu natis; hoc tamen correctum est per jus can., cap. 5, *De eo qui duxit*, ubi jubentur tales liberi sustentari; cum jure naturali con-

trarietur prolem, quæ non deliquit, ab alimentis parentum arceri.

VI. An matrimonium sit in præcepto?

Resp. Respectu communitatis humanæ est in præcepto, non vero respectu singulorum hominum. Ratio 1[a], quia Deus præcepit speciem humanam propagari, et ita conservari (Gen., II) : « Crescite, et multiplicamini » ; ergo hoc præceptum afficit communitatem generis humani : et ideo in casu necessitatis posset is qui communitati præsidet, aliquos cogere ad matrimonium. Ratio 2[a], quia non est necesse ad conservationem generis humani ut singuli matrimonio jungantur : imo hodie, dum terra repleta est hominibus, expediet ut cœlum repleatur virginibus.

VII. An concubinatus, in quo unicus cælebs unicæ cælibi jungitur absque contractu maritali, sit licitus?

Resp. negative : nam licet olim jure civili permissus fuerit, jure tamen naturali, divino et canonico damnatur, cum foveat peccatum mortale tanto gravius et perniciosius, quanto concubinatus est diuturnior (can. 6, *Audite*, d. 44, can. 2, *Meretrices*, 32, q. 4). Unde concubinarii, donec deserant occasionem proximam peccandi, non sunt absolvendi in sacramento pœnitentiæ, de quo plura TT. et Trident. sess. 24, c. 8, *de Reform. matrim.* Nec obstat canon 4, cum seq. d. 34, nam loquitur de uxore ducta sine solemnitatibus civilibus, quæ in sacris litteris et in jure sæpe dici solet concubina, licet re ipsa sit vera uxor.

SECTIO III.

De impedimentis matrimonii.

Cum in matrimoniis maxime spectanda sit honestas (l. XLII, ff. *de Ritu nuptiar*)., recte jus induxit certa impedimenta, seu obstacula moralia, quibus certa matrimonia ob quamdam indecentiam iniri vetantur : et de his in præsenti.

I. An detur in Ecclesia, et penes quem resideat potestat inducendi impedimenta matrimonii?

Resp. 1. Potestas ista datur in Ecclesia : ita sub anathemate definivit Trid. sess. 24, can. 4; nam præscribere formam con-

tractui, ad rationem sacramenti elevato, non excedit potestatem Ecclesiæ, cum Christus Dominus hoc ipso, quod non determinaverit qui contractus matrimonii sit legitimus, censeatur talem determinationem specificam reliquisse arbitrio Ecclesiæ; ergo.

Resp. 2. Potestas inducendi impedimenta dirimentia matrimonii residet in solo Papa : ita com. ex continuo usu Ecclesiæ; nam negotium istud circa talia impedimenta est unum ex gravioribus ; ergo merito reservatur Sedi Apostolicæ : unde prælati Papa inferiores, licet ex justa causa interdicere possint matrimonia, seu aliqua impedimenta impedientia statuere, non tamen dirimentia ; cum potestas ista nullo jure sit eis attributa (1).

Resp. 3. Princeps politicus, sive fidelis, sive infidelis, non potest fidelibus statuere impedimenta dirimentia matrimonii (2); bene vero infidelibus sibi subjectis : ita com. cum S. D. in 4, d. 42, art. 2, ad 4, 1. — Ratio I. Quia contractus matrimonii, propter conjunctionem cum sacramento, est res spiritualis subducta a potestate politica, et attributa soli potestati ecclesiasticæ (Trid. sess. 24, can. fin.), neque fideles in contrahendis matrimoniis subduntur regibus, sed Pontificibus; ergo. — Ratio II. Quia matrimonia infidelium sunt purus contractus humanus et civilis, cui princeps certam formam præscribere potest : ergo, et impedimenta statuere, quorum plura videre est tit. ff, *de Ritu nupt.*

Resp. 4. Consuetudine induci et abrogari possunt impedimenta dirimentia matrimonii, etsi consuetudo ista non sit expresse approbata a Papa (3) : ita communior ex reg. generali

(1) Vide Bened. XIV, *de Synod. diœces.*, l. XII, c. v, n. 2.

(2) Sequitur a fortiori potestatem inducendi impedimenta dirimentia, quam habet Ecclesia, non esse mutuatam a civilibus potestatibus. Vide litt. apost. *Ad Apostolicæ* Pii IX, et *Syllab. error.* 69 et 70; conf. etiam const. *Auctorem fidei* Pii VI, in condemnat. prop. 59 et 60 de matr., et in brevi ad episcop. Motulus. 16 sept. 1788, etc.

(3) Vide De Angelis, qui docet consuetudinem, etiam *generalem*, non innotescere nisi ex expressa approbatione Summi Pontificis (h. t. n. 15).

Syllabus. Art. 68. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

Art. 69. Ecclesiæ sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

Art. 70. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui

cap. fin. *de Consuetud.*, ubi approbatur omnis consuetudo rationabilis, et legitime præscripta; sed consuetudo qua inducuntur, vel abrogantur impedimenta solo jure ecclesiastico dirimentia matrimonium, potest esse rationabilis, et legitime præscripta, seu legitimo tempore durans, sicut cap. 1 et 3, *de Cognat. spirit.*, jubetur observari consuetudo circa impedimentum cognationis spiritualis; ergo. Ex hoc capite multi DD., præsertim Germani, docent matrimonia hæreticorum in Germania, quæ contracta sunt cum solo impedimento juris ecclesiastici, esse valida, quia leges connubiales, saltem quoad vim irritativam, abrogatæ videntur per contrariam consuetudinem, quæ in his circumstantiis reputatur rationabilis ob bonum commune, ne plurima matrimonia dissolvantur, filii pro spuriis habeantur, atque incapaces sint officiorum publicorum et beneficiorum, ne pax, et tranquillitas publica turbetur, præsertim si nullo modo speretur observantia sacr. canonum.

Dices : 1° Consuetudines istæ reprobantur cap. 1 h. t. et c. 5, *de Consanguin.* 2° Sequeretur quod sacerdotes apostatæ valide contrahant matrimonia in terris hæreticorum. 3° Consuetudo (cap. 1 et 3, *de Cognat. spirit.*) ideo sustinetur, quia expresse approbatur a Papa. — Resp. ad 1. C. h. t. prætexebatur lex, aut consuetudo contraria juri divino, vi cujus matrimonium rite contractum dissolveretur. Cap. 5 cit. procedit de consuetudine irrationabili, et legitime non præscripta, quam præsumptores inchoare attentarunt. Ad 2. Neg. seq. ; nam quoad matrimonia sacerdotum et religiosorum non est inducta consuetudo, sed potius consuetudo contraria observatur : siquidem isti ad Ecclesiam reduces separantur ab uxoribus putatitiis, et hæ ad alias nuptias transire permittuntur. Ad 3. Approbatio ista est solum declarativa legitimæ consuetudinis, quæ ante ullam personalem approbationem vim suam habuit (1).

Resp. 5. Papa ex gravi causa potest inter duas personas interdicere matrimonium sub nullitate, seu cum decreto irri-

facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

Art. 71. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

(1) Vide De Angelis (h. t. n. 16) circa *voluntatem* Ecclesiæ hæreticos adigere seu obligare intendentis.

tante, v. g. si magna sit inæqualitas contrahentium, timor discordiarum, scandalorum, etc.; nam Papa, cum possit respectu omnium, etiam potest respectu duorum ponere impedimentum dirimens : imo in pœnam gravissimi delicti, præsertim si pendeat in futurum, et timeatur continuandum in posteris, potest aliquem perpetuo inhabilitare, ne matrimonium contrahere possit, sicut, teste Calderin., Urbanus V inhabilitavit Barnabonem, vice-comitem Mediolanensem, ejusque liberos Ecclesiæ rebelles. Cæterum ut licite, imo et valide statuantur impedimenta dirimentia, requiritur justa causa, quia matrimonium est juris naturalis permissivi respectu singulorum; quod jus tolli non potest, vel mutari absque justa causa.

II. Qui obligentur legibus et impedimentis nuptialibus?

Resp. 1. Si impedimenta sunt juris naturalis et divini, iis ligantur omnes homines, etiam infideles : nam ab obligatione juris naturalis et divini nemo eximitur. 2. Impedimentis juris ecclesiastici ligantur soli fideles, seu baptizati, etiam regulariter hæretici : nam hi omnes subduntur Ecclesiæ, ejusque legibus. At infideles, ut judæi et pagani, cum sint extra Ecclesiam, non ligantur his legibus; bene vero illis quæ a Papa, ut principe politico, aliisque principibus eis præscribuntur.

III. Quotuplicia sint impedimenta?

Resp. 1. Duplicia : *dirimentia,* quæ vitiant valorem matrimonii, ut hoc valide non contrahatur; et *impedientia tantum,* quæ obstant honestati, ut matrimonium valide quidem, non tamen licite contrahatur : et in his locus est regulæ : « Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, » ex cap. 16 *de Regular.*

Resp. 2. Utraque hæc impedimenta dividuntur in ea quæ sunt juris naturalis, et quæ juris canonici seu positivi. De jure naturali tantum impedientia sunt votum et sponsalia, quia res uni promissa, licite et honeste alteri non traditur : dirimentia vero sunt *error personæ, ætas infantilis, impotentia, ligamen,* et *consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ :* nam priora quatuor ex natura sua adversantur substantiæ matrimonii : ultimum vero, ob perpetuam turpitudinem quæ reperitur in matrimonio patris cum filia, et filii cum matre,

irritat ejusmodi matrimonium : cætera sunt juris positivi. Et quidem de jure civili Romano varia inducta fuerunt impedimenta dirimentia, v. g. liberi sine consensu patris non poterant inire matrimonium; senatores, eorumque liberi cum libertinis; tutor, et ejus filius cum pupilla; præses provinciæ cum femina provinciali; et plures alii non valebant certa matrimonia contrahere, ut fuse refertur tit. ff. *de Ritu nuptiar.;* sed in Ecclesia Christi hæc impedimenta non curantur, nisi illa quæ a sacris canonibus recepta et approbata sunt.

IV. Quæ in Ecclesia sint impedimenta impedientia matrimonii?

Resp. De jure hodierno sunt tantum quatuor : Ecclesiæ vetitum, feriæ, sponsalia, votum. De jure antiquo erant duodecim, scilicet impedimentum ex catechismo, et ex septem criminibus. De impedimento sponsalium et voti simplicis castitatis agetur tit. IV et VI; de reliquis omnibus tit. XVI, quo te remitto.

V. Quot, et quæ sint impedimenta dirimentia?

Resp. De jure antiquo sunt duodecim, vel quatuordecim, si triplicem cognationem numero distinguas. His de jure novo Trid. adduntur duo : clandestinitas et raptus : ætas vero impuberum reducitur ad impotentiam. Hæc impedimenta comprehenduntur his antiquis versiculis :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si parochi et duplicis desit præsentia testis,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto :
Hæc facienda vetant, connubia cuncta retractant.

Error hic intelligitur circa individuum personæ; *conditio* significat servitutem; *votum* professionem religiosam; *cognatio* propinquitatem personarum legalem, spiritualem et carnalem; *crimen* machinationem in mortem alterius conjugis, vel adulterium cum promissione matrimonii; *cultus disparitas* religionem aliam a christiana; *ordo* tres sacros ordines; *ligamen* vinculum matrimoniale cum alio; *vis* metum; *honestas* impedimentum publicæ honestatis; *si sis affinis* impedimentum affinitatis; *si forte coire nequibis* impedimentum impotentiæ : cætera verba significant impedimentum clandestinatis et rap-

tus. Ex his impedimentis quædam habent suos proprios titulos : nam de *ætate* agitur tit II, *de clandestinitate* tit. III, *de ligamine,* tit. IV, *de conditionibus adversis matrimonio* tit. V, *de conditione servili* tit. IX, *de voto* et *sacro ordine* tit. VI, *de crimine* tit. VII, *de cognatione* tit. XI, XII et XIV, *de impotentia* tit. XV. Reliqua non habent proprios titulos in jure, sed quædam insinuantur hoc tit. ac proinde hic mihi videbatur agendum de errore, vi seu metu, raptu, dispari cultu, et justitia publica.

IMPEDIMENTUM ERRORIS.

Hic revoca ex dictis lib. III, tit. XIV, errorem in contractibus alium esse *substantialem,* qui versatur circa ipsum objectum substantiale; alium *accidentalem,* qui versatur circa accidentia et circumstantias objecti. Uterque vel est *antecedens,* seu dans causam contractui, quo præcognito, contractus non fuisset celebratus ; vel *incidens,* seu concomitans, quo præcognito, nihilominus contractus fuisset celebratus.

VI. Quis error dirimat matrimonium ?

Resp. 1. Error substantialis circa individuum personæ reddit matrimonium ipso jure naturali nullum : ita com. ex can. un. 29, q. 1, ibi : « Error personæ conjugii consensum non admittit ; » nam ad valorem matrimonii requiritur consensus, sine quo certe nequeunt fœdus perficere conjugale (cap. 26 h. t.); sed stante errore substantiali circa individuum personæ, nullus adest consensus, quia « errantis nulla est voluntas, nullus consensus » per l. VIII, IX, c. *de J. et F. ignor.;* ergo. Instantiam habes in omnibus contractibus in quibus error circa substantiam objecti causat invaliditatem actus, ut si emas poculum aurichalcinum putans esse aureum, aquam coloratam pro vino, etc. Porro cum impedimentum istud sit juris naturæ, locum habet etiam in infidelibus ; neque ab Ecclesia tolli potest, cum Papa consensum personalem supplere nequeat.

Dices : 1° Sine consensu stat matrimonium in eo qui contrahit sub conditione impossibili (cap. fin. *de Condit. apposit.*), et in eo qui ante Trid. sponsam de futuro cognovit (c. 30 h. t.). 2° Jacob contraxit cum Lia, licet cogitaverit esse Rachelem. 3° Error personæ non invalidat reliqua sacramenta ; ut si puer baptizetur, cum tamen sit puella. — Resp. ad 1. In utroque casu, si verus consensus defuit, non est verum

matrimonium, sed tantum præsumptum; quæ præsumptio in foro poli cedit veritati. Ad 2. N. a.; nam contractus iste a principio fuit invalidus, deinde autem Jacob expresse consensit in Liam. Ad 3. N. c.; nam in cæteris sacramentis non attenditur hæc vel ista persona, sed solum præsens, quæcumque illa sit, nisi minister intentionem suam restringeret ad hoc individuum personæ; econtra in matrimonio attenditur hæc individua persona, cum contrahentis intersit sociam tori habere illam in quam consentit.

Resp. 2. Error substantialis, non tantum antecedens, sed etiam incidens, relinquit matrimonium invalidum : ita com.; nam licet error incidens non faciat involuntarium, sed potius secum trahat voluntarium habituale, tamen non causat actuale et positivum voluntarium, seu consensum ad valorem matrimonii requisitum; ergo tali casu, ex defectu consensus, matrimonium est invalidum; ut si contraxisti cum Caja, quam cogitasti esse Bertham, et nihilominus contraxisses cum Caja, si scivisses esse Cajam : hic enim, ut vides, non fuit actualis contractus celebratus cum Caja, sed tantum fuisset celebratus, si notitia Cajæ adfuisset.

Resp. 3. Error circa qualitatem et circumstantias personæ, sive sit antecedens, sive incidens, per se et regulariter non vitiat valorem matrimonii : ita com. ex can. un. in fin. 29, q. 1, ibi : « Error fortunæ et qualitatis non excludit consensum; » nam stante tali errore, absolute et voluntarie consentitur in hanc numero personam; qui consensus sufficit ad valorem matrimonii, licet secundum quid sit involuntarius circa accidentia et causas impulsivas; ut circa nobilitatem, divitias, sanitatem, etc., cum quibus matrimonium non contrahitur; ergo. Præterea bonum commune suadet talia matrimonia sustineri : cum enim error circa accidentia sæpe interveniat in contractu nuptiali, multa matrimonia deberent dissolvi cum ingenti prolium et reipubl. damno, et scandalo publico. Excipe 1° nisi qualitas deducta sit in conditionem, ut : « Duco te, si es nobilis, dives, » etc., tunc enim deficiente conditione, deficit matrimonium. In dubio non censetur qualitas deducta in conditionem, quia matrimonia conditionata non solent admitti. Excipe 2° nisi qualitas redundet in substantiam, seu individuum personæ, quia hoc casu non est error mere accidentalis, sed

substantialis, circa personam, quatenus vestitam hac qualitate (S. D., 1 p. q. 29, a. 1). Quando autem qualitas redundet in substantiam personæ, difficile est dignoscere. Sanchez hanc regulam subministrat : Si persona, prius non visa, per certam qualitatem designetur, animoque apprehendatur, tunc error in qualitate redundat in errorem personæ, v. g. Titius ob spem regni vult contrahere cum primogenita hujus regis, adeoque in hunc finem eligit matrimonium, tanquam medium; si deinde ei offeratur secundogenita, consentiens in illam censetur errare in persona. Item vult quis inire amicitiam cum hac illustri familia, et in hunc finem eligit matrimonium cum Titia, Caji filia; si deinde alia persona ei offeratur, in eam consentiendo, errat in persona. Econtra si qualitas non determinat hoc individuum personæ, error circa illam non redundat in errorem personæ, v. g. Titia dicit se esse primogenitam regis, non determinando cujus regis; vel dicit, se esse illustrem, non determinando cujus sit familiæ; error aut dolus circa has qualitates non transfunditur in errorem personæ, sed tantum impellit ad contrahendum; et conseq. stante tali errore, valet matrimonium.

Dices : 1° Contrahens cum errore antecedente circa qualitatem ita est dispositus, ut, deficiente qualitate, nollet contrahere ; ergo consensus ipsius non est voluntarius, et cons. insufficiens ad valorem matrimonii. 2° Contractus bonæ fidei ex errore antecedente initi, ipso jure non valent in probabili sententia, vel saltem rescindi possunt; ergo et matrimonium. 3° Metus vitiat matrimonium, licet causet tantum secundum quid involuntarium ; ergo et error circa qualitatem, cum et iste causet secundum quid involuntarium. — Resp. ad 1. Habitualis dispositio contraria non tollit consensum voluntarium in personam; ergo nec vitiat matrimonium. Ad 2. Dist. ant.: contractus ex natura sua solubiles, omit. ant. ex natura sua indissolubiles, sicut matrimonium aut professio religiosa, neg. ant. Ad 3. Neg. cons., ob contrariam juris dispositionem. Disparitas congrua est : quia metus minuit voluntarium circa substantiam personæ, facilius probari potest, neque eum removere est in potestate metum passi ; econtra error minuit voluntarium circa qualitates, difficulter probari potest, et plerumque diligentia adhibita, removeri potest; ergo licet irritetur matrimonium metu initum, non tamen dolo aut errore accidentali contractum.

Resp. 4. Error privatus quo alter, vel uterque falso putat subesse impedimentum dirimens, quod re ipsa non subest,

non obstat valori matrimonii : ita Sanchez, cum cit., contra Abb., Sylv., Sotum, etc.; nam error iste non impedit consensum per Clem. unic. *de Consang.*, ubi contrahentes scienter in gradibus prohibitis excommunicantur : quod sane non fieret, si non consentirent; ergo : tum quia talis error, licet inducat peccatum, quatenus agitur contra conscientiam, tamen rem ipsam non mutat, ut patet in aliis sacramentis : ut si velit quis more christianorum baptizare, valet baptismus, etsi bapzans falso cogitet baptismum non esse sacramentum.

Nec obstat lib. XV ff. *de Acquir. hæred.*; nam ibi hæres voluntarius, qui cogitavit se esse necessarium, ideo repudiare nequit hæreditatem, quia scire debet ex quo jure et causa similem actionem exerceat; quod tamen ad matrimonium non requiritur.

IMPEDIMENTUM METUS.

Nota impedimentum metus antiquo et perpetuo usu Ecclesiæ introductum esse; non vero jure naturali, ut vult Scotus, et alii, cum, spectato jure naturali, contractus metu gesti valeant, eo quod metus non tollat voluntarium simpliciter.

VII. Quis metus dirimat matrimonium?

Resp. 1. Metus gravis injuste, et directe a causa libera incussus ad extorquendum matrimonium, vitiat valorem illius : ita deciditur cap. 14, 15, 28 h. t.; nam Ecclesia voluit matrimonia esse plene libera, seu spontanea, tum propter arduitatem vitæ conjugalis, tum propter significationem voluntariæ conjunctionis Christi cum Ecclesia, tum maxime ad præcavendos tristes et infelices exitus qui ex matrimoniis coactis sequi solent, ut discordia inter conjuges, malum prolis, pericula adulterii, etc. Gravis metus censetur, v. g. mortis, exsilii, mutilationis, confiscationis bonorum, carceris squalidi, privationis officii, etc. Levis autem metus, qui non cadit in virum constantem, sed facile superari potest, non irritat matrimonium : cujusmodi etiam regulariter est metus reverentialis erga parentes, dominos, etc. Dicitur autem 1° *injuste;* nam si metus juste incutiatur, non vitiat matrimonium, cum non injuriet; ut si judex defloratorem cogat ad ducendam defloratam, cui matrimonium promisit. Dicitur 2° *a causa libera;* nam si metus incutiatur a causa necessaria, ut morbo, peste, etc., non vitiat matrimo-

nium; siquidem nullam injuriam infert. Porro resolutio ista probabilius locum habet etiam in illo casu quo quis cogitur ad unam, v. g. ex tribus sororibus, ducendam, quia et hic deficit plena libertas contrahendi, et infelices exitus timentur. Nec est paritas a casu quo electores coguntur v. g. ad unum ex tribus eligendum, quia hic, præter diversam juris dispositionem, etiam dispar est ratio; cum electio comparetur sponsalibus, et non matrimonio; neque tanta mala timeantur ex electione, quæ ex matrimonio.

Resp. 2. Metus indirecte incussus, hoc est, alio fine quam ad extorquendum matrimonium, probabilius vitiat valorem matrimonii: ita Palacios, Schmier, Schmalz. et alii, contra Sanchez, Laym., Zoes, etc.; nam jura supra allegata (c. 14, 15, 28 h. t., c. 2 *De eo qui duxit*) requirunt ad valorem matrimonii plenam libertatem, et securitatem contrahendi; neque distinguunt inter metum directe et indirecte incussum, idemque manet motivum, scilicet periculum infelicium et tristium exituum, et similiter injuria infertur, sive quis directe, sive indirecte cogatur ad aliquod matrimonium; ergo. Unde non valet matrimonium, si ægra contrahat cum medico alias ex justitia ad curandum obligato, quia timet per malitiam ejus se non curandam; vel si innocens contrahat cum judicis filia, quia timet se injuste condemnandum, etc.

Dices : Tali casu metus non influit in matrimonium, sed hoc sponte eligitur tanquam medium ad evadendum malum imminens. Resp. Neg. anteced.; nam matrimonium eligitur in gratiam metum injuste incutientis, atque ita consensus injuria obtinetur : ergo metus influit in hoc matrimonium, et cons. vitiat illud. Cæterum, quia juramentum non supplet defectum consensus spontanei, sequitur matrimonium metu contractum, etsi juramento firmatum sit, esse invalidum, ut clare colligitur ex cit. c. 2 *De eo qui duxit.* Cui non obstat can. 22 *Inter cætera* (22, q. 4), nam licet ibi metus fuerit in promissione, tamen matrimonium, cessante metu, initum est.

Resp. 3. Matrimonium ex metu invalidum convalescit, si metus purgetur 1° per spontaneam cohabitationem sesqui anni (1); 2° per voluntariam copulam, nullo metu extortam.

(1) Tamen post conc. Trid., ex quo consensus dari debet coram parocho et testibus, matrimonium non convalidatur per solam habitationem spontaneam,

Prima pars habetu rc. 21 h. t., quia talis cohabitatio præsumitur continuata affectu conjugali; estque hæc præsumptio juris, et de jure, non admittens probationem in contrarium. *Secunda pars* pariter deducitur ex præsumptione, quatenus copula ista voluntaria, ad excludendum peccatum, præsumitur fieri affectu conjugali, et non fornicario, ut recte observant TT. et canonistæ, arg. c. 30 h. t.; idque ipsum docet S. D., in 4, d. 29, q. 1, a. 3, q. 2, ad 2. Secus dic, si etiam copula vi et metu extorqueretur, quia tunc prior consensus a metu non purgatur.

Nec obstant cap. 22 h. t., cap. 4 *de Despons. impub.*, cap. 4 *Qui matr. accus.*; nam jura ista procedunt de copula spontanea : stante enim metu, copula potius præsumitur fornicaria, quam conjugalis. Quare remedium evadendi fornicationem et malum ex metu imminens, vel erit spontaneus consensus in copulam, vel petitio dilationis in aliud tempus quo metus deponi possit, vel fortis resistentia.

Resp. 4. Matrimonium metu initum non est dissolvendum, donec metus plene probetur per testes et alia indicia; nam metus est quid facti et de genere delictorum, quæ non præsumuntur, sed probari debent. In dubio an metus fuerit gravis vel injuste incussus, standum est pro favore, et valore matrimonii, per c. 47, in fin., *de Testib.*, ibi : « Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare. » Porro in illo casu quo constat metum intervenisse, pars altera metum incutiens non tenetur de novo contrahere, licet pars metum passa spontanee contrahere vellet : nam obligatio ista ex nullo jure colligitur, neque ex causa injuriæ, cum ista tollatur per matrimonii dissolutionem, et aliam pœnam huic delicto infligendam. Si tamen præcesserunt sponsalia valida, vel pars metum passa sentit damnum aliter non reparabile, quam per matrimonium, poterit pars metum incutiens per judicem compelli ad matrimonium spontanee contrahendum. His non obstat paritas ab aliis contractibus, quibus stare tenetur metum incutiens, quia contractus isti sunt validi; at matrimonium metu contractum est invalidum. Cætera, quæ hic incidenter quæri possunt, solvuntur ex dictis l. I, tit. *De his quæ vi.*

saltem si *publice* constat metum fuisse injustum; impedimentum fuit publicum : S. Congr. Conc. *in Panormit.*, 30 sept. 1719.

IMPEDIMENTUM RAPTUS.

Nota secundum antiquos canones (*Causæ* 36, q. 1 et 2) matrimonium absolute irritari inter raptorem et raptam, saltem si hæc desponsata non fuit. At per c. 7 et fin. *de Raptorib.* subsistit matrimonium inter raptorem et raptam, dummodo hæc, etiam in potestate raptoris constituta, libere consentiat. Hodie circa hoc impedimentum servatur jus novum Trid. (s. 24, c. 6, *de Reform. matr.*).

VIII. Quando raptus dirimat matrimonium ?

Resp. Si vir violenter abducat feminam invitam de loco ad locum, matrimonii contrahendi causa, invalidum est matrimonium inter raptorem et raptam, quandiu rapta est in potestate raptoris, etsi illa post raptum commissum sponte consentiret in raptorem : ita Trid., loco cit., et quia ibi generaliter loquitur, non distinguendo inter mulieres, sed libertati matrimoniorum consulendo, sequitur hoc impedimentum dari, etsi rapiatur femina inhoneste vivens, aut propria sponsa, præsertim si habeat causam resiliendi. Præter nullitatem matrimonii statuitur triplex pœna his verbis : « Nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare. » Cessat hoc impedimentum, 1° si rapta constituta in loco tuto extra potestatem raptoris sponte in illum consentiat (*ibid.*); 2° si non fuit invita, sed sponte consensit in sui abductionem, etiam ignorantibus, vel invitis parentibus; quia sic volenti non fit injuria, neque libertas contrahendi minuitur. In praxi tamen propter sedandum scandalum, maxime si parentes sunt inviti, solet rapta separari et deponi in loco tuto, ut constet de libero consensu (1). 3° Probabilius cessat hoc impedimentum, si femina rapiat virum : tum quia dispositio

(1) Factum raptus de se inducit præsumptionem *juris et de jure*, ac proinde non admittitur probatio directa in contrarium.

Trid., utpote odiosa, non est extendenda a raptore ad raptricem; tum quia dispar est ratio, eo quod rarissimum sit ut femina virum rapiat : jura autem non solent condi de casibus insolutis, et perraro evenientibus (l. IV, V, ff. *de LL.*). Neque dispositio ista extendenda est ad sponsalia quæ in raptu facta mero jure valent, cum non obligent ad matrimonium in raptu celebrandum, sed si placuerit mulieri in loco tuto positæ ; secus ad instantiam ejus ex causa violentiæ rescindi debent (1).

IMPEDIMENTUM DISPARIS CULTUS.

Per disparem cultum hic intelligitur diversitas religionum inter fidelem et infidelem, seu non baptizatum; ut si fidelis contrahat cum Judæa vel Saracena.

IX. Quo jure dispar cultus dirimat matrimonium?

Resp. 1. Non jure naturali, aut divino ; quia de hoc non constat, licet hoc jure talia matrimonia ob periculum perversionis sint illicita : Deut., VII, et II Cor., VI, ibi : « Nolite jugum ducere cum infidelibus. » Sic valida erant matrimonia Jacobi, Josephi, Moysis cum feminis infidelibus, Davidis cum Maacha Chananea, etc.; imo ex justa et urgenti causa cohonestari possunt etiam in lege Christi, sicut fuit matrimonium S. Cæciliæ cum Valeriano, S. Monicæ cum Patritio, Clotildis cum Clodovæo. 2. Dispar cultus solo jure ecclesiastico, tradito potius quam scripto, dirimit matrimonium, ut unanimiter tenent DD. cum usu et praxi Ecclesiæ (2).

X. An subsistat matrimonium hæretici cum catholica, et econtra?

Resp. 1. Affirmative, quia nullo jure irritatur, licet fiat cum pacto ut proles in hæresi educentur : ita com. contra Schmier; nam illa solum pacta irritant matrimonium, quæ adversantur bono physico seu naturali prolis, uti est evitare generationem, etc.; non vero illa quæ adversantur bono spirituali ; alias

(1) Quoad raptum *seductionis*, vide De Angelis (h. t. n. 20) de hoc raptu fuse disputantem.

(2) Vide Bened. XIV epist. *Singulari nobis*, diei 9 febr. 1749. — Notandum est quod hoc impedimentum consuetudine generali, vim legis habente, introductum est, ut ostendit Bellarm. *de Sacr. matr.*, l. I, c. XXIII. In locis christianorum non conceditur dispensatio, nisi pro matrimoniis jam contractis.

hæretici valide non contraherent cum pacto ut proles in hæresi educentur. 2. Matrimonium catholici cum hæretica regulariter et per se est graviter illicitum (can. 15 et seq. 28, q. 1, et c. 14, *de Hæret.* in 6°), quia jus naturale et canonicum jubet declinare periculum perversionis et peccati, quod ex talibus matrimoniis imminet; præsertim si adjiciantur impia pacta de quibusdam prolibus in hæresi educandis, cum omnes proles educari debeant Deo et ad vitam æternam, non vero diabolo et ad interitum sempiternum. In certis tamen circumstantiis, cohonestari potest matrimonium catholici cum hæretica; ut si ex una parte nullum sit periculum perversionis, ex altera vero parte adsit gravis causa, maxime boni publici, ut pacis, defensionis fidei catholicæ, etc.

Semper tamen expetenda est facultas non ab episcopis, sed a Sede Apostolica, ut decisum fuisse testatur a Congr. S. Officii Cardinalis Albitius, *de Inconstantia in fide,* c. XXXVI, n. 164 et seq., et n. 204, 205, 225, 238. Cæteroquin dicta facultas concedi nunquam solet a Sede Apostolica sine adjectis quibusdam conditionibus et opportunis cautelis relatis a Bened. XIV in epist. ad primatem regni Poloniæ, *Magnæ nobis,* 8 junii 1748, ut in ejus Bullario Romæ impresso (tomo II, p. 414 et seq.), ac lib. IX *de Synod. diœc.*, c. III (1).

His non obstat can. 72 sextæ synodi generalis, ubi tales nuptiæ dicuntur irritæ et nefarium conjugium; nam canon iste Trullanus vel nunquam receptus fuit ab Ecclesia, vel contrario usu abrogatus est.

IMPEDIMENTUM PUBLICÆ HONESTATIS.

Hoc impedimentum aliter vocatur justitia publicæ honestatis, estque affinitas quædam imperfecta orta ex sponsalibus vel matrimonio rato. Ortum habet a jure ecclesiastico (can. 11 et seq. 27, q. 2, c. 3, 4, 8, h. t.; cap. un. eod. in 6°, etc.); quia

(1) Hodie tamen non insistitur in exigendo juramento de procuranda conversione partis acatholicæ (Instruct. card. Antonelli diei 15 nov. 1858), neque etiam de educanda universa prole in religione catholica, saltem in illis locis in quibus gubernium civile prohibuit illud juramentum. Imo in Germania fiunt proclamationes, et peraguntur cæremoniæ matrimonii, exclusa missa. Verum in laudata instruct. jussu Pii IX edita, matrimonia mixta extra ecclesiam et absque parochi benedictione celebrari debent, nisi ex tolerantia mos invaluerit illa celebrandi cum supradictis cæremoniis. Confer etiam instruct. datam ad episc. Hungariæ, 20 april. 1841.

publica honestas suadet ut sponsus abstineat a nuptiis cum consanguineis sponsæ, et hæc cum consanguineis sponsi.

XI. In quibus casibus et gradibus publica honestas dirimat matrimonium ?

Resp. 1. Jure novo Trid. (sess. 24, c. 4, *de Ref. matr.*), publica honestas oritur ex sponsalibus validis, non vero ex quacumque causa invalidis; neque ultra primum gradum extenditur : v. g. Titius contraxit sponsalia cum Bertha, adeoque matrimonium contrahere nequit cum ejus sorore, matre aut filia, bene vero cum nepte, consobrina, avia, etc. Hoc jure Trid. correctum est jus antiquum, quo publica honestas dirimens matrimonium oriebatur ex sponsalibus etiam invalidis, dummodo invalida non fuerint ex defectu consensus (c. un. h. t. in 6°) et extendebatur usque ad quartum gradum, sicut affinitas (c. 8, *de Consang.*). Porro ut impedimentum hoc oriatur ex sponsalibus, hæc debent esse pura et non conditionata, certa, non vero incerta ; ut si quis duabus sororibus promittat matrimonium; tunc enim ante eventum conditionis, vel electionem unius ex pluribus, nullum est impedimentum (cit. c. un. h. t. in 6°). Si sponsalia sint invalida ex causa fictionis, putant Sanchez et alii locum esse huic impedimento, quia, cum fictio sit occulta, perseveret publica indecentia obstans matrimonio. Navar., Gobat. et alii contrarium probabilius tenent, quia Trid. generaliter dicit hoc impedimentum non oriri ex sponsalibus quocumque ex capite invalidis.

Resp. 2. Publica honestas ex matrimonio rato orta extenditur usque ad quartum gradum inclusive : ita declaravit S. Pius V, const. incip. *Ad Romanum*, 1 jul. 1568; nam Trid. loquitur solum de publica honestate, quatenus orta ex sponsalibus ; ergo circa honestatem publicam ex matrimonio rato ortam servatur etiam hodie jus antiquum, cum non reperiatur mutatum. Insuper sicut olim, ita hodie locus est huic impedimento, etsi matrimonium ratum pure, et non conditionate initum, fuerit invalidum, v. g. ex causa consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, etc. dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus, v. g. propter metum, errorem personæ, revocatum mandatum procuratori datum, etc. (cit. c. un. h. t. in 6°). Ex quo generaliter textu videtur sequi hodie impedimentum hoc oriri ex matri-

monio clandestino, cum non sit invalidum ex defectu consensus; licet oppositum probabiliter teneant Sanchez, Engl. et alii; quia talis contractus sine parocho et testibus non habet figuram matrimonii, præsertim cum personæ a Trident. inhabilitentur ad sic contrahendum, atque ita non videantur consentire (1).

Resp. 3. Impedimentum publicæ honestatis est perpetuum, etiamsi sponsalia dissolvantur morte, vel mutuo consensu, (can. 11 et seq. 27, q. 2, c. 8 h. t.) : ita Sanchez, Laym. et communior DD., quam firmat declaratio S. Congr. die 6 julii 1658, approbata ab Alex. VII, præcipiente id amplius in dubium non vocari, teste Fagn. et Gobat.; nam impedimentum hoc oritur ex sponsalibus semel validis, ut docet Trid. (l. c.); sed talia fuerunt etiam illa quæ mutuo consensu dissolvuntur; neque ex ullo jure constat quod, dissolutis sponsalibus, vel matrimonio rato, etiam dissolvatur honestas publica inde nata ; ergo. Oppositum docuerunt Gutier., Barbosa, Engl., hic § 6, n. 3., nixi quadam declaratione S. Congr.; sed huic declarationi, si tamen exstitit, præferenda est cit. declaratio Alex. VII, præsertim cum meliori jure et ratione nitatur.

Resp. 4. Publica honestas non habet vim retroagendi (c. un. h. t. in 6°), ut si Caius ineat sponsalia valida cum Bertha, et deinde matrimonium ratum contrahat cum Titia, ejus sorore, ex hoc matrimonio invalido non oritur impedimentum honestatis, et cons. Bertham in uxorem ducere potest; at si Caius cum Titia fornicatus est, neutram potest ducere : non Titiam, propter impedimentum publicæ honestatis ex primis sponsalibus ortum ; non Bertham, propter impedimentum affinitatis ortum ex copula fornicaria cum d. Titia. De cæteris impedimentis agetur in seq. titulis.

(1) Impedimentum illud non oritur ex matrimonio *civili*, ut constat ex celebri declaratione S. Congr. Conc. diei 13 martii 1879, in audientia diei 17 ejusdem mensis a Sanctissimo domino nostro Leone XIII firmata.

SECUNDA PARS

DE IMPEDIMENTIS RESPICIENTIBUS CONSENSUM AD SPONSALIUM ET MATRIMONII CONTRACTUS REQUISITUM

TITULUS II.

DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

Examinatur hic impedimentum ætatis, seu ætas requisita ad sponsalia et matrimonium, et quam necessarius sit consensus parentum ad matrimonium filiorum familias.

I. Quæ ætas requiratur ad sponsalia?

Resp. 1. Regulariter septennium completum (c. 4, 5, 13, h. t.; c. un. eod. in 6° et l. XIV, ff. *de Sponsal.*), nam jus non præsumit usum rationis citius adesse, nisi completo septennio. Si tamen post septennium non adesset usus rationis, sponsalia jure naturali ex defectu consensus liberi essent invalida, quia ista præsumptio juris in facto fundata cedit veritati. Porro, cum versemur in materia obligatoria, probabilius septennium computandum est mathematice de momento ad momentum : arg. l. III, § 3 ff. *de Minor.*, ut non sit paritas ex l. V ff. *Qui test. fac.*, nam ibi ultima dies anni 14 habetur pro completa, quia conditio testamenti merum favorem testatoris continet : econtra sponsalia plura secum gravamina trahunt.

Resp. 2. Valent sponsalia a minore septennio inita, si malitia, seu potius prudentia suppleat ætatem, hoc est, si usus rationis acceleretur ante septennium (S. D., in 4 d. 27, q. 2, a. 2; S. Anton., Covar., Sanch., cum cit., contra Abb., Ros., Engl., Schmier, etc., nam talia sponsalia jure naturali valent, cum adsit consensus : jure autem positivo nullibi irritantur, sed potius supponuntur valida (cap. 3, *de Sponsal.*), ubi juvenis puellam

nedum septennem duxit, et inde contraxit impedimentum publicæ honestatis; quod etiam jure veteri oriri non potuit, si sponsalia fuissent invalida ex defectu consensus. Ratio est, quia jus præscribit septennium ex sola præsumptione facti quod usus rationis citius non adsit; ergo, si usus rationis acceleretur, præsumptio ista cedit veritati; etconsequenter sponsalia valide contrahentur : sicut matrimonium ante legale tempus, si pubertas citius adveniat (cap. 9 h. t.); unde Juriscons., l. XIV, ff. *de Spons.*, ait : « In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est. » Ex quibus explicantur posteriora verba, forsan a Triboniano addita, « si non sint minores quam septem annis; » hæc enim, uti et cap. 4, 5, 13, h. t., disponunt præsumptive quod ante septennium non sit usus rationis. Nec frustra ætas ista præscribitur ; nam qui asserit sponsalia ante septennium inita fuisse valida, vel post septennium invalida, probare debet illic adfuisse, et hic defuisse usum rationis. Econtra, qui dicit sponsalia ante septennium esse invalida, et post septennium valida, propter præsumptionem juris relevatur ab onere probandi.

Resp. 3. Sponsalia impuberum ex beneficio juris non sunt firma, quia imbecillis est consensus eorum. Et 1° si ambo impuberes contraxerunt sponsalia, durante impubertate, non possunt ea solvere, ne hæc facile et temere contrahantur et distrahantur ; at si uterque simul vel alter eorum citius ad annos pubertatis perveniat, statim uterque vel alter, non exspectata alterius pubertate, resilire potest a sponsalibus (c. 7, 8 h. t.). Si autem pubes factus statim (quod tempus mathematice definiri non potest) non resiliat, censetur saltem tacite priora sponsalia ratificare ; ac proinde amplius variare non potest.

2° Si pubes cum impubere sponsalia contraxit, pubes resilire non potest, sed tenetur exspectare alterum, donec ad annos pubertatis perveniat ; qui si stare voluerit sponsalibus, efficaciter obligabit puberem ad matrimonium ineundum (*ibid.*), nam privilegium resiliendi solis impuberibus, non puberibus, a jure datur. In illo tamen casu quo sponsalia propter reclamationem impuberis facti puberis resolvuntur, non cessat impedimentum honestatis publicæ, utpote ex se perpetuum (cap. 4

h. tit.). Probabile autem est quod dissensus in impubertate factus, si continuetur in pubertate, sufficiat ad solvenda sponsalia : quia ut ita continuatus æquivalet novo dissensui in pubertate elicito.

3° Sponsalia jurata ab impuberibus inita, non possunt a puberibus alterius consensu contrario dissolvi : c. 10, *de Sponsal.*, ubi ratio datur, quia periculosum est contra suum venire juramentum quod sine dispendio salutis servari potest. Notant tamen Perez, Laym., Reiff. et alii dispositionem istam procedere de impuberibus pubertati proximis (1); qui autem erant infantiæ proximi communem possunt sequi regulam; quod sicut a sponsalibus, tanquam principali, ita etiam a juramento, tanquam accessorio, resilire possint. At mutuo consensu ambo puberes sponsalia jurata dissolvere possunt, ut dictum tit. præced. n. 26.

Resp. 4. Promissio matrimonii a pubere infanti facta vim habet simplicis promissionis , ita ut pubes promissor resilire non possit (S. Ant., Decius, Sanchez, etc.); nam promissio infanti facta non requirit personalem acceptationem, sed ab ipso jure statim acceptatur (arg. lib. V, c. *de Emancip. liber.*).

Nec obstant aliqua exempla personarum illustrium in contrarium facta; quia juribus, non exemplis, judicandum est. Quod si infantes post septennium promissionem acceptent et repromittant, aut sponsalia antea invalide inita ratificent, adepto usu rationis, hæc convalescunt, ac si post septennium fuissent primo inita (Sanch., etc.).

II. Quæ sit ætas legitima ad matrimonium ?

Resp. 1. In masculo annus 14, et in femina 12, quo tempore a jure præsumitur advenisse pubertas, seu aptitudo ad generandum (c. 6, 10 et 11 h. t.). In femina minor ætas requiritur, quia femina, tanquam imperfectior, citius adolescit, seu fit viripotens, et apta ad actus conjugales.

Resp. 2. Si malitia suppleat ætatem, hoc est, si aptitudo generandi præveniat tempus a jure præscriptum, valet matrimonium ante illud contractum (c. 9 h. t.), quia hic præsumptio cedit veritati, dummodo constet de tali habilitate. In dubio, tempus

(1) Alii tamen non admittunt illam distinctionem. Vide De Angelis (h. t. n. 3).

istud mathematice computandum est; si vero post tempus legale contrahentes necdum sint habiles ad generandum, et contrahant, valet matrimonium; quia jus in hoc casu non requirit potentiam actu expeditam, sed aptitudinem generandi. Quod si mas in plena pubertate 18 annorum generare nequeat, præsumitur impedimentum perpetuum, ratione cujus, servatis servandis, matrimonium dissolvi potest. Cæterum impuberes, nisi eos excuset causa urgentissima, contrahendo peccant graviter, quia violant præceptum Ecclesiæ in re gravi; et ideo Nicol. I (c. 2 h. t.) dicit se districtius prohibere talia matrimonia.

Resp. 3. Dispensare in ætate ad matrimonium potest solus Papa, cum episcopi sint inferiores jure communi, nec reperiatur facultas eis concessa ad ita dispensandum. Dispensati vero, antequam fiant habiles ad generandum, cohabitare non debent, propter periculum incontinentiæ.

Resp. 4. Puella impubes desponsata viro, etsi traducta sit in domum ejus, pubes facta reclamare potest, et audiri debet, quum matrimonium præsumatur esse invalidum. Si tamen vir asserat quod eam cognoverit, viro potius creditur affirmanti et juranti (can. 3, *Si quis,* 33, q. 1), nisi mulier contrarium probet: quo casu etiam sponsalia in impubertate facta resolvuntur.

Resp. 5. Matrimonia impuberum præsumuntur vim habere sponsalium, et ex illis oritur impedimentum publicæ honestatis (c. un. fin., § idem h. t. in 6°); nam si actus iste non valuit ut debuit, valet saltem ut potuit; maxime si id ex circumstantiis colligatur. Cessat autem ista præsumptio, si impuberes nuptias solum, et non sponsalia contrahere voluerunt, cum actus agentium non operentur ultra intentionem eorum (arg. lib. XIX, ff. *de R. C.*). Hodie in locis in quibus Trid. viget, casus isti non sunt timendi, quia impuberibus parochus non assistet.

III. An matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum inita sint valida?

Resp. 1. Affirm. de jure can. Ita definivit Trid. (sess. 24, c. 1 pr. *de Ref. matr.*), cui consonat jus antiquum (can. 2, *Sufficiat,* 27, q. 2, c. 13, 14, 23, 25, *de Sponsal.*, c. 12, *de Regul.*, c. 7, *de Raptor.*), in quibus juribus ad valorem matrimonii requiritur solus

consensus contrahentium, non vero parentum : nam liberi, quoad spiritualia et electionem status, non subsunt patriæ potestati : unde etiam sponsalia sine consensu patris inita regulariter sunt valida, excepto casu quo matrimonium iniretur cum gravi offensa patris : tunc enim, cum obligarent ad aliquid illicite agendum, non essent valida. Neque pater talia sponsalia irritare potest, quia patriæ potestati non præjudicent (S. D., 2 2, q. 104, a. 5, *In corp.*).

His non obstant can. 1, *Aliter*, 30, q. 1, et can. 3, cum seq. 30, q. 5, c. 3, *Qui matrim. accus. pr.* In *de nuptiis*, l. II, XVIII, ff. *de Rit. nupt.*, nam jura civilia hoc non curantur : canones vero recte conciliantur cum aliis juribus, dicendo nuptias sine consensu patris non esse legitimas aut justas quoad honestatem et licitatem ; quia regulariter sunt illicitæ, quatenus filius, aut filia omittit aut contemnit judicium paternum in retam gravi.

Resp. 2. Pater ad certum matrimonium cogens filium aut filiam, per se graviter peccat ; nam tollit plenam libertatem a jure concessam, est causa tristium eventuum ex matrimonio coacto consequentium. Non tamen incurrit excommunicationem latam a Trid., sess. 24, c. 9, *de Ref. matr.*, inam ibi sermo est tantum de dominis temporalibus et magistratibus ad certa matrimonia cogentibus. Si tamen adsit urgentissima causa maxime boni publici, v. g. propter bonum pacis, licebit patri filium aut filiam compellere ad certas nuptias, cum in tali casu liberi teneantur patri obedire.

Resp. 3. Filius in contrahendo matrimonio nolens sequi consilium aut præceptum patris, non potest ideo exhæredari : nam casus iste non numeratur in Nov. 115, cap. 3. An vero de jure statutario talis exhæredatio vel dotis negatio induci possit, dubitant DD. Negative subscribunt Abb., Sylv., Nav., Clar., Covar., Sanch., Gobat, etc. Affirmant Bald., Sot., Laym., Zoes, Schmalz. et alii, quorum sententia videtur probabilis, saltem pro illo casu quo nuptiæ contrahuntur cum personis indignis et vilibus, nam statutum istud cohonestatur ob utilitatem publicam, ne sanguis illustris commaculetur, discordiæ et scandala oriantur, ut reverentia liberorum erga parentes conservetur, abusus et temeritas libertatis restringatur : et ita fertur practicari in Lusitania, Bavaria, etc. Nec in hoc casu sæcularis

potestas disponit de rebus spiritualibus, sed præcise punit abusum libertatis et contemptum parentum. At si liberi sine consensu parentum dignas suo statu ineant nuptias, judico tali pœnæ non esse locum; quia jure suo utentes, nullique injuriam facientes, non sunt puniendi; et aliunde libertas matrimonii talibus pœnis non est coarctanda (c. 2, 29, *de Sponsal.*) (1).

TITULUS III.

DE CLANDESTINA DESPONSATIONE.

In hoc tit. examinatur impedimentum clandestinitatis, quod oritur 1° ex omissione publicarum denuntiationum; 2° ex omissione publicæ præsentiæ parochi et testium.

I. An matrimonio præmittendæ sint denuntiationes publicæ ?

Resp. 1. Affirmative ex conc. Later. (c. fin. pr. h. t.), cui inhæret Trid. (sess. 24, c. 1, *de Ref. matr.*); nam episcopi et parochi est curare ut honeste et sine impedimentis matrimonia contrahantur : ad hunc vero finem potissimum inventæ sunt denuntiationes publicæ, ut si quis de populo impedimentum novit inter sponsos, illud intra præfixum terminum manifestet coram parocho. Porro præceptum eas faciendi cum sit grave, concernens reverentiam sacramenti, regulariter obligat sub mortali; non tamen est irritativum, ut sæpius declaravit S. C., quia decretum irritans in citat. Trid. afficit posteriorem dispositionem de præsentia parochi et testium, non vero priorem de faciendis proclamationibus, neque contrarium elicit ex ablativo, *denuntiationibus factis;* siquidem ablativus iste significat conditionem accidentalem de præcepto, non vero substantialem de necessitate ad valorem matrimonii.

Resp. 2. Denuntiationes faciendæ sunt tribus diebus festis continuis in ecclesia inter missarum solemnia (cap. fin. pr. h. t.;

(1) In Bavaria (tit. XXXV), solum exhæredantur, qui invitis parentibus contrahunt nuptias cum persona infamis vel inhonestæ conditionis. (Amort.)

Trid., l. c.); nam tali tempore et loco frequentior populus convenit. Ob quam rationem satisfieret Tridentino, si die non festo conveniret magnus populus, v. g., ad concionem, vel processionem, et coram illo fierent denuntiationes; item si parochus uno, alterove festo intermedio omitteret denuntiationes, quia continuitas ista moraliter est intelligenda, ne nimium temporis intervallum inter has denuntiationes intercedat.

Resp. 3. Denuntiationes faciendæ sunt a proprio parocho sponsorum, licet committi possint alteri, sicut alicubi fieri solet per laicos æditùos : nam Trid. talem commissionem non prohibet. Si sponsi sunt actu diversarum parochiarum, denuntiationes faciendæ sunt in utraque parochia; quia sic facilius impedimenta deteguntur. Si sponsi transtulerunt domicilium, circa denuntiationes servanda sunt in primis statuta cujusque diœcesis; ut vero menti conciliorum satisfiat, discrimen adhibendum est : et quidem si sponsi noti sunt in loco contrahendi matrimonii, sufficit ibi fieri denuntiationes; si vero sint ignoti ambo, vel alter eorum, denuntiationes fieri debent non tantum in nova parochia, sed etiam in priori parochia, ut ita facilius innotescant impedimenta, de quibus parochi inquirere debent ex præcepto conc. Later., cui inhæret Trid., l. c., licet solum meminerit denuntiationum in propria parochia faciendarum. Notat tamen P. Reiff., et alii, quod si sponsi a loco nativitatis absint per quinque vel sex annos, non sint in eo denuntiandi, sed in loco domicilii, vel quasi-domicilii, sicut opifices, famuli, etc., nisi specialis ratio aliud suadeat. Expediet autem, si tali casu parochus exigat juramentum ad cautelam, quod nullis sponsalibus vel matrimonio ligentur.

II. Quid juris circa deferenda impedimenta?

Resp. 1. Populus sub gravi obligatione tenetur manifestare impedimenta latentia, cum omne jus præcipiat avertere peccatum et irreverentiam sacramenti. Prius tamen ex lege charitatis monendi sunt sponsi de impedimento; et si monitio non prodest, necesse erit manifestare parocho impedimentum. 2. Cessat obligatio manifestandi, si exinde grave damnum denuntiatori immineat, vel timeatur grave apud alios scandalum, vel denuntiatio credatur non profutura, sed potius bona fide con-

trahentibus obfutura; vel si sciatur dispensationem pro foro interno esse obtentam, etc. Per hoc tamen non excusatur a denuntiando, quod sub secreto impedimentum cognoverit, quia secreto prævalet reverentia sacramenti; imo ipsi contrahentes ab ordinario interrogati, tenentur fateri impedimentum, vel a nuptiis abstinere; etenim quisque tenetur in conscientia delictum proprium manifestare, quando agitur de vitando peccato. 3. Si parochus extra confessionem certo novit impedimentum, tenetur illud, sicut quicumque alius, denuntiare ordinario; nec potest assistere sponsis matrimonium etiam publice petentibus. At si impedimentum novit tantum ex confessione, debet monere pœnitentem ut a nuptiis abstineat; secus nolentem, utpote indispositum, non absolvet. Si tamen publice petat matrimonium, tenetur ei assistere, quia scientia sacramentalis ad actus exteriores non porrigitur, nec ea uti licet (c. 2, *de Off. ord.*). 4. Si episcopus vel parochus sciunt impetratam esse dispensationem pro foro interno, dissimulare possunt, et sponsos copulare : secus vero si quis alius impedimentum denuntiet, quia dispensatio ista non porrigitur ad hunc casum. 5. Delato impedimento, officium parochi est interdicere matrimonium, non tamen de illo cognoscere, sed cognitio ista spectat ad episcopum (c. fin. pr. et § fin. h. t.), licet sit tantum impedimentum impediens. Ordinarius vero, si saltem semiplene probetur impedimentum, prohibebit nuptias ; quia ad avertendum peccatum sufficit semiplena probatio, licet ad dissolutionem matrimonii, utpote negotium valde arduum, plena probatio requiratur (cap. fin. in fin. pr. hoc tit.). 6. Si nullum impedimentum appareat, sponsi obligantur quantocius matrimonium contrahere; si vero illud differant ultra tres vel quatuor menses, novæ denuntiationes faciendæ sunt, ut fertur declarasse Sacra Congr., teste Rebello, quia intra tantum tempus facile novum impedimentum oriri potuit. Quod si autem sponsi sine denuntiationibus contraxerunt, istæ supplendæ sunt post matrimonium, ante ejus consummationem (Trid., l. c.), nisi ordinarius ex justa causa tales denuntiationes remiserit.

III. Quis, et ex qua causa dispensare possit in denuntiationibus ?

Resp. 1. Jure novo (Trid., l. c.) ordinarius, uti est episcopus

proprius, legatus apostolicus in sua provincia, prælatus plenissime exemptus cum clero et populo, capitulum, sede episcopali vacante, et probabilius etiam vicarius generalis episcopi, cum et iste in materia sibi accommoda veniat nomine ordinarii ; idque praxi et usu confirmatur. Parochus econtra, cum nomine ordinarii non veniat, regulariter in denuntiationibus dispensare nequit, nisi quantum ei permittit consuetudo in casu necessitatis, qui moram non patitur recurrendi ad episcopum; ut si concubinarius in articulo mortis vellet contrahere cum concubina, etc., quod procedit etiam in casu quo episcopus ex obligatione officii sui tenetur dispensare, quia nullo jure constat in tali casu facultatem dispensandi devolvi ad parochum.

Resp. 2. Ordinarius facultatem dispensandi potest alteri delegare, nam id nullo jure prohibetur; imo ordinario licet generaliter omnes causas matrimoniales committere; ergo et facultatem in denuntiationibus dispensandi. Nec verum est, cum Host., Covarr., Sanch., etc., quod concilium ad hanc dispensationem eligat industriam personæ episcopi, ideoque eam delegare nequeat; nam industria personæ non censetur electa, quando negotium a jure committitur prudentiæ personæ incognitæ et indeterminatæ, nisi expresse aliud statuatur.

Resp. 3. Justæ causæ dispensandi in denuntiationibus sunt : 1° Probabilis timor de malitiose impediendo matrimonio, si denuntiationes præmitterentur. 2° Scandalum publicum; ut si concubinarius velit ducere concubinam, quæ publice existimatur ejus esse uxor. 3° Repentinus casus ; ut si statim proficiscendum sit ad bellum, vel si copulandi sint concubinarii, ne a judice comprehendantur. 4° Casus revalidandi matrimonii antea publice in facie Ecclesiæ contracti. 5° Qualitas personæ; ut si reges et alii proceres velint contrahere, quia eorum matrimonia non solent denuntiari. Similiter etiam ob ludibrium evitandum remitti solent denuntiationes seni volenti contrahere cum juvencula. 6° Si instet tempus adventus, vel quadragesimæ, præmissa una denuntiatione, reliquæ omitti possunt. 7° Denique quæcumque notabilis commoditas, sive spiriritualis, sive corporalis, vel incommoditas evitanda.

Resp. 4. Judicare de justitia causæ est ordinarii, qui, antequam dispenset, summarie et extrajudicialiter cognoscet, an

causa sit justa dispensandi; nam Trid. totum hoc committit prudentiæ et conscientiæ episcopi; et cons. necessario non requirit probationes judiciales, sed nudam et planam cognitionem, etiam extrajudicialem. Et quamvis ordinarius, stante justa causa, non teneatur ex rigore justitiæ dispensare, cum dispensatio sit gratiæ, et non necessitatis : can. 15 in fine, q. 7, c. 14, *de Elect.*, ibi : « Possit ordinarius gratiam dispensationis facere; » tamen quando adest causa boni communis, vel notabilis commoditatis in bonis animæ, corporis aut fortunæ, obligatur ordinarius vi officii sui, quo tenetur studere bono subditorum, dispensationem impertiri; alioquin potestas ista non esset ad ædificationem. Idem argumentum currit in dispensatione aliorum generum et materiarum.

In constit. Benedict. XIV *Satis vobis,* 17 novemb. 1741, circa matrimonia contrahenda quæ vocantur conscientiæ, præcipitur : 1° Ut hujusmodi matrimonia contrahenda cum denuntiationum dispensatione celebrentur coram parocho alterius ex contrahentibus, nec sine gravi causa adhibeatur alius sacerdos, et tunc a solo episcopo deputandus. 2° Ut documenta sic celebrati matrimonii statim a parocho vel alio sacerdote, ut supra deputato, ad episcopum transmittantur, transcribanturque in libro distincto ab altero in quo adnotantur matrimonia publice contracta, in episcopali cancellaria sigillis obsignato asservando, et nunquam aperiendo, nisi de licentia episcopi; documenta autem a parocho transmissa, vel sacerdote qui illius vices gessit, serventur in secretiori loco penes ipsum episcopum. 3° Ut proles inde suscepta baptizetur in ecclesia in qua aliis baptismus indistincte confertur, denuntieturque episcopo intra triginta dies a nativitate dictæ prolis numerandos, vel per parentes, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per aliam personam ab ipsis designatam, ac ejusdem prolis et utriusque parentis vera nomina in libro adnotentur distincto ab altero matrimoniorum, eodem modo quo hic custodiendo. 4° Ut conjuges aperte moneantur a parocho, vel sacerdote ac supra deputando, harum binarum conditionum adimplendarum pacto eis permitti secreti matrimonii celebrationem, sub pœna evulgationis matrimonii per episcopum faciendæ, licet hoc contractum sit data per eumdem episcopum secreti fide.

IV. An matrimonia clandestina, sine parocho et testibus præsentibus, sint invalida?

Resp. 1. Affirmative in locis ubi viget decretum Trid. cit., sess. 24, c. 1, *de Ref. matr.*, ibi : « Qui aliter quam præsente parocho, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit. » Quo decreto correctum est jus antiquum, juxta quod matrimonia clandestina erant valida (c. 2 h. t.), semper tamen graviter illicita, ut testatur Trid. cit. cap. 1 pr. ex can. 1, et seq. 30, q. 5. Rationes gravissimas, ob quas matrimonia clandestina irritata sunt, insinuat Trid., loco cit., uti sunt gravia peccata, pluralitas conjugum et continuatio adulteriorum; dum aliqui, relicta uxore clandestine ducta, cum alia palam contraxerunt, et cum ea in perpetuo adulterio vixerunt, etc. Et quia hoc decretum irritans fundatur in præsumptione periculi universalis, sequitur illud non cessare, etsi per accidens in uno vel altero casu cessent ista mala et matrimonium non negetur.

Resp. 2. Decretum hoc Trid. in nulla alia parochia obligat, nisi in qua publicatum et usu receptum est (Trid. cit. c. 1, in fine). Unde 1° non stringit fideles in Anglia, Scotia, Hibernia, Suecia, Dania, Saxonia, Borussia, etc., quia ob hæresim regnantem in his locis non est publicatum. Et similiter non stringit fideles inter Turcas et alios infideles commorantes, cum ibi publicatum non sit (1). 2° Hæretici in locis in quibus Trid. publicatum est, ligantur hoc decreto per se et regulariter, cum rebelles subditi non eximantur ab observatione legum, nisi decretum hoc contraria consuetudine abrogatum sit (2). 3° Fideles commorantes v. g. in Hollandia et aliis provinciis confœderatis, ubi Trid. publicatum est, si nullum habere possunt sacerdotem

(1) Quoad loca in quibus Tridentinum decretum fuit promulgatum vel non, vide Mansella, *de Impedim. matrim.*, p. 130-140.

(2) Acriter disputant CC. de validitate matrimoniorum sive hæreticorum sive mixtorum in locis in quibus Trid. publicatum fuit. (Vide Mansella, *de Imp. matrim.*, dist. 1, q. 2.) Juxta omnes, hæretici non sunt exempti, quia hæretici; sed aliunde rationes petuntur. Ob gravia incommoda, Sedes Apost. nihil declaravit, modo generali; sed solet respondere : Nihil innovandum, sed recurrendum pro casibus particularibus. (S. C. Inq., 13 jul. 1818, 1829.)

catholicum, videntur valide coram duobus vel tribus testibus contrahere matrimonia; tum quia pia mater Ecclesia videtur condescendere ad eorum valorem; tum quia in talibus locis decretum Trid. moraliter impossibile est observari : pastor tamen hæreticus non est adhibendus, ut talis recognoscatur a catholicis (1).

Benedictus XIV, per organum Sacræ Congr. Conc. coram se habitæ die 13 mai 1741, generali decreto a se confirmato die 4 novemb. ejusdem anni, per extensum relato in ejus Bullario, tomo I, pag. 87, declaravit : 1° Matrimonia contracta et contrahenda sive ab hæreticis inter se, sive a catholicis cum hæreticis, aut si catholicus hæreticam feminam ducat, aut catholica hæretico nubat, in fœderatorum ordinum Belgii provinciis, valida esse, etiamsi in iis celebrandis non servata fuerit forma a Tridentino præscripta; ita ut, si contingat utrumque conjugem ad catholicæ Ecclesiæ sinum se recipere, non opus sit eos coram parocho catholico consensum renovare : sin autem unus tantum, sive maritus, sive uxor, convertatur, neuter ad alias nuptias transire potest, quandiu alter vivit. 2° Similia matrimonia itidem valida esse, etiam contracta extra fines dominii eorumdem fœderatorum ordinum, ab iis qui addicti sunt militaribus copiis quæ ab eisdem fœderatis ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas, dummodo uterque conjux ad easdem copias pertineat. 3° Hujusmodi declarationem complecti etiam matrimonia contracta in civitate Mosæ Trajactensis, quamvis non jure dominii, sed oppignorationis tantum a republica fœderatorum ordinum possessa.

Nota tamen ex epistola decretali ejusdem Pontificis ad Paulum Carmelitam excalceatum in iisdem provinciis missionarium, *Redditæ sunt,* sub die 17 sept. 1746, tomo III, hujusmodi declarationem non suffragari sponsis utrisque catholicis ibidem degentibus, si coram civili magistratu aut hæretico ministro consensum in matrimonium de præsenti declaraverint, nec illud

(1) Pius VI, occasione Gallicæ perturbationis, scripsit, anno 1793, conjugia contracta coram testibus et sine parocho fuisse valida et licita, quia fideles parochum legitimum habere non poterant. P. Ballerini refert S. Congr. Conc. declarationem docentis facultatem adesse sic celebrandi cum duobus testibus, quando per *spatium mensis* tutus non est accessus ad parochum.

ad formam Tridentini contraxerint, aut post contractum more hæreticorum consensum renovaverint.

Resp. 3. In casu quo revalidatur matrimonium ob impedimentum publicum, necessaria est præsentia parochi et testium; nam alias non erit matrimonium firmum et probabile in facie Ecclesiæ. At si impedimentum est occultum, non est necessaria talis præsentia, ut declaravit S. Pius V, quam declarationem sequitur S. Pœnitentiaria, et communis praxis : nam Tridentino satisfit per hoc, quod antea matrimonium contractum sit in facie Ecclesiæ, adeoque probari possit; ita ut revalidatio retrotrahatur ad tempus quo præsentia parochi et testium fuit adhibita. Nec obstat quod Clem. VIII feratur dispensasse ut revalidatio fieret sine parocho et testibus, nam dispensatio ista vel fuit ad majorem cautelam et securitatem, vel necessaria fuit ex eo quia impedimentum in foro externo fuit probabile : Schmalz., a n. 119.

Resp. 4. Episcopus contra decretum Trid. non potest dispensare, ut matrimonium clandestinum valeat; nam talis potestas ei non conceditur, maxime cum ipsi contrahentes reddantur omnino inhabiles ad sic contrahendum. Neque in casibus in quibus ante Trid. matrimonia clandestina erant licita, hodie post Trid. sunt valida; quia casus isti non reperiuntur excepti a decreto irritante : uti sunt periculum mortis, grave malum ex publico matrimonio secuturum, malitiosa impeditio matrimonii, periculum amittendæ opportunitatis illud contrahendi, et revalidatio illius publice contracti, si impedimentum fiat notorium (1).

Resp. 5. Fideles transeuntes ex loco ubi Trid. non observatur ad locum ubi observatur, tenentur servare formam Tridentini : nam ratione contractus sortiuntur forum (c. fin. *de Foro compet.*); ergo, ut valide contrahant, tenentur servare formam substantialem præscriptam matrimonio in tali loco contrahendo. At si ex loco ubi Trid. observatur, veniant ad locum ubi non observatur, animo ibi figendi domicilium, valide contrahunt matrimonium clandestinum.

(1) Amort., in *Theol. mor.*, tr. 2, § 14, q. 4, docet, in casu quo superior, v. g. Papa vel episcopus, adiri non potest, concurrente necessitate, ab inferiori dispensari posse ex præsumpta licentia superioris. Observandum tamen a sic contrahentibus juramentum libertatis, juxta dicenda, v. g. § *Quis autem.*

Quod verum est etiamsi ibi figant domicilium solo animo ut sine parocho et testibus contrahant, si hoc vere transferatur, ut ex infra cit. decreto.

Quod, speculative loquendo, verum est etiam in illo casu quo, data opera, se conferunt ad illum locum contrahendi matrimonii clandestini causa : quia utentes jure suo nihil faciunt in fraudem legis. Sed hodie contrarium est tenendum ex decreto Congr. Conc. an. 1627, 14 aug. (relato etiam a Benedicto XIV, *Inst. ecclesiast.* 33), quod approbavit Urban. VIII, idemque recepit archiep. Coloniensis.

Ubi insuper declarantur invalide contrahere, si, per dictum locum transeuntes, etiam sine fraude contrahant, quoties adhuc retinent domicilium in loco ubi Tridentinum quoad hoc punctum promulgatum est.

Resp. 6. Matrimonia clandestina non valent per se in vim sponsalium : ita Sanch., Barbosa, Fagn. et alii, contra Laym., Coninck, etc.; nam talis contractus est absolute irritatus; ergo nec valet in vim sponsalium, nisi alia esset intentio contrahentium. Hinc S. C., teste Joan. Gallemart, respondit episcopo Patavino matrimonium clandestinum non resolvi in sponsalia.

Nec obstat cap. unic., § idem, *de Despons. impub.;* nam jus præsumit matrimonia impuberum valere, saltem ut sponsalia : quæ præsumptio non stat in matrimonio clandestino, ne scilicet actus agentium operentur ultra intentionem eorum.

V. Qualis debeat esse parochus assistens matrimonio ?

Resp. 1. Debet esse parochus proprius domicilii, vel quasi-domicilii (1) ratione cujus fit aliquis parochianus : nam aliæ

(1) Notandum est, quod DD. non conveniunt in conceptu quasi-domicilii : alii enim, cum Benedicto XIV, exigunt habitationem realem cum intentione ibi manendi per majorem anni partem aut saltem per semestre; juxta alios, cum Fagnano, sufficeret habitatio ex causa quæ aliquam exigit commorationem, etsi hæc commoratio non attingat majorem anni partem. Imo nonnulli constit. *Paucis ab hinc* Benedicti XIV intellexerunt in hoc sensu quod habitatio unius mensis sufficeret ad inducendum quasi-domicilium; sed hæc ultima opinio est eliminanda, quia Benedictina illa constitutio fuit explicata per decretum S.Officii 24 mart. 1867; Benedictus XIV docebat tantum habitationem unius mensis suppeditare *præsumptionem juridicam*, an dubia fuisset intentio manendi, saltem per semestre. Nam dum constat de intentione, domicilium acquiritur prima die habitationis.

Prima opinio est tenenda, cum secunda nullo firmo innitatur fundamento.

qualitates a Trid. sess. 24, c. 1, *de Ref. matr.*, non requiruntur in parocho (1). Nomine parochi veniunt etiam illi qui cumulativam potestatem habent cum parocho, ut episcopus, legatus apostolicus, Papa, cardinales in ecclesiis suorum titulorum, capitulum, sede vacante; item illi qui vices parochi agunt, ut vicarii perpetui et temporales (2). Unde 1° in parocho non requiritur qualitas sacerdotii; quia sine hac est verus parochus, et assistere potest, cum assistentia non sit actus ordinis, sed testimonii.

Nec obstant verba cit. Trid.: *vel alio sacerdote*, nam particula *alius* non semper est repetitiva similium, sed quandoque dissimilium, prout subjecta materia patitur; sicut Luc., XXIII: *Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo.*

2° Parochus suspensus vel excommunicatus, etiam non toleratus, valide assistit matrimonio, quia adhuc est parochus; cum censuræ istæ non tollant titulum parochiæ neque inficiant talem assistentiam; cum ista nec sit actus jurisdictionis, nec actus officii sub censuram cadens, nec actus testimonii specialiter qualificati; eo quod testes etiam infames recipiantur ad probationem matrimonii. 3° Parochus, cui ordinarius specialiter prohibuit assistere matrimonio, licet assistendo graviter peccet contra præceptum superioris, valide tamen assistit; quia per hanc prohibitionem non desinit esse proprius parochus, ac proinde locus est regulæ : « Multa fieri prohibentur », etc. Ex quo patet disparitas ad c. 16, *de Elect.*, quia suspensio privat voce activa et passiva, et cons. inficit electionem : econtra dicta prohibitio non privat titulo parochiæ. Multo minus validæ assistentiæ obstat vita criminosa parochi, vel occultus defectus tituli, dummodo ex errore communi habeatur pro parocho, ut alias sæpe dictum ex l. *Barbarius* 3, ff. *de Offic. prætor.*

Igitur si constaret nullam ab initio fuisse voluntatem manendi, validum non foret matrimonium contractum ante *sex menses* habitationis realis.

(1) Parochus *originis* non censetur proprius in ordine ad contrahendum matrimonium, ut pluries declaravit S. Congr. Conc., speciatim *in Mutinensi*, 18 nov. 1701. Verum ead. S. Congr., *in Lugubin.*, 24 maii 1788, declaravit parochum domicilii paterni, materni et fraterni posse assistere matrimoniis puellarum quæ famulatum præstant in aliis locis.

(2) Ita et coadjutor parochi in genere deputatus ad sacramenta administranda.

Resp. 2. Parochus, licet excommunicatus, potest delegare facultatem assistendi matrimonio, non tamen alii quam sacerdoti sive sæculari, sive regulari, ex Trident. loco cit., ubi in delegato requirit qualitatem sacerdotii, ibi : « vel alio sacerdote », secus, sine hac commissione et qualitate sacerdotii, invalida est assistentia ob decretum irritans ibi subnexum.

Sacerdos a proprio parocho ad hoc delegatus potest assistere matrimonio nedum intra delegantis parochiam, sed etiam extra propriam diœcesim ; et multo magis delegatus ab episcopo, ut probat Fagnan., hoc eodem tit. cap. *Quod nobis,* num. 33 et seq. Non posset autem assistere cum consuetis solemnitatibus, nec sponsos benedicere, sine consensu parochi intra cujus parochiam contraheretur matrimonium, cum tunc exerceret jurisdictionem in alieno territorio : Reiffenstuel, hoc titulo § 2, num. 67.

Venit autem in generali commissione ad sacramenta administranda etiam facultas assistendi matrimoniis, ut comm. cum praxi tenet contra Henriq., Sanch., etc. ; nam licet parochus proprie non administret sacramentum matrimonii, vulgari tamen et abusivo modo dicitur administrare, quatenus præsentiam præstat huic sacramento ; ergo si vicario alicui generaliter committat sacramentorum administrationem, censetur includere etiam assistentiam matrimonii : si v. g. inter duos parochos vel capellanos bellicos est generalis conventio, aut consuetudo, ut alter alterius absentis vices suppleat in actibus parochialibus, valide alter loco alterius assistit matrimonio, cum talis commissio generalis non prohibeatur a Trid.

Resp. 3. Licentia præsumpta de futuro non sufficit ad valide assistendum, bene vero præsumpta, seu tacita de præsenti, dum parochus est præsens, videlicet non contradicit ei qui vult assistere : ita comm. Ratio 1ª quia licentia præsumpta de futuro non est actu licentia quam requirit Trid., sed tantum esset si parochus adesset ; ergo. Neque locum hic habet ratihabitio ex reg. in 6°, quia valor matrimonii non pendet ex solo mandato parochi, sed etiam ex consensu partium, qui sine actuali licentia parochi non est legitimus. Ratio 2ª est ex reg. XLIII, *Qui tacet,* in 6°, quia tacens tunc habetur pro consentiente, etiam in odio-

sis, dum facile posset et deberet contradicere, et non contradicit : sed in dato casu parochus facile posset et deberet contradicere ; ergo. 2° Si licentia, conscio sacerdote, petita est, is valide assistit matrimonio, dummodo licentia prius sit data, licet nuncio in via existente necdum sit intimata : nam talis licentia censetur statim accepta a momento concessionis. Hoc tamen modo illicite agit sacerdos, quia sacramentum exponit periculo invaliditatis, casu quo licentia est denegata, vel posterius concessa. Si autem, sacerdote inscio, licentia data est, donec intimetur, non est valida assistentia, quia non censetur acceptata. 3° Ordinarii licentia ut sacerdos assistat copulationi Titii cum certa persona, non sufficit ad assistendum contrahenti cum alia persona cui ordinarius interdixit matrimonium, quia iste casus specialis non venit in generali commissione, ex reg. LXXXI, in 6°; at si dedit licentiam ut assistat, præmissis denuntiationibus, his omissis, valide assistit, quia concessio ista censetur conformis juri juxta quod matrimonium, omissis denuntiationibus celebratum, est validum. 4° Licentia metu extorta valet, cum nullibi irritetur, sicut irritatur concessio jurisdictionis metu facta : l. II, ff. *de Judic.* Dolus, nisi sit in causa finali, non vitiat licentiam ; quia causa finalis vera, licet impulsiva sit falsa, sufficit ad validam impetrationem. 5° Revocatio licentiæ non prius sortitur effectum, donec ab ordinario per se, vel per litteras aut nuntium, sit intimata commissario, licet is aliunde sciverit esse revocatam : ita Sanchez et alii, ex lib. XVII, ff. *de Off. præsid.;* nam licentia data est voluntate parochi, et accepta voluntate commissarii ; ergo etiam utriusque voluntate dissolvi debet, scilicet per intimationem ab ordinario seu parocho factam.

Nec obstat paritas a delegato, cujus jurisdictio, re integra, exspirat morte delegantis : c. XX, *de Off. deleg.;* quia delegatus non potest agere in virtute delegantis, utpote mortui ; at in nostro casu commissarius tandiu censetur agere in virtute parochi, donec revocatio mandati ei intimetur; quod etiam accidit in procuratore (c. XIII, *de Procur.*).

Resp. 4. Si sponsi actu sint diversarum parochiarum, valide assistit parochus sive sponsæ, sive sponsi : ita fertur declarasse S. Congr.; nam propter unitatem hujus sacramenti, paro-

chus unius sponsi sit parochus etiam alterius. 1° Quoad licentiam, attendi debet consuetudo diœcesium, juxta quam in plerisque locis copulatio spectat ad parochum sponsæ. 2° Sponsus æqualiter habitans per annum in duplici domicilio contrahere potest coram alterutro parocho, licet conveniens sit ut contrahens in hieme adhibeat parochum hiemalis domicilii et econtra. Principes et alii magnates coram parocho sui palatii contrahere debent. 3° Vagi regulariter contrahunt coram parocho loci in quo tempore contractus versantur, quia in eo sortiuntur forum, licet Sànchez dicat probabile quod vagi, vel saltem si unus sit vagus, eligere sibi possint parochum. Circa matrimonia vagorum observandum est præceptum Trid. sess. 24, cap. 7, *de Reform. matrim.*, ut scilicet nullus parochus eorum matrimoniis assistat, nisi prius facta diligenti inquisitione de ipsorum statu et habilitate, re tota delata ad ordinarium atque ab eo obtenta licentia. Quod sane fit propter evitandum periculum animarum, ne uxores uxoribus superinducantur, prolibus noceatur, et alia mala perpetrentur. Idem dic de matrimonio forensium seu peregrinorum, qui alibi domicilium habent. 4° Milites in castris contrahunt coram curione seu capellano castrensi, si is a Papa vel ordinario loci approbatus sit ad curam animarum; et si facultas curionis extendat se etiam ad præsidia, potestas ista est non privativa, sed cumulativa cum potestate parochi (S. Congr. *in una Belgii*, 29 maii 1683). Si vero capellanus bellicus non sit approbatus ad curam animarum, milites contrahere debent coram parocho loci in quo existunt, cum iste sit proprius eorum parochus. Cæterum approbatio ab episcopo unius diœcesis non extendit se ad aliam diœcesim, et ideo non sufficit ad valide assistendum matrimonio militum ad aliam diœcesim discedentium.

Ex decretis Congr. Conc. relatis a Bened. XIV (*Inst. eccl.*, 33), rite contrahere possunt matrimonium coram parocho loci intra cujus parochia limites degunt : 1° Prætor, judex, medicus temporalis, professor alicujus facultatis, discipuli et famuli, licet exteri : circa quod punctum vide regulam ab auctore allatam lib. II, tit. II, *de Foro comp.*, n. 11 et seq. 2° Carceribus detenti, dummodo non detineantur pro custodia tantum, videlicet donec eorum causa judicis sententia cognoscatur. 3° Puellæ expositæ

in hospitio spuriorum detentæ. 4° Puellæ quæ in aliis hospitiis seu conservatoriis servantur et eorumdem proventibus aluntur, licet per breve tempus discedant, suos domesticos invisuræ. Puellæ vero quæ data fide et viro jam destinatæ per consanguineos invitæ monasteriis detinentur, ex generalibus decretis Congreg. Episc. et Regul. cit. instit. relatis, extrahi debent ab iisdem monasteriis, licet ordinario minime subjectis, ut contrahere possint coram parocho cujus ditioni paterna ædes adjecta judicabitur. Quod si difficile sit ad extractionem devenire, illæque in alia parochia domicilium non habeant, tunc matrimonium contrahent coram parocho intra cujus parochiam situm est monasterium; si vero proprium domicilium habeant, coram hujusmodi domicilii parocho contrahent, ut probat idem Benedictus (loco cit.).

Quis autem debeat assistere matrimonio quod aliquando ineundum est ab iis qui in xenodochiis in gravi vitæ periculo versantur, ut animæ saluti prospiciant, an scilicet xenodochii capellanus, vel parochus in cujus ditione illud situm est, magna est contentio inter DD. ideoque standum erit in tali casu declarationi seu deputationi ordinarii, ut ibidem sentit idem Pontifex. Verum tunc monendus erit ægrotus ne sanitati restitutus ad uxorem accedat, donec paruerit iis quæ a S. Officio præscribuntur circa juramentum ab eo præstandum de sua libera conditione, cæterisque impedimentis, juxta instructionem d. tribunalis relatam a Corrado in praxi dispensat. (lib. VII, c. 6, n. 23), si temporis spatium non suppetat eo uti, antequam matrimonium, sive intra, sive extra præfata xenodochia, contrahatur.

Cæterum ex aliis decretis Congr. Conc. cit. inst. relat. parochus loci ubi quis degit rusticationis, recreationis, vel negotiorum causa, seu ad quem quis se transfert solo animo contrahendi matrimonium, non autem contrahendi domicilium, non est proprius quoad ipsum matrimonium.

VI. Quot, et quales esse debeant testes matrimonio interessentes ?

Resp. Saltem duo; in quibus tamen nulla specialis qualitas requiritur, sed sufficiunt qualitates de jure naturali requisitæ, scilice tusus rationis, et plena advertentia ad id quod agitur inter sponsos : ita colligitur ex Trid. sess. 24, c. 1, *de Ref. matr.*, ibi :

« duobus, vel tribus testibus : » ubi pro testibus nulla specialis qualitas exprimitur ; ergo nec nos illam requirere debemus, ne magis in hac materia correctoria recedamus a jure naturali. Ratio congrua est, quia favor matrimonii exposcit testes etiam minus habiles, uti sunt feminæ, minores, infames (arg. c. 6, *de Hæret.*, in 6°), ne præcludatur via contrahendis matrimoniis ; maxime cum minor idoneitas testium regulariter adjuvetur per excellens testimonium parochi. Unde in hoc contractu cessat edictum prohibitorium de testibus l. I et seq., ff. *de Test.*, can. 2, *Placuit*, 4, q. 3, c. 28, *de Sponsal.* His non obstat c. 1, *de Consang.*, nam ibi non agitur de contrahendo, sed dissolvendo matrimonio ; quæ dissolutio, ne fiat cum irreverentia tanti sacramenti, exigit testes omni exceptione majores.

VII. Qualis, et in quo loco debeat esse præsentia parochi et testium ?

Resp. 1. Præsentia ista non debet esse mere physica, sicut est dormientium, ebriorum ; sed moralis, ut testes adsint modo humano, et intelligant quid agatur; non mere casualis sine advertentia : si tamen testes qui casu advenerunt, admoneantur a sponsis ut attendant contractui celebrando, sufficit eorum testimonium, cum per eos probari possit matrimonium : ita sæpius decidit S. Congreg. Ob eamdem rationem sufficit præsentia parochi et testium vi aut dolo extorta, ut comm. tenet contra Seguram, et sæpius declaravit S. Congr.; nam hoc modo, cum probari possit matrimonium, obtinetur principalis finis Tridentini ; et aliunde voluntaria præsentia nullibi a jure requiritur ad valorem matrimonii. Huc valet illud Jurisconsulti (lib. CCIX, ff. *de V. S.*) : « Scire, non etiam velle is debet, cum eo invito recte fit. »

Dices : Ad auctoritatem præstandam requiritur præsentia moralis secundum intellectum et voluntatem ; puta, ut quis sciat et velit contractum fieri (lib. I in fine, ff. *de Auct. tut.*); sed parochus nomine Ecclesiæ debet præstare auctoritatem matrimonio, et sponsos copulare per verba : « Ego vos conjungo, » etc.; ergo. Resp. Dist. min. Debet præstare de ritu accidentali, conc. m.; de ritu substantiali ad valorem matrimonii requisito, n. m. Auctoritas parochi est solum ritus accidentalis ; et cons. sciente, invito parocho, valide contrahitur matrimonium, non tamen licite ; quia parocho coacto injuriam, et præcepto Ecclesiæ contemptum inferunt : ac proinde ita contrahendo graviter peccatur. Simi-

liter parochus, si data opera omittat consueta verba copulationis, videtur graviter peccare, cum talis omissio adversetur gravi præcepto; licet Sanch., Gonz. et alii dicant non excedere veniale, quia verba ista nec sunt de forma sacramenti, nec de ritu magni momenti (1).

Resp. 2. Matrimonium regulariter celebrandum est in ecclesia propriæ parochiæ, ut habet comm. praxis. Potest tamen parochus proprius extra fines suæ parochiæ, imo et diœcesis, assistere matrimonio suorum parochianorum ; quia talis assistentia nec est actus jurisdictionis contentiosæ, nec per se exigit actum ordinis, sicut benedictio nuptiarum, neque locum a Trid. habet determinatum. Si tamen parochus solemniter vult assistere matrimonio in aliena parochia, opus habet licentia parochi loci, ne functiones eorum perturbentur. Ex causa aliqua potest parochus matrimonio assistere in oratorio, vel domo privata ; ut si sponsus vel sponsa ægrotet, etc. Hæc eadem proportionaliter observat commissarius cui parochus licentiam dedit assistendi.

VIII. Quomodo probetur valor matrimonii ?

Resp. 1. De jure Trident., probatur ex testimonio parochi et testium, uti etiam ex libro parochiali ; quia parochus in annotandis matrimoniis constituitur a cit. Trid. sess. 24, c. 1, *de Ref. matr.,* instar notarii publici. 2. De jure veteri, matrimonium probandum est ab eo qui asserit esse contractum, quia asserentis est probare ex l. II, ff. *de Prob.*, ex qua regula suppletur textus c. 1 h. t., ibi : « Viro incumbit probatio, » puta asserenti, vel mulieri asserenti. Si uterque neget, non sunt cogendi ad matrimonium : si vero uterque affirmet matrimonium esse clandestine contractum, eis credendum est (c. 2 h. t.). Porro matrimonium clandestinum, postquam ex judicio Ecclesiæ publicatum est, habetur pro valido, ac si ab initio in facie Ecclesiæ contractum fuisset(c. 2 in fin. h. t.). De legitimitate filiorum agetur tit. XVII, et de benedictione nuptiarum, tit. fin.

(1) Auctor videtur constanter supponere certam esse sententiam quod contrahentes sibi invicem administrent sacramentum, prout superius dixit, et quod sacerdos non sit minister, sed tantum testis; verum hanc rem valde incertam esse declarat Benedictus XIV in opere *de Synodo*, et probat Amort in *Th. mor.* tr. 15, § 2, q. 6, edit. Girald. At auctorem recte sentire in hoc constat hodie ex multis declarationibus Sedis Apostolicæ plus minusve directis. (Vide Perrone, *de Matrim. Christi*, t. II, s. I, c. 7).

IX. Quæ sint pœnæ clandestine contrahentium, vel matrimonio assistentium?

Resp. 1. Contrahentes matrimonium sine denuntiationibus sequentes incurrunt pœnas : 1° Si tale matrimonium est invalidum ex quocumque impedimento dirimente, sive illud sponsi sciverint, sive non, proles ex illo genitæ sunt illegitimæ (c. fin., § *Si quis,* h. t.). nam ita contrahentes præsumuntur habere malam fidem et scientiam latentis impedimenti. Nec obstat quod cit. c. fin. mentio fiat tantum consanguinitatis, affinitatis, vel alterius agnationis ; nam de aliis impedimentis eadem est ratio, et gradus prohibiti ponuntur per modum exempli, quod regulam non restringit. At si tale matrimonium publicatum est ab Ecclesia ut validum, proles sunt legitimæ, ut comm. docet contra Maurum ; siquidem in cit. c. fin. sermo est de prolibus natis ex matrimonio invalido. Imo, facta publicatione, quæ retrotrahitur, omnes proles ex tali matrimonio susceptæ sunt legitimæ, licet postea detegatur impedimentum latens ; quia approbatio Ecclesiæ tollit omne vitium clandestinatis et præsumptionem ignorantiæ affectatæ : Sanch. (lib. III, disp. 42 et 43), Schmalz. et alii, licet Brunellus, Rosella et alii dicant illas tantum proles esse legitimas, quæ natæ sunt post approbationem Ecclesiæ. 2° Altera pœna est, quod contrahentes sine denuntiationibus priventur omni spe impetrandæ dispensationis in impedimento dirimente (Trid. sess. 24, c. 1, *de Ref.*, quia non sunt digni gratia Ecclesiæ, qui ejus salutaria præcepta contempserunt : unde circumstantia ista aperienda est in supplicatione dispensationis. 3° Pœna contrahentium matrimonium clandestinum absque præsentia parochi et testium, præter inhabilitatem ad sic contrahendum, est gravis, arbitraria, ab episcopo infligenda : ita jubet Trid. sess. 24, c. 1, *de Ref.;* gravior autem erit pœna, si tale matrimonium de se invalidum consummatum est, cum et gravius sit delictum. In quibusdam diœcesibus, statuitur pœna excommunicationis, ut melior hujus decreti observantia habeatur.

Resp. 2. Pœna parochi assistentis matrimonio sine præmissis denutiationibus, extra casum dispensationis, est suspensio triennalis ab officio, vel alia gravior pro qualitate delicti (c. fin.

§ fin. h. t.). Est autem ferendæ sententiæ ob verbum *suspendatur,* neque privat fructibus, cum tantum sit ab officio, et non beneficio. Hæc pœna pro casu quo omissæ sunt denuntiationes adhuc hodie durat, cum non reperiatur a Trid. correcta. 2° Parochus, vel de ejus licentia alius sacerdos assistens matrimonio clandestino ob defectum testium duorum vel trium, subjacet arbitrariæ pœnæ ab episcopo infligendæ, ex Trid. sess. 24, c. 1, *de Ref. matr.*, ubi etiam tali pœnæ subjiciuntur testes sine parocho interessentes matrimonio. In hoc autem casu non habet locum triennalis suspensio lata cit. c. fin. h. t., tum quia hoc cap. loquitur de sacerdotibus copulantibus sine denuntiationibus, tum quia, licet idem cap. procederet de copulantibus sine numero testium, tamen pœna triennalis suspensionis a Trid. commutata est in pœnam arbitrariam; siquidem nova pœna novæ materiæ et novo delicto apposita tollit pœnam priorem alteri materiæ, et dilecto appositam; sed hic nova pœna apponitur novæ materiæ et novo delicto : nam ante Trid. tale matrimonium valuit, post illud non valet; ergo.

Resp. 3. Sacerdos sæcularis, vel regularis, qui sine licentia proprii parochi ausus fuerit conjungere sponsos, vel eorum nuptias benedicere, incurret ipso jure suspensionem tandiu, quandiu ab ordinario illius parochi absolutionem non obtinuerit: Trid. cit. sess. 24, c. 1, *de Ref. matr.,* ibi : « Quod si quis parochus. » Videtur autem suspensio ista ferri, non ut pura censura et pœna medicinalis, sed ut pœna vindicativa prioris delicti, cum ejus absolutio relicta sit arbitrio episcopi.

Sacerdos alienus ex simplicitate vel ignorantia, etiam crassa, modo non sit supina et affectata, ita assistens matrimonio, non incurrit dictam suspensionem a Trid. latam : ita Sanchez, Barbosa et alii, nam Trid. loquitur de sacerdote præsumptuose et temerarie assistente, ut patet ex verbo *ausus fuerit,* quod temeraria maudaciam et præsumptionem significat : l. VIII : « Si quis in tantam pervenerit audaciam, » c. *Unde vi. Auth. habita,* c. *Ne filius pro patre,* ibi : « Ut nullus de cætero tam audax inveniatur, » etc. Sed qui assistit ex simplicitate et ignorantia modicum crassa, non assistit præsumptuose et temerarie : nam adhuc ignoranter facit, et non scienter, quod requiritur ad præsumptionem et temeritatem ; ergo non incurrit istam suspen-

sionem. An vero sacerdos temere vel ignoranter assistat, in foro externo colligi debebit ex circumstantiis.

Dices : Ignorantia juris, præsertim notorii, ut hic, non excusat sacerdotem, ex reg. XIII in 6°, quia sacerdotis est scire sacros canones (c. 1, d. 38). Resp. Licet aliqualis culpa sit in sacerdote ignorare sacros canones, tamen ignorantia ista, cum non faciat illum contumacem, excusat a censura suspensionis, uti etiam a pœna vindicativa, si ad hanc incurrendam jus prærequirat audaciam et temeritatem.

Resp. 4. Sacerdos regularis præsumens sine licentia proprii parochi solemnizare matrimonia, præter suspensionem a Trident. latam, non incurrit excommunicationem latam in Clem. 1, *de Privil.* : ita fertur declarasse S. Congr. Oppositum tamen tenent Sanch., Navarr. et alii (1).— Prob. Excommunicatio lata in cit. Clem. locum habet dum regularis assistit matrimonio clandestino valido, ex quo olim multa incommoda sequebantur, testante Trid. sess. 24, c. 1 pr. *de Reform. matr.* Ergo, cum pœnæ non sint laxandæ, pœna ista extendi non debet ad casum diversum, dum regularis assistit matrimonio clandestino hodie invalido, ex quo tot mala non sequuntur. Præterea hic nova est materia, novum delictum, et novum jus Trident.; ergo etiam nova est pœna suspensionis (2), per quam antiquata est pœna anterior excommunicationis, alteri delicto constituta.

Dices : Tunc pœna posterior mitior corrigit priorem severiorem, quando venit infligenda ministerio judicis, non quando utraque ipso jure incurrenda statuitur, ut tenet frequens DD. opinio ; sed hic utraque pœna excommunicationis et suspensionis incurritur ipso jure ; ergo posterior non tollit priorem. Resp. Omissa illa opinione, dist. maj. : si pœna posterior feratur super eadem materia eodemque delicto, trans. maj. ; si super diversa materia et diverso delicto, neg. maj. Aliud autem fuit olim, aliud est hodie assistere matrimonio clandestino ; et ideo alia dispositio, alia pœna.

X. An episcopus absolvere possit parochum vel alium sacerdotem a suspensione lata in c. fin., § fin. h. t. ?

Resp. Sanchez, lib. III, *de Matr.*, disp. 48, n. 2, ait hoc tempus trienne posse ex causa justa augeri vel minui, et disp. 52, n. 2,

(1) Excommunicatio lata in hac Clem. alias non renovatur in const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX.

(2) Hæc suspensio non fuit renovata in dicta const.

ait episcopum non posse ab hac suspensione absolvere, pro qua sententia plures DD. citat; sed probabilius resp. affirmative: ita Host., Jo. Andr., Præpos. et alii : nam tempus triennii committitur arbitrio episcopi, ut illud laxare vel stringere possit, ut fatetur Sanchez et alii (arg. c. 5, *de Appel.*); ergo etiam in arbitrio ejus est ex justa causa absolvere ante triennium, cum regulariter ejusdem sit in solvendo, cujus erat in ligando arbitrium : tum quia a censura non reservata episcopus potest absolvere per tritum c. 29, *de Sent. excom.*, ibi : « Quia conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi ; » sed suspensio triennalis cit. c. fin. statuta non reservatur Papæ; ergo.

Dices : Pœna in tempus definitum lata a conc. gener. nequit ab episcopo tolli, cum iste sit inferior conc. et jure comm.; ergo. Resp. Dist. ant : si tempus istud non relinquatur arbitrio episcopi, vel si pœna sit reservata, conc. ant.; secus, neg. antecedens.

TITULUS IV.

DE SPONSA DUORUM.

Examinatur hic duplex impedimentum *ligaminis :* alterum *impediens* ortum ex sponsalibus ; alterum *dirimens* ortum ex matrimonio. Ne vero rubrica ista sit incompleta, in ea subintellige alteram partem : *de sponso duarum.*

I. An ex sponsalibus oriatur impedimentum juris naturalis, prohibens contrahere cum alia?

Resp. 1. Affirmative, ex c. 1 h. t., nam spectato jure naturali, res uni promissa, alteri illicite traditur, cum prima fides violetur; sed per sponsalia promittitur sponsæ corpus et futurum matrimonium; ergo licite alteri tradi non potest; si tamen tradatur, inito matrimonio de præsenti, valet matrimonium (cit. c. 1 h. t. et c. 22 et 31, *de Sponsal.*, et arg. l. XV, c. *de R. V.*), quia vinculum matrimonii fortius est sponsalibus.

Resp. 2. Sponsalia dissolvere regulariter non potest Papa,

nisi vi dominii alti ex justa et gravi causa : nam Papa ligatur jure naturali, neque jus alteri quæsitum tollere potest, nisi adsit justa causa sufficiens ad irritationem prioris consensus : quia, irritatione facta, indirecte tollitur obligatio sponsalium per subductionem materiæ. Hæc tamen potestas irritandi non est concessa episcopo, ut colligitur ex c. 10, *de Sponsal.*, cum jus quæsitum tollere non possit, nisi supremus princeps.

Resp. 3. Sponsalia priora non dissolvuntur per posteriora jurata, vel per copulam firmata : ita comm. ex c. 22 et 31, *de Spons*. Ratio primi, quia per sponsalia priora jus matrimoniale est uni promissum ; ergo de jure naturali valide promitti alteri nequit etiam accedente juramento ; quia hoc in præjudicium tertii non tenet c. 28, *de Jurej.*, ne sit vinculum iniquitatis : unde posteriora sponsalia sunt jure naturali invalida, neque obligant, etsi priora dissolverentur ; nisi per accidens sub hac conditione inita fuissent, ut valerent, si priora dissolverentur. Ratio secundi, quia copula illicita non tribuit jus resolvendi priorem contractum, neque per illam tolli debet jus alteri sponso quæsitum; ergo. Excipe locum ubi Trid. non viget : ibi enim, si copula facta est affectu conjugali, sponsalia secunda transeunt in matrimonium. In illo casu quo sponsa secunda deflorata, ignara priorum sponsalium, pateretur damnum aliter non reparabile, nisi per matrimonium, sponsa prior, saltem ex charitate, teneretur remittere jus suum, ut docet Sanchez : ad id tamen in rigore ab episcopo cogi non posset : quia non apparet jus aliquid ratione cujus cogatur aliquis cedere jure suo, ut proximus a gravi damno liberetur. In praxi parochus, vel episcopus suadere potest amicabilem compositionem, si hæc sit possibilis.

Dices : Conditio defloratæ est favorabilior et æquitati conformior, quia ista certat de damno vitando. Resp. Neg. ant. ; nam etiam prior sponsa certat de damno vitando, ne jure quæsito spolietur : imo si per tales deflorationes priora sponsalia solverentur, lata esset porta ad dissolutionem plurium sponsalium.

Resp. 4. Sponsalia per subsequens matrimonium cum alia initum probabiliter non solvuntur, sed tantum suspenduntur : ita Adrian. Vega, Schmier, Schmalz. et alii contra Sanchez, Laym., Guttier., etc., quorum sententia est æque probabilis. — Prob.

negative, nam talia sponsalia non solvuntur jure naturali; quia hoc jure stat obligatio sponsalium cum matrimonio, quatenus respicit tempus habile soluti matrimonii; neque solvuntur jure positivo: c. 1 h. t., c. 22 et 31, *de Sponsal.*, quia in his juribus plus non dicitur, quam priorem fidem esse violatam, matrimonium valere cum secunda, neque conjuges esse separandos; non vero dicitur sponsalia esse penitus exstincta; ergo. Ratio est, quia lex justitiæ non admittit ut pars lædens, per iniquum matrimonium eximat se ab obligatione justitiæ in primis sponsalibus contracta; ergo talis obligatio perseverat, ut, soluto per mortem matrimonio, sponsus teneatur priorem sponsam ducere. Interim ex parte innocentis, si vult, est justa causa resiliendi a sponsalibus et ad alia vota convolandi.

Dices : 1° Can. fin. 27, q. 2, violanti fidem sponsalium sola pœnitentia imponenda est, ibi : « Pœnitentiam debet agere de fide mentita. » 2° cit. c. 22, *de Sponsal.*, ibi: «quia primam fidem irritam fecit; » ergo priora sponsalia irritantur, seu solvuntur, ut dicitur in summario. 3° Fortior obligatio perimit debiliorem : arg. c. 5, *de Regul.*, in 6°; sed obligatio matrimonii est fortior obligatione sponsalium; ergo. 4° Triste est et plenum periculi exspectare mortem alterius conjugis : arg. l. LXXXIII, § 5 ff. *de V. O.*, ubi rejicitur obligatio dandi rem sacram et stichum, ubi illa profana, et iste servus fuerit : idem reperitur l. XCVIII, § fin. ff. *de Solut.* 5° Venditor secundo emptori rem tradens, non tenetur eam tradere primo, etsi redeat in ejus dominium (l. XV, c. *de R. V.*); ergo a pari.— Resp. ad 1. Propter hoc delictum pœnitentia imponenda est; sed per hoc prior obligatio non exstinguitur. Ad 2. Facere fidem irritam, est illam violare, sed non obligationem illius penitus exstinguere : sicut voventes castitatem, si contracto matrimonio primam fidem irritam fecerunt, nihilominus ligantur voto castitatis, ut soluto matrimonio aliud inire nequeant. Ad 3. Si fortior obligatio quæsita sit eidem personæ, exstinguit debiliorem, sicut votum strictioris religionis exstinguitur per professionem in laxiori religione, idque propter conscientiæ tranquillitatem (cit. c. 5); at hic obligatio sponsalium et matrimonii quæsita est diversis personis. Ad 4. Periculum istud prior sponsa non induxit, adeoque per accidens est. Paritas de re sacra et sticho non probat, quia favore religionis et libertatis res sacra et servus manumissus plene ponuntur in alio statu, et extra commercium humanum : at maritus non ponitur extra statum contrahentium, quia soluto matrimonio, contrahere potest, sicut dari tichus promissus interim ab hostibus captus, et area promissa, in qua dominus ædificavit, postquam impedimentum captivitatis et ædificii sublatum fuerit (cit. l. XCVIII). Ad. 5. Neg. ant. ex multorum sententia, quia jus personale

primi emptoris non est exstinctum; ergo, si res ad venditorem redeat, tenetur eam primo emptori tradere; vel omit. ant. et neg. cons., nam solutio matrimonii pendet a causis naturalibus, adeoque obligatio in illud tempus habile recte subsistit; econtra recuperatio rei venditæ et traditæ pendet a causis liberis, et pendet etiam a voluntate venditoris, ut eo nolente, non acquiratur ei; adeoque obligatio ista pendens a voluntate obligati, est prorsus inutilis. Unde in tali casu jus venditorem vult condemnari ad interesse primi emptoris (l. I pr., ff. *de Action. empt.*).

Resp. 5. Obligatio contrahentis sponsalia secunda est, ut reparet omnia damna inde secuta, sive primæ, sive secundæ sponsæ : nam delicto suo proximum lædens tenetur ex justitia læsionem et damni illationem resarcire : unde si sponsa secunda ignara priorum sponsalium (scienti contra et volenti non fit injuria) deflorata est sub spe et promissione matrimonii, et prior sponsa jus suum non vult remittere, damnum inde secutum reparandum est, et quidem in conscientia ante sententiam judicis. Si vero nullum damnum sequatur, sponsus ad nihil tenetur, cum sola virginitatis ablatio non sit pretio æstimabilis.

II. An ex matrimonio seu sponsalibus de præsenti oriatur impedimentum ligaminis dirimens aliud matrimonium, priori stante, contrahendum ?

Resp. 1. Affirmative (c. 1, 2, 3 et fin. h. t.), nam matrimonium, de jure naturali, est conjunctio unius viri cum una muliere, juxta illud : « Erunt duo in carne una ; » ergo matrimonium ita ligat conjuges, ut in sensu composito aliud non admittat. Unde primum matrimonium ratum non solvitur per subsequens consummatum (c. 31, *de Sponsal.;* c. fin. h. t.), quia corpus uni traditum, alteri invalide traditur. Et quia hoc impedimentum est juris naturalis, hodie sublato per Christum libello repudii, ligat etiam Judæos et alios infideles.

Nec obstat cap. 3 h. t., quod Pontifices aliter circa hoc judicaverint ; nam judicium istud non fuit cathedralis definitio, sed forsan privata litis decisio, aut dispensatio in matrimonio rato. Dices : Si ligamen matrimonii est juris naturalis, nec Deus in eo dispensare potuisset; quod falsum esse constat ex libello repudii, et polygamia patriarcharum. Resp. Dist. seq. : si est juris naturalis absoluti, et quoad materiam invariabilis, sicut mendacium, hæresis, etc., conc. seq. conditionati ; si est quoad materiam variabilis, neg. seq. In illis

circumstantiis, in quibus Deus remittit jus conjugale, vel uni viro concedit jus in plura corpora uxorum, jus naturale non extendit se ad ejusmodi matrimonia, utpote ex parte materiæ subducta a communi obligatione.

Resp. 2. Polygamia, seu pluralitas uxorum cum eodem viro simul, adversatur juri divino et naturali : ita quoad rem comm. DD. catholicorum cum Trid. sess. 24, can. 2. Negantium vero opinio sane est intelligenda, quod scilicet polygamia non adversetur juri naturali absolute, et ex parte materiæ immutabili, sicut ei adversatur odium Dei, mendacium, et similia, quorum materia in nulla circumstantia cohonestari potest. Prob. de jure div. Gen., II, 24, ubi Adam, vel potius Deus ore Adami, dixit : « Adhæberit uxori suæ, et erunt duo in carne una : » non *uxoribus*, nec *plures*, sed *duo* in carne una, ut advertit Innoc. III, (c. 8, *de Divort.*); et Christus Dominus (Matth., XIX, 9) dicit eum mœchari qui, uxore dimissa, aliam ducit, et a fortiori, si prima retenta, aliam superinducat. — Prob. de jure naturali : nam præceptum illud, quod Deus per os Adami publicavit, non erat mere positivum, sed simul naturale, cum præter præceptum de pomo non comedendo, non fuerit aliud in paradiso mere positivum, ut communiter fatentur doctores. Ratio etiam est, quia pluralitas uxorum adversatur bono matrimonii et fini saltem secundario : nam contraria est *bono pacis* et tranquillitatis domesticæ, quia pluralitas uxorum causa est discordiarum : *bono prolis* seu generationi, saltem secundum quid, quia vir pluribus copulatus infecundus esse solet, ut patet in Salomone ex tot uxoribus unum Roboamum suscipiente (III Reg., I, 43) : *bono uxorum*, seu remedio concupiscentiæ, quia singulæ ex pluribus uxores pro placito suo non possunt uti marito; ergo. His accedit communis consensus gentium bene cultarum, quæ matrimonium in conjunctione unius viri cum una femina constituunt. Quia vero corpora humana substant supremo dominio divino, ideo communis TT. et can. docet Deum ex parte materiæ dispensare posse, ut unus vir jus habeat in plura corpora mulierum.

Resp. 3. Polyviria, seu pluralitas virorum cum una uxore, omni juri est contraria : nam adversatur primario bono et fini matrimonii, scil. *generationi;* quia hæc impeditur ex admissione

plurium virorum, ut patet in meretricibus; et *bonæ educationi* prolis; quia pater esset incertus, et ita quisque prolem negligeret. Judico tamen de absoluta potentia Dei fieri posse, ut una mulier matrimonio copuletur pluribus viris; nam hoc totum subest dominio Dei: neque tale matrimonium continet materiam absolute incohonestabilem, aut primario fine frustratur: siquidem tali casu Deus providere posset ne noceretur generationi et bono prolis; maxime si viri successive post singulas generationes essent admittendi.

Resp. 4. Polygamia plurium uxorum sub uno viro nulla humana potestate concedi potest: ita comm., quam sequitur Inn. III, c. 8, *de Divort.;* S. D., in 4, d. 33, q. 1, a. 2; nam jus in corpora Deus suo dominio reservavit, nec talem potestatem relaxandi jus naturale et divinum principibus aut Pontificibus concessit.

TITULUS V.

DE CONDITIONIBUS APPOSITIS IN DESPONSATIONE, ET ALIIS CONTRACTIBUS.

Nota 1° *conditionem* conformiter huic rubricæ definire quod sit affectio orationis suspendens vel resolvens contractum, ejusque obligationem. Dividitur: 1° in *suspensivam,* quæ obligationem actus suspendit seu differt, donec ipsa conditio existat, v. g. « Ducam te, si mille attuleris; » et *resolutivam,* quæ obligationem ab initio puram dissolvit et nullam reddit; v. g. « Ducam te, nisi intra octiduum ditior sponsa se obtulerit; Fundus tibi venditus esto, nisi intra proximas calendas alius emptor plus obtulerit. » Vide tit. ff. *De in diem addictione.* 2° In *possibilem,* quæ evenire potest, et *impossibilem,* quam evenire repugnat, ut, « si Chimæram obtuleris. » 3° Possibilis subdividitur in *necessariam,* quæ naturaliter existet, v. g. « si cras sol orietur, » vel ex suppositione decreti divini certo ponetur, v. g. « si Antichristus exstiterit; » et *contingentem,* quæ potest evenire vel non evenire, ut, « si pater consenserit. » Et hæc vel est *potestativa,* seu *arbitraria,* quam implere est in potestate contrahentis, v. g. « si

Capitolium ascenderis, si mihi obsequium præstiteris, » etc., vel *casualis* seu *fortuita*, quæ pendet ex eventu incerto et fortuito, ut, « si navis ex India venerit; » vel *mixta*, quæ partim a libera voluntate, partim ab incerto eventu pendet, v. g. « si ex Italia in Germaniam veneris. » *Impossibilis*, alia est *ex natura rei*, quam existere natura rei prohibet, ut, « si Chimæram dederis, digito cœlum attigeris ; » alia impossibilis *de facto*, quæ propter summam difficultatem existere nequit, ut si dicas mendicæ : « Duco te, si millionem aureorum pro dote dederis, si me regem feceris ; » alia impossibilis *de jure*, seu turpis, quam ponere jus vetat naturale, divinum aut humanum; ut, « si mecum fornicata fueris, » etc., nam quod lege non licet, id nec nos posse existimare debemus (l. XV, ff. *de Condition. institution.*). Huic opponitur conditio honesta, quam jus non reprobat in contractibus. Rursum conditio impossibilis de jure, alia est contraria substantiæ matrimonii, seu triplici ejus bono ; alia, quæ ita ei non contrariatur; de quibus infra. 4° Conditio alia est *de præsenti*, quæ facit actum dependere ab eo quod actu existit ; alia *de præterito*, quæ facit actum dependere ab eo quod jam extitit ; alia *de futuro*, quæ facit actum dependere ab eo quod primo existet. Item alia est *expressa*, quæ conceptis verbis apponitur; alia *tacita*, quæ ex mente contrahentium vel juris dispositione contractui inest, vel generaliter in omni contractu, v. g. « si potuero ; » vel specialiter in certo contractu, v. g. in sponsalibus, « si nullum impedimentum intervenerit, si res in eodem statu permanserit, » etc.

Nota 2° ex dictis conditionibus, illam de futuro contingenti esse proprie dictam conditionem (l. X, ff. *de Condition. instit.*), cum hæc sola differat actum ; unde a natura conditionis deficit conditio necessaria, impossibilis saltem naturaliter vel de facto, et ea quæ est de præterito vel præsenti. Hic tamen paulo latius de conditionatis desponsationibus agemus, prout etiam eis admiscentur conditiones improprie tales.

I. An, et quæ conditiones de futuro sponsalibus et matrimonio apponi possint ?

Resp. 1. Conditio de futuro contingenti apponi potest sponsalibus et matrimonio : ita colligitur ex c. 3, 5 h. t. ; nam spon-

salia et matrimonium sequuntur naturam aliorum contractuum, neque numerantur inter illos actus legitimos qui conditionem non recipiunt, nec diem, ex reg. LXVII, ff. et reg. L, in 6°; ergo iniri possunt sub conditione, nisi specialiter talis conditio a jure reprobetur.

Resp. 2. Conditio honesta de futuro contingenti suspendit valorem desponsationis : ita comm. ex c. 3, 5 h. t., l. XCVII, § 2, ff. *de V. O.;* nam natura hujus conditionis est suspendere obligationem actus, donec ipsa conditio existat. Si tamen ejus existentia culpabiliter ab altero impediretur, conditio haberetur pro impleta (l. CLXI, ff. *de R. J.*), uti etiam in casu quo ab illa recederetur. Licet autem in sponsalibus, utpote natura sua solubilibus, conditio de mutuo consensu apponi possit post sponsalia contracta, tamen matrimonio, utpote ex natura sua insolubili, apponi nequit, nisi in ipso contractu matrimoniali.

Resp. 3. Matrimonium purificata conditione perficitur, seu transit in absolutum absque novo consensu : ita Inn., Fagn., Sanch. et alii contra Sotum, Covarr., Barbos., etc., quorum sententia, licet mihi videatur minus probabilis, est tamen tutior et suadenda in praxi ad tollendos omnes scrupulos. Prob. arg. aliorum contractuum, qui, purificata conditione, transeunt in absolutos absque novo consensu (l. VII, ff. *de Contrah. empt.*, l. II, ff. *Qui potior in pignor.*), uti sunt sponsalia (c. 1, *de Sponsal.*, in 6°), quia consensus prior moraliter perseverat, sicut consensus principalis contrahentis per procuratorem ; ergo posita conditione, consensus matrimoniales fiunt absoluti et eodem momento conficitur sacramentum matrimonii, præsertim si conditio notorie existat atque innotescat parocho et testibus. Quod si existentia conditionis non sit notoria, docent Nav., Rodrig., Sanch., Fagn. et alii, ex decreto S. Pii V et Clem. VII, non esse opus ut parocho et testibus manifestetur impletio conditionis, quia hæc retrotrahitur ad tempus celebrati matrimonii coram parocho et testibus, et Tridentino satisfit eo quod matrimonium istud sit probabile, neque contrahentes ad aliud convolare possint, donec discutiatur causa prioris matrimonii. In praxi tamen securius est ut impletio conditionis manifestetur parocho et testibus, quia hi testificari non possent de matrimonio absoluto (Laym., Engl., Schmier, etc.). Ex nostra

sententia sequitur quod matrimonium, post impletam conditionem, contractum cum alia non valeat, quia ei obstat prius ligamen jam absolutum : valet vero in sententia opposita antequam novus consensus absolutus ponatur.

Dices : 1° C. 5 h. t., ante eventum conditionis non est quis cogendus ad matrimonium contrahendum; ergo post eventum conditionis est cogendus ad contrahendum; et consequenter contractus matrimonii non fit sola conditione impleta. 2° S. D., in 4, d. 29, q. 1, a. 3, q. 3, comparat matrimonium conditionatum sponsalibus; sed post hæc requiritur novus consensus absolutus; ergo. — Resp. ad 1. Ex contextu patet, quod ibi *ad contrahendum* accipiatur abusive loco *ad consummandum*. Ad 2. Comparatio ista fit tantum in hoc, quod consensus conditionatus non faciat sacramentum, quod verum est; impleta autem sensibiliter conditione, consensus fiunt absoluti et faciunt sacramentum.

Resp. 4. Hæc conditio : « Si patri placuerit, » censetur impleta si pater vel expresse consentiat vel tacens non contradicat; quia sensus illius est : « Si pater non reprobaverit, » aut « ægre tulerit; » at si pater primo dissentiat, deficit conditio, etsi mutata voluntate deinde consentiat; cum conditio ista intelligatur de primo consensu (arg. l. XXIX, ff. *de Condition. et demonstr.*). Cui non obstat c. 7, *de Procurat.*, in 6°, quia mandatum procuratorium non supponitur esse hoc modo conditionatum ; adeoque procurator, etsi primo dissentiat, tamen antequam revocetur mandatum, liberam habet facultatem illud acceptandi, ita jure disponente.

Resp. 5. Si contracta sunt duo matrimonia conditionata, illud prævalet cujus conditio citius impleta est, esto posterius sit contractum, nam absolutum prævalet conditionato ; sed impleta conditione, fit absolutum, et sacramentum ; ergo. At si utriusque conditio eodem tempore impleatur, neutrum valet, quia utrumque est incertum et alterum alteri est impedimento (Sanch. et alii). At in sponsalibus, sicut dispar est ratio, ita priora semper prævalent posterioribus, ex reg. LIV, in 6° : « Qui prior tempore, potior jure. »

II. Quam vim habeat conditio de præterito, præsenti vel futuro necessario?

Resp. 1. Nulla ex his conditionibus suspendit actum ; sed si

conditio vera est, statim matrimonium evadit absolutum et validum; invalidum vero, si conditio deficit (§ 6 *Inst.* et l. CXX, ff. *de V. O.*), nam circa præteritum et præsens nulla datur dilatio; futurum vero necessarium, sive naturaliter, ut, « si cras dies erit, » sive ex suppositione decreti infallibilis, ut, « si Antichristus venerit, » in jure habetur pro præsenti (l. IX, § 1, ff. *de Novat.*); ergo. Unde matrimonium sub hac conditione, « si nobilis es et non fuisti fornicata, » existente nobilitate sine fornicatione, valet; altero horum deficiente, non valet. Excipe, nisi conditio necessaria ex mente contrahentium alteretur et temporis determinationem significet, v. g. « Duco te, si mater moriatur, » hoc est, post mortem matris.

Resp. 2. Conditio de futuro, quæ tacite inest, nihil speciale operatur, etsi exprimatur : unde relinquit matrimonium validum, v. g. « Duco te, si religionem non elegero ; » prodest tamen ad evadendam pœnam in male contrahentes statutam, ut « Duco te, si non es consanguinea mea; » quo casu non incurritur excommunicatio Clem. 1ª, *de Consanguinit.* Si tamen conditio alio modo exprimatur quam insit, vera est conditio de futuro suspensiva, v. g. « Duco te, si episcopus pronuntiaverit nullum esse inter nos impedimentum. » Ex his plures particulares quæstiones solvi possunt, v. g. « Duco te, si Deo placeat, si Christus est in hac hostia, si frater tuus est verus sacerdos, » etc. ; sed ejusmodi quæstiones ad praxim non facientes sanius omittuntur.

Resp. 3. Copula carnalis subsecuta non remittit conditionem de præterito aut præsenti, nisi aliud actum sit inter partes ; unde corruit matrimonium initum sub conditione, « si nobilis es, » detecta deinde ignobilitate patris : nam tale matrimonium ab initio est nullum, nisi deinde coram parocho et testibus cum remissa conditione renovetur. Nec obstat c. 3, 5, 6 h. t.; nam jura ista procedunt de sponsalibus, quibus annexa conditio præsumitur remitti per subsequentem copulam : secus est in matrimonio ; nisi speculative dicas remissionem conditionis retrotrahi ad tempus initi matrimonii.

III. Quid operentur conditiones ex natura rei vel de facto impossibiles ?

Resp. 1. Conditio impossibilis adjecta matrimonio habetur

pro non adjecta, et matrimonium per se relinquit absolutum et validum : ita decisum est c. fin. h. t. ; quæ decisio fundatur in præsumptione facti, quod conditio ista adjecta sit joci causa, non vero animo serio irritandi matrimonium. Sic etiam in ultimis voluntatibus conditio impossibilis habetur pro non adjecta (§ 10, *Inst. de Hæred. inst.*, l. III et l. VI, § 1, ff. *de Condit. et demonstr.*), nam in contrahendis nuptiis et disponendis ultimis voluntatibus, nemo censetur inutiliter et sine effectu agere. Hæc tamen dispositio, utpote exorbitans, non extenditur ad alios actus, sed in his conditio impossibilis habetur pro adjecta et vitiat valorem actus, ut in sponsalibus et aliis contractibus. At si præsumptio ista fallat, coram Deo et in foro conscientiæ nullum est matrimonium ; imo et in foro externo, si ex circumstantiis constet conditionem impossibilem serio esse adjectam, ut contrahens ostenderet se nullo modo velle obligare ; ut si princeps rusticæ dicat : « Duco te, si cœlum digito tetigeris, » etc. Item si contrahentes ignorarunt constitutionem c. fin. h. t. vel erronee cogitarunt conditionem esse possibilem. Cæterum doctrina ista locum habet non tantum in conditione impossibili de futuro, ut vult Zoes, Sylv. et alii, sed etiam de præterito et præsenti, ut docent Covar., Reiff., Schmalz., Schmier et alii; quia conditio impossibilis rejicitur ex eo quia omnino impossibilis est, non vero quia ad impossibile obligat : ratio autem impossibilitatis etiam est in præterito et præsenti (l. XLV, ff. *de Hæred. instit.*).

Resp. 2. Conditio impossibilis de facto, quæ nec auxilio amicorum impleri potest, habetur pro non adjecta et matrimonium relinquit validum ; ut si quis pauperi dicat : « Duco te, si decem millia aureorum pro dote attuleris ; » nam pauperi tam impossibile est istam quantitatem afferre, quam digito cœlum tangere. At conditio quæ solum difficilis est, superabilis tamen per favorem amicorum, suspendit valorem matrimonii, quia difficultas non liberat (l. CXXVII, § 4, ff. *de V. O.*).

Resp. 3. Matrimonium contractum cum hac conditione, « si Papa dispensaverit, » valet conditionate, modo adsit justa causa dispensandi, et impedimentum regulariter sit dispensabile : ita Covar., Reiff., Wez, Schmalz. et alii contra Host., Sylv., card. de Luca, etc. Prob. ex principio generali : quia

actus tempore inhabili gestus, si referatur in tempus habile, valet, dummodo habilitas facile et communiter obtineri possit: l. LXII, ff. *de Hæredib. instit.*, l. LIX, ff. *de Condit. demonstr.*, l. V, ff. *de Reb. dub.*, etc., ubi dicitur valere institutio vel legatum sub conditione, « cum capere potuerit, si restitutionem civitatis deportato impetraverit, si deportatus consul factus fuerit; » suntque exempla obvia in episcopo vovente religionem, si Papa indulserit; in renuntiante beneficium cum reservatione pensionis, si Papa admiserit; in vendente feudum, si dominus consenserit; in postulato acceptante postulationem, si Papa illam admiserit, etc. Sed si adsit justa causa dispensandi, et impedimentum sæpe et facile a Papa solet dispensari, habilitas ad absolute contrahendum matrimonium facile potest obtineri per dispensationem; ergo subsistit tale matrimonium sub conditione, « si Papa dispensaverit: » pro hac sententia stetit sæpius S. Rota; jura vero in contrarium et aliæ decisiones locum habent in illo casu quo non adest justa causa dispensandi, vel impedimentum regulariter est indispensabile, vel eventus conditionis potius timendus est quam exspectandus; ut, « si liber factus fuerit servus, si res sacra fuerit profana : » quo sensu explicantur l. XXXV, § 1, l. LXXXIII, § 5, l. CXXXIII, § 6, ff. *de V. O.* l. XXXIX, § 8 et seq. ff. *de Legat.*, 1. Jam si sponsalia contracta sunt sub dicta conditione, Papa dispensat ad contrahendum; si matrimonium, dispensatio tendit ad illud purificandum et absolutum reddendum. Quia vero conditio dispensationis pontificiæ est prorsus extrinseca, impediti, contrahendo sponsalia vel nuptias, si conditionem istam non exprimant, nihil agunt, (l. XXXV, § 1, ff. *de V. O.*), imo substant pœnis indebite contrahentium.

IV. Quid operetur conditio turpis, seu impossibilis de jure ?

Resp. 1. Conditio turpis de futuro, v. g. « Duco te, si patrem occideris, » habetur in matrimonio pro non adjecta, et consequenter valorem absolutum matrimonii non suspendit: ita decisum est c. fin. h. t.; quæ decisio fundatur in præsumptione facti, quod contrahens adjiciat hanc conditionem nugatorie, sine animo alterum obligandi : nam Ecclesia semper præsumit id quod honestum est et excludit peccatum; ergo, cum conditio turpis

invitet ad peccatum, Ecclesia præsumit illam non esse serio adjectam, et consequenter habet illam pro non adjecta in matrimonio, in ultimis voluntatibus (l. XV, ff. *de Conditionib. instit.*). Si tamen præsumptio fallat et conditio turpis animo serio adjecta est, in foro conscientiæ suspendit valorem matrimonii, donec impleatur; cum præsumptio cedat veritati, sicut supra dictum de conditione impossibili. Hæc dispositio exorbitans et matrimonio et ultimis voluntatibus non est extendenda ad sponsalia et alios contractus; sed in his conditio turpis habetur pro adjecta, nisi constet eam joco adjectam fuisse (1).

Resp. 2. Conditio turpis de præterito vel præsenti habetur pro adjecta et conseq. valor matrimonii ab ea pendet (S. D., in 4, d. 29, q. 1, a. 3), nam licet cap. fin. h. t. generaliter loquatur, tamen pressius est intelligendum de illa conditione turpi quæ proprie est conditio et invitat ad peccatum, uti est conditio turpis de futuro; sed conditio turpis de præterito nec est proprie conditio, nec invitat ad peccatum, sed præcise importat factum, cui contrahens suam intentionem alligat; ergo. Unde hic contractus : « Duco te, si patrem tuum occidisti, si superba es, » valet, vera existente conditione ; ea vero non existente, non valet.

Dices : Conditio impossibilis de præterito habetur pro non adjecta, ergo et turpis de præterito. Resp. Neg. cons.; nam impossibilis rejicitur ex sola causa impossibilitatis; turpis vero ex eo, quia invitat ad peccatum; quæ causa reperitur in sola conditione turpi de futuro.

Resp. 3. 1° Hæc conditio, « Duco te, si dederis centum, » in jure reputatur turpis et amore libidinis facta (l. CXVII, § 2, ff. *de V. O.*, l. II, ff. *de Donat. inter V. et U.*). Excipe, nisi adjecta sit ex justa causa, v. g. in compensationem dotis, nobilitatis, etc. 2° Hæc conditio, « si te virginem invenero, » si intelligatur de exploratione illicita per concubitum, turpis est; honesta vero, si intelligatur de exploratione licita per matronas honestas. 3° Hæc conditio, « si corporis usum dederis, » relata ad expletum bimestre matrimonii, relinquit matrimonium absolutum, quia tacite inest ob jus maritale ad copulam ; relata vero ad primum bi-

(1) Auctor denuo supponit tanquam certum, contractus sub conditione turpi initos esse jure naturæ validos. Contrarium tamen Amort in *Theol.*, tr. *de Contract.*, probat. (edit. Girald.).

mestre, quo deliberari potest de ingressu religionis, est conditio indifferens ; adeoque suspendit valorem matrimonii, quod etiam faciunt conditiones impertinentes, v. g. « Duco te, si cras serenum fuerit, » etc.

V. Quid operetur conditio contraria substantiæ matrimonii?

Resp. 1. Talis conditio de futuro ab utroque contrahente apposita vitiat valorem matrimonii : ita decisum est c. fin. h. t. ; nam spectato jure naturali, nulla res subsistit sine suis substantialibus, v. g. ut commodatarius non habeat jus utendi, mutuatarius non fiat dominus rei mutuo acceptæ, etc.; ergo neque subsistit matrimonium, si apponatur conditio adversa ejus substantiæ, seu triplici ejus bono, scilicet *bono prolis* generandæ et educandæ, v. g. « Duco te, si generationem prolis evitaveris, sterilem te feceris, prolem suffocaveris, » etc.; *bonæ fidei* quoad petendum et reddendum debitum, et cum extraneo non adulterandum, v. g. « Duco te, si debitum non exegeris, alteri te prostituendam tradideris, » etc.; *bono sacramenti* exposcenti individuam vitæ societatem et insolubilitatem, v. g. « Duco te, si nunquam mihi cohabitaveris, si meliorem, vel donec ditiorem invenero, » etc. (1). Si talis conditio adjecta sit ab uno contrahente et ab altero rejecta, valet matrimonium, quia altera pars contradicenti acquiescens, censetur a conditione recedere.

Resp. 2. Conditio de se honesta, contraria bonis matrimonii, vitiat illud; unde non valet matrimonium cum hac conditione et pacto, « si mecum in perpetua continentia vivas, si castitatem voveas : » ita S. D. (in 4, d. 28, q. 1, a. 4, ad. 3), Sanch., Laym., Zoes et alii contra Palud., Abul., Pont., Schmier, Pichler, etc.; nam c. fin. h. t. absque distinctione inter conditionem turpem et honestam generaliter statuitur vitiari matrimonium per conditionem contrariam substantiæ matrimonii; sed dicta conditio est contraria substantiæ matrimonii, seu *bono prolis*, cujus generatio evitatur ; ergo. Ratio est, quia duo jura contraria et duæ obligationes contrariæ stare simul ne-

(1) Conditio expressa de matrimonio ob adulterium dissolvendo opponitur bono sacramenti, et reddit matrimonium nullum; si vero non sit expressa seu minime opposita fuerit, valet matrimonium in foro externo, etiamsi contrahentes fuerint in errore quod matrimonii vinculum per adulterium dissolvi possit (Bened. XIV, *de Synod. diœc.*, l. I, c. XXII, n. 7).

queunt in eodem contractu; sed hoc accideret in præsenti; nam vi matrimonii acquireretur jus petendi et obligatio reddendi debitum; vi pacti vero et dictæ conditionis acquireretur jus alterum, obligans ad non petendum debitum et obligatio ad illud non reddendum; quæ jura et obligationes manifeste contrariantur in hac materia justitiæ; ergo non stat matrimonium cum pacto et conditione mutuam servandi castitatem. Quæ ratio probat repugnantiam esse, non tantum in actu secundo copulæ, sed etiam in actu primo et radice, seu in ipsis juribus et obligationibus sibi contrariantibus. Argumenta in contrarium solvuntur ex dictis tit. I, *de Sponsal.*, n. 37 (1).

Dices : Subsistit matrimonium cum voto et intentione castitatis; ergo etiam cum pacto et conditione castitatis. Resp. Conc. ant., neg. cons.; nam per votum castitatis neuter conjux alterum obligat, adeoque jura ista contraria non resultant; sed corpus Deo per votum promissum valide in materia justitiæ alteri traditur per matrimonium; econtra per pactum et conditionem castitatis, alterum obligat in materia justitiæ, et ideo propter contrarietatem jurium et obligationum non subsistit matrimonium cum tali conditione, quam solam contrarietatem attendit Pontifex in cit. c. fin. h. t.

Resp. 3. 1° Conditio *non exigendi debitum* vitiat matrimonium, et a fortiori conditio *non reddendi debitum* : nam prior impedit totalem traditionem corporum, posterior insuper generationem prolis (2). 2° Conditio non cohabitandi ad certum tempus non vitiat valorem matrimonii, de cujus substantia non est perpetuo cohabitare. Secus dic de conditione nunquam cohabitandi, quæ contrariatur juri maritali et individuæ societati (Sanch. et alii). 3° Conditio « ingrediendi monasterium, » ante consummationem matrim., nude expressa, non contrariatur matrimonium, quia jure inest et nihil speciale operatur. At si

(1) Hæc doctrina confirmata est ex decisione S. Congr. Conc. *in Ulyssipon. Occid.*, 8 julii 1624 (apud. Bened. XIV, *in Syn. diœc.*, l. XIII, c. XXII, n. 10).

(2) *Syllab.* Art. 72. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. apost. *Ad Apostolicæ*, 22 augusti 1851.

An hæc quæstio reincidat in priorem? Vide P. Ballerini, not. ad num. 752, *Theol.* P. Gury. Quoad dubium quod ex illa quæstione nascitur circa veritatem matrimonii inter B. Virginem et S. Josephum, vide Bened. XIV, *de Syn. diœc.*, l. XIII, c. XXII, n. 14.

exprimatur alio modo quam insit, puta, modo obligatorio, ut ambo vel alter teneatur religionem ingredi, vitiat matrim. propter contrarietatem jurium; nam licet conjuges primo bimestri ex privilegio Christi et juris pontificii possint religionem ingredi, non tamen ad id obligantur; si autem obligentur, jam impeditur mutua traditio corporum.

Resp. 4. Conditiones de præterito vel præsenti quæ ex materia sua videntur adversari matrimonio, non vitiant ejus valorem : v. g. « si sterilitatem tibi procurasti, si es ligata voto castitatis, » etc., nam nec sunt veræ conditiones, nec inferunt obligationem futuram bonis matrimonii contrariam, sed præcise indicant factum præsens aut præteritum, a quo per se valor matrimonii non pendet.

Resp. 5. Conditio contraria substantiæ matrimonii adjecta sponsalibus, si implenda differtur in tempus matrimonii, vitiat illud et sponsalia, quia perinde est ac si matrimonio apponeretur, v. g. « Ducam te, si in matrimonio generationem prolis evitaveris, etc. » Similiter conditio adversa bono prolis, licet implenda sit ante matrimonium, vitiat sponsalia et matrimonium, v. g. « Ducam te, si veneno tibi sterilitatem procuraveris ; » nam conditio ista porrigitur ad statum matrimonii et bono prolis adversatur. At si conditio ante matrimonium implenda adversetur tantum fidei vel inseparabilitati, non vitiat sponsalia, v. g. « Ducam te, si mihi dederis usum corporis, vel donec pulchriorem sponsam invenero ; » nam talis conditio, implenda ante matrimonium, hujus bono non adversatur.

VI. Quæ sint conditionibus affinia, et quid operentur in dispensationibus?

Resp. 1. *Modus*, *causa* et *demonstratio*. *Modus* est adjectio oneris post contractum ferendi, et exprimitur per particulam *ut:* v. g. « Duco te, ut mecum pictoriam exerceas. » *Causa* est expressio ejus ob quod contrahitur, et exprimitur per particulam *quia :* v. g. « Quia nobilis es, duco te. » *Demonstratio* est expressio ejus per quod significatur persona, et exprimitur per relativum *qui,* etc. : v. g. « Duco te, quæ es libera, nobilis, » etc.

Resp. 2. Modus, causa et demonstratio per se non suspendunt vel vitiant matrimonium : ita in re com.; nam modus

obligationem præsupponit, eique solum onus adjicit (l. I et seq., c. *de Donat. sub modo*); si modus sit impossibilis aut turpis vel contrarius substantiæ matrimonii, habetur pro non adjecto, quia nulla est obligatio ad impossibile et turpe vel contrarium matrimonio jam in se contracto. *Causa* et *demonstratio* non spectant ad vim matrimonii, sed tantum declarant opinionem quam contrahens habet de altero, et quoddam motivum ad contrahendum alliciens insinuant. Unde tritum illud : « Falsa demonstratio non vitiat actum, » ex lib. XXXV, ff. *de Condit. et demonstr.* Dixi *per se*, nam per accidens vitiari potest matrimonium, vel ejus valor suspendi : 1° si modus induat naturam conditionis, ita ut contrahens nolit valere contractum, nisi existat modus; quod ex mente contrahentium colligendum erit; 2° si causa vel demonstratio involvat errorem substantialem personæ vel status, seu servitutis, vel induat naturam conditionis : v. g. « Contraho tecum, quæ es Bertha, libera ; » nam si est Caja vel ancilla, nullus est contractus, nisi error esset in solo nomine. Item « Duco te, quia mille pro dote dabis, » hoc est, « si mille pro dote dederis. »

VII. An licitum sit matrimonium cum pacto seu modo morganaticæ ?

Ante respons. nota *matrimonium morganaticum* seu *conscientiæ* definiri, quod sit conjunctio viri cum femina inferioris conditionis, secundum SS. canones rata, eo tamen pacto, ut uxor et liberi contenti sint certa portione nuptiali, et a cæteris bonis avitis et paternis, dignitatibus, titulis ac insignibus abstineant : portio ista, alendæ uxori et liberis destinata, vocatur *morgengaba*, quasi donum matutinum, et corrupte *morganatica;* ex quo nomen trahit matrimonium morganaticum, seu ad morganaticam contractum (lib. II *Feud.*, tit. XXIX). Jam resp. Matrimonium ad morganaticam contractum et validum est et licitum : ita Konig, Schmalz. et alii. *Ratio primi*, quia tale matrimonium per se nec est contra jus naturale, nec pontificium ; ergo si fiat coram parocho et testibus, erit validum. *Ratio secundi*, quia pactum illud, vi cujus uxor cum futuris liberis non sequitur conditionem mariti, ex multis causis cohonestari potest; puta, quia maritus ex una parte vult esse extra periculum incontinentiæ ; ex altera vero parte non

vult præjudicare liberis prioris matrimonii per divisionem bonorum, quæ pluribus non sufficerent, et si minutim dividerentur, splendor familiæ deficeret. *Confirm.* Matrimonium ad morganaticam contractum imitatur matrimonia patriarcharum, qui contraxerunt cum concubinis, seu secundariis uxoribus, quarum filii non succedebant patri, ut patet in matrimonio Abrahæ cum Agar ancilla, cujus filius Ismael ejectus est a possessione et hæreditate (Gen., XXI, 10); ergo sicut ista matrimonia erant licita, ita quoque licita sunt matrimonia ad morganaticam contracta. Cæterum, si pater, mutatis circumstantiis, vult revocare pactum morganaticum, id ei licebit, non obstante aliquali præjudicio priorum liberorum : nam tale pactum imitatur ultimam voluntatem de successionibus disponentem, quæ semper revocabilis est. Item liberi ex matrimonio morganatico nati admittuntur ad successionem in bonis allodialibus, si priores liberi eorumque descendentes deficiant, exceptis feudis, in quibus non succedunt (lib. II *Feud.*, tit. XXIX). His non obstat can. 1 et 12, caus. 32, q. 2, et can. 9, *Dicat.*, 33, q. 4, et c. fin. h. t.; nam non loquuntur de nostro casu.

Quæ hic dicta sunt de conditionibus, modo, causa et demonstratione, proportionaliter applicanda sunt aliis contractibus. Hodie vero curabit parochus ut matrimonia pure contrahantur, nihilque eis admisceatur sine causa urgentissima.

TITULUS VI.

QUI CLERICI VEL VOVENTES MATRIMONIUM CONTRAHERE POSSINT?

In hoc titulo examinantur tria impedimenta, duo dirimentia, scilicet ordo sacer et professio religiosa, et unum tantum impediens, scilicet votum simplex castitatis (1).

(1) *Syllab.* Art. 74. Huc facere possunt duo alii errores: de clericorum cœlibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846, posterior in litteris apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.

I. An, et quo jure ordo sacer dirimat matrimonium ?

Resp. 1. Dirimit, sed solo jure eccles. Prima pars habetur can. 8, d. 27, c. 1, *de Cler. conjug.*; c. un. *de Voto*, in 6°; Trid. sess. 24, can. 9; nam sacris ordinibus annexa est continentia, seu votum solemne castitatis, quod obstat valori matrimonii. Secunda pars est comm. cum S. D. (2 2, q. 88, a. 11) contra major. stantem pro jure divino : nam ordo sacer non dirimit matrimonium contrahendum jure naturali, quia matrimonium absolute non contrariatur ministeriis clericalibus, ut patet in ecclesia orientali (1), neque jure divino positivo, quia hoc non constat ex verbo divino scripto aut tradito. Ergo jure ecclesiastico antiquo et ab apostolis constituto (can. 40, *Ut lex*, 27, q. 1) (2). Vis autem solvendi matrimonium ratum non competit ordini sacro, ut definitur c. un. *de Voto*, in 6°, et extrav. un. Joannis XXII, *de Voto*.

Resp. 2. Ordinatus invalide, non obligatur voto continentiæ : non solemni, quia hoc annexum est validæ ordinationi ; non simplici, quia votum accessorie emissum est; ergo corruente ordine, tanquam principali, corruit votum, tanquam accessorium. Nec obstat c. 3 et 12, *de Convers. conjugat.*, nam in professione religiosa votum castitatis per se et principaliter emittitur; ergo ex juris interpretatione, si non valet ut solemne, valet saltem ut simplex.

Resp. 3. Ordo sacer collatus infanti non dirimit matrimonium, quia non est credibile quod Ecclesia infantem ligare voluerit lege continentiæ, nisi ad usum rationis perveniens, expresse vel tacite, exercendo actum ordinis sacri, ratificasset suam ordinationem. At impubes ratione pollens, sicut in ordinatione valide potest emittere votum castitatis, ita quoque obligatur ad continentiam ; uti et metu ordinatus, licet pro illo ex causa immaturi judicii, et pro isto ex causa metus injuste incussi, facile obtineri posset dispensatio in voto continentiæ.

(1) Quoad jus speciale Ecclesiæ orientalis, vide instructionem S. Congr. de Propaganda Fide ad archiepiscopos provinciæ ecclesiasticæ Togarasiensis et Albo-Juliensis, sub die 24 martii 1858 (apud De Angelis, t. III, p. 164).

(2) S. Congr. S. Off., 22 dec. 1875, dispensavit super impedimento ordinis (sacerdotalis), prævia reductione ad statum laicalem.

Opposita sententia, docens nec impuberem, nec metu coactum obligari ad continentiam, non videtur improbabilis. Si vero ordinatio facta est per vim absolutam, non valet, et conseq. ex illa non oritur obligatio continentiæ (c. 3, *de Baptismo*).

Resp. 4. Quamvis conjugatus regulariter nec ad primam tonsuram sit admittendus (c. fin. *de Tempor. ord.*, in 6°), si tamen sacris ordinibus initietur, uxore inscia vel invita, ordinatio quidem valet; sed ille, ab uxore revocatus, tenetur debitum reddere; non tamen petere potest, obstante voto castitatis (arg. cap. 3, *de Convers. conjugat.*), nisi legitimum et perpetuum inter eos divortium factum fuisset : quo casu maritus innocens sacris initiari potest. Uxor, qua consentiente, maritus sacros ordines suscepit, tenetur emittere votum continentiæ, et si suspecta est de incontinentia, religionem profiteri, ut dixi tit. *de Convers. conjug.* Mortuo marito clerico in sacris constituto, uxor superstes impeditur a contrahendo matrimonio, ob reverentiam sacr. ordinum (can. 10 et seq., d. 28, can. 14, d. 32). Si tamen consensus illius in ordinationem mariti vi, dolo, aut metu gravi extortus est, non ligatur hoc impedimento, ne delicto alieno prægravetur.

II. An professio religiosa solemnis dirimat matrimonium contrahendum, et quo jure ?

Resp. ad 1. Affirmative : ita conformiter antiquis canonibus sub anathemate definivit Trident., sess. 24, can. 9; nam professio religiosa est spirituale vinculum cum Christo et quædam mors civilis; ergo non admittit matrimonium, dummodo sit valida.

Resp. ad 2. Professio solemnis religiosa jure naturali et divino dirimit matrimonium contrahendum, et conseq. non mero jure ecclesiastico (1) : ita contra plerosque RR. tenent cum S. D. (in 4, d. 38, q. 1, a. 3, q. 3, in *Corp.*) magni nominis DD. allegati a Sanchez, lib. VII, *de Matr.*, disp. 26, n. 3, ubi doctor iste solidissimus eamdem sententiam tenet, conformiter summario : proponitur sententia auctoris (n. 3), licet non nemo illam

(1) De Angelis oppositam sententiam propugnat; ratio præcipua est quod votum editum in professione religiosa id non efficit, *quia est votum*, sed *quia est solemne*; secus etiam vota simplicia id præstarent.

corrigere voluerit, sed sine effectu; uti et disput. præced. sententiam propositam (n. 7) quæ propria est auctoris, ut patet ex summario (n. 7), quas correctiones ante me plures viri hujus auctoris lectores observarunt. *Probatur prima pars :* jus naturale dictat quod res uni plene et perfecte tradita, eodemque modo acceptata, non possit iterum valide alteri tradi : nemo enim dat aut transfert quod non habet : v. g. titulo justitiæ tradidisti equum emptori, non potes deinde eumdem tradere Ecclesiæ titulo religionis aut voti, et econtra ; sed homo per professionem religiosam pleno et perfecto modo tradit se Deo et religioni, eodemque modo traditio ista acceptatur contractu ultro citroque obligatorio; ergo de jure naturali valide nequit se tradere uxori, cum amplius liberam sui corporis potestatem non habeat: tum quia ex natura rei repugnat, ut quis eamdem rem tradat duobus secundum jura contraria; sed religiosus professus tradit corpus suum Deo cum jure et obligatione continendi seu abstinendi ab omni actu venereo, etiam licito; ergo non potest corpus suum tradere uxori cum jure contrario et obligatione exercendi actus conjugales.

Prob. secunda pars de jure divino: Matth., XIX, 12, ubi Christus religiosam castitatem proponens ait : « Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum, » quibus verbis significatur perpetua inhabilitas ad matrimonium. Hoc jus scriptum magis nobis declaratur verbo divino tradito, quia nulla existente lege ecclesiastica, ita semper a principio Ecclesiæ observabatur tanquam a Domino acceptum : unde Siricius Papa (c. 17, v. *Velatæ*, 27, q. 1) dicit religiosos matrimonia contrahentes debere separari verbo Domini et canonica auctoritate; ergo non mero jure ecclesiastico, sed divino et naturali. Ratio est, quia Christus Dominus instituit religiosum segregatum a statu conjugali, ut patet ex Matth., XIX; ergo annexuit ei impedimentum dirimens matrimonii contrahendi; alias unum ab ab altero non discrevisset. *Confirm.* ab inconvenienti : si professio religiosa solo jure ccclesistico dirimit matrimonium, sequitur 1° quod Papa possit tollere jus istud, et statuere ne matrimonium dirimatur per professionem religiosam : quod sane discordat cum antiqua Patrum doctrina, ut patet ex canonibus (caus. 27, q. 1). Sequitur 2° quod Papa cum religioso in sensu

composito religionis dispensare possit ad matrimonium, cum istud solo jure pontificio incompatibile esset cum statu religioso : sequela autem ista est contra torrentem DD. et apertam definitionem cap. 6, *Cum ad monasterium*, in fin. *de Statu Monach.*, ubi Inn. III asserit, nec Papam dispensare posse in paupertate et castitate religiosa; quæ definitio ad minus intelligenda est de dispensatione in sensu composito religionis. Sequitur 3° quod religiosi apostatæ in locis hæreticorum, ubi pleraque impedimenta matrimonii, jure ecclesiastico introducta, abrogata sunt, valide matrimonium contrahant : quod falsum esse praxis continua Ecclesiæ docet, etc.

Obj. 1° Jure naturali, eadem res modo diverso pluribus tradi potest, sicut servus traditur domino et uxori; ergo et religiosus, qui titulo religionis tradidit corpus Deo, potest illud titulo justitiæ tradere uxori. 2° Votum religiosum solemne vel dirimit matrimonium, *ut votum est*, vel *ut solemne* est: non primum: alias omne votum castitatis dirimeret matrimonium; ergo secundum : solemnitas autem votorum ex sola constitutione Ecclesiæ inventa est (c. un. *de Voto*, in 6°). 3° Votum simplex, saltem religiosum in Soc. J. ab intrinseco non differt a solemni per c. 6 h. t. et constit. Greg. XIII incip. *Ascendente Domino*, ubi declarat scholasticos et coadjutores non formales S. J. esse vere et proprie religiosos; *non secus ac ipsos tum Societatis, tum aliorum regularium professos.* 4° Olim professio religiosa non dirimebat subsequens matrimonium (can. 22, 24, cum seq. 27, q. 1); ergo impedimentum istud hodie habetur ex solo jure ecclesiastico.

Resp. ad 1. Dist. ant. : modo diverso, hoc est, secundum diversum jus, c. a.; modo diverso, hoc est, ex causa, et titulo diverso, n. a.; alias qui *titulo religionis*, v. g. ex voto tradidit Ecclesiæ centum florenos, posset deinde illos *titulo justitiæ* tradere alteri creditori, et *titulo gratitudinis* tertio benefactori. Est ergo æquivocatio in termino *modo diverso ;* nam si intelligatur præcise causa diversa, seu diversus titulus, falsum est rem uni pleno jure traditam posse alteri tradi diverso titulo; ut patet ab exemplis allatis et omnibus causis seu titulis translativis dominii. Si vero intelligatur *diversum jus*, verum est eamdem rem pluribus tradi posse; sicut uni tradi potest proprietas, alteri dominium utile aut ususfructus, tertio usus, etc. Et sic accidit in servo : nam is traditus est domino quoad operas et effectus civiles dominicæ potestati subjectos ; at quoad jus utendi corpore per generationem, non est traditus domino, neque hoc jus subest potestati dominicæ; alias dominus uti posset corpore ancillæ, et domina corpore servi; et ideo servus quoad hoc jus potest se tradere uxori. Econtra religiosus quoad jus corporis sui plene et pro perpetuo per professionem tradidit se Deo, et religioni titulo religionis mixto cum titulo justitiæ ratione

contractus ultro citroque obligatorii, et vi talis juris in Deum translati in radice contraxit obligationem continendi, ut ante probavi; ergo, cum jus istud sui corporis non habeat, ex ipsa natura rei non potest se tradere uxori, et ad actus conjugales, primæ traditioni contrarios, obligare. Quæ eadem ratio est cur uni uxori traditus non possit se alteri tradere, quia amplius non habet quod valide tradat. Dices : Traditus uxori potest, matrimonio consummato, de licentia uxoris tradere se Deo per professionem religiosam; ergo traditiones istæ et vincula sibi non adversantur de jure naturali. Resp. N. c. pro nostro casu : nam si uxor remisit jus suum, nulla est repugnantia cur maritus per professionem nequeat se tradere Deo per professionem. Ita in casu quo servum dedi Caïo ad usumfructum: si is remittat jus suum, possum eumdem servum tradere Ecclesiæ ad usum, etc. At si professio religiosa præcessit, nulla ad professum redit potestas corpus suum tradendi uxori, nisi Deus jus sibi quæsitum remitteret, et redderet potestatem corpus suum tradendi uxori : quo casu homo desineret esse religiosus, vel forsan maneret religiosus in habitu, et mortua uxore, teneretur vota reddere Domino et ad religionem redire. Ad 2. Dico quod dirimat, non *ut votum in genere*, sed *ut votum tale in specie*, scil. continens perfectam, absolutam et perpetuam traditionem sui, cum simili acceptatione; quæ intrinseca ratio in nullo alio voto reperitur : non in voto simplici, quod promissionem continet sine traditione; et ideo, stante tali voto, valide corpus traditur uxori; non etiam in voto simplici religioso S. J., quia hoc, licet habeat traditionem, non tamen habet traditionem perfectam et absolutam ultro citroque obligatoriam, sed præcise conditionatam, quandiu quis in Societ. manserit; et ideo spectato jure naturali (secus de jure pontificio) scholasticus S. J. valide contrahere posset matrimonium absolutum, non secus ac ille qui se tradidit uxori per matrimonium conditionatum, pendente conditione, valide contrahit matrimonium absolutum; quia traditio pura et absoluta prævalet conditionatæ. Solemnitates ab Ecclesia præscriptæ non constituunt ipsam professionem perfectam, sed sunt conditiones extrinsecæ necessario requisitæ, sine quibus talis professio non ponitur; sicut sine præsentia parochi et testium non ponitur matrimonium. Ad 3. Neg. a., ex dictis; de qua materia vide meas resolut., can. tit. *de Regular.*, resolut. 3, et Sanchez, cit. lib. VII, disp. 25, n. 7, ubi ponitur propria sententia auctoris. Nec doctrina ista obstat cit. cap. 6 h. t.; nam votum simplex non minus obligat, quantum ad hoc quod transgressor alterutrius peccet mortaliter : at in modo obligandi est diversitas, quia simplex obligat ratione promissionis, solemne vero, ratione traditionis; et ideo S. D. (2 2, q. 88, a. 7, ad 1) respondet : « Votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum quam votum simplex, et gravius peccat, qui illud transgreditur »; et in 4, d. 38, q. 1, a. 2, docet votum simplex et solemne differre specie, sicut vegetativum et sensitivum, quia virtus voti complete est in voto solemni, cum traditione compleatur; incomplete in voto simplici, quia traditione non com-

pletur; et ideo ligatus voto simplici castitatis valide corpus tradit per matrimonium, licet non licite, agendo contra promissionem Deo factam. Nec doctrina ista periculum affert constitutioni Gregorianæ; nam scholastici et coadjutores non formati ordinatissimæ Societ. J. sunt vere et proprie dicti religiosi, quoad genericum conceptum veri religiosi, cum religiosus status consistere possit cum votis simplicibus continentibus traditionem de se stabilem, et ad placitum tradentis non revocabilem; at differunt a professis quoad conceptum specificum, quia vota illorum ab intrinseco non continent perfectam et absolutam traditionem, et acceptationem utrinque obligatoriam. Vel, ut alii loquuntur cum P. Sanchez (quod re ipsa in idem redit), idem specie est status religiosus : professi tamen sunt in summo et perfectissimo status religiosi gradu et dignitate, consistente in absoluta et omnimoda traditione completa utrinque obligatoria, qualis non reperitur in statu religioso votis simplicibus constante. Ad 4. Neg. a. cum Bellar. et omnibus aliis recte sentientibus de statu religioso a Christo instituto, et ab apostolis cæterisque fidelibus assumpto, cum inauditum sit in Ecclesia religiosum professum sua auctoritate valide ad matrimonium transivisse. Nec contrarium probatur ex cit. can.; nam tales excommunicantur, donec se dividant et ad monasteria regrediantur; et ita quoad absolutionem et alias pœnas, poterit episcopus cum eis humanitatem facere. Hic tamen observa, quod virgines sacræ, præsertim antiquis temporibus, in duplici classe fuerint: aliæ emittebant votum simplex castitatis, etiam habitu et velamine assumpto, et in privatis domibus habitabant, vel etiam in monasteriis educabantur vel morabantur, et hæ, si fracta fide, nuptias contraxerunt, jubebantur manere cum marito, sicut c. 4 h. t.; estque talium virginum frequens mentio apud Patres et in antiquis canonibus; imo et virorum qui in claustris morabantur, quin facti fuerint veri monachi. Aliæ autem virgines emittebant votum triplex professionis religiosæ, quam vocamus modo *solemnem;* et in his, uti etiam in viris professis, aliud observabatur; quia contrahentes nuptias separari debebant *sive inviti, sive voluntarii,* et per censuras compellebantur redire ad monasteria, ut ex Apostolo docet S. Gregor. (can. 2, cum seq. 27, q. 1). A cæteris argumentis quæ hic objici solent, abstineo; tum quia levia sunt, et ex dictis soluta manent; tum quia non est mihi propositum disputatorie scribendi. An et quomodo professio religiosa dissolvat matrimonium contractum, dicam tit. XIX, *de Divort.*

III. An votum simplex continentiæ inducat impedimentum impediens matrimonii?

Resp. 1. Votum simplex continentiæ antecedens sponsalia impedit matrimonium licite contrahendum; et conseq. sequentia sponsalia etiam jurata, vel per copulam firmata, jure naturali

reddit invalida : ita ex antiquis canonibus generaliter deciditur (c. 4 et 6 h. t.); nam spectato jure naturali, res uni promissa nequit valide alteri promitti : sed vovens per votum continentiæ promittit Deo corpus ab omni actu venereo, etiam licito, custodiendum; ergo vovens nequit valide alteri corpus promittere per sponsalia præsertim, cum talis promissio tenderet ad usum conjugalem voto contrarium. Unde sequens promissio sponsalitia est invalida, etsi puella voti ignara deflorata sit, cuique immineat damnum aliter non reparabile quam per matrimonium, ut tenent Laym., Schmier et alii; quia per istam deflorationem non potest tolli Deo jus ex voto quæsitum : neque ullo jure aut solida ratione constat, hanc vim seu privilegium solvendi obligationem voti esse attributum deflorationi. Unde in tali casu, quo defloratæ voti ignaræ imminet damnum aliter non reparabile quam per nuptias, de alio remedio cogitandum est, scilicet ut petatur dispensatio, ad quam petendam dolosus deflorator obligatur.

Dices cum Sanch., Schmalz. et aliis : 1° Votum non obligat, rebus notabiliter mutatis, ut in hoc casu. 2° Filius, postposito voto religionis, tenetur manere in sæculo ad succurrendum patri, et debitor ad satisfaciendum creditoribus; ergo et deflorator tenetur in hoc casu ducere defloratam, non obstante voto; quia obligatio justitiæ est fortior obligatione religionis. Resp. ad 1. Dist. ant.: si mutatio accidat ab extrinseco, vel moralem impotentiam inducat exsequendi votum, conc. ant.; si accidat ex prava voluntate voventis, neg. ant.; alias quisque per delictum vellet se a voto liberare. Ad 2. Neg. cons., quia nec filius, nec debitor in his casibus assumit statum contrarium voto, sed hujus executio tantum differtur ob necessitatem; at deflorator assumeret matrimonium voto contrarium, quod in præjudicium juris Deo quæsiti illi non licet. Nec tali casu est obligatio justitiæ ad matrimonium, quia sponsalia sunt invalida, licet damnum illatum alio modo reparandum sit, puta per procurationem dispensationis. In obligationibus religionis et justitiæ, servatur reg. *Qui prior tempore*, in 6°. Sic enim qui per votum vineam promisit Ecclesiæ, licite eam non vendit et tradit.

Resp. 2. Votum simplex continentiæ, consequens sponsalia, parit impedimentum impediens matrimonii, et conseq. dissolvit priora sponsalia ex utraque parte : ita S. D. (in 4, d. 38, q. 1, art. 3, q. 2), Cajet., Avers., Azor., Salmant. et alii contra Sanch., Laym., Zoes, etc., licet Sanch. (lib. I, *de Matr.*, disp. 46,

n. 7, in fine) dicat sententiam nostram esse probabilissimam et tutissimam. Prob. 1. Juxta cap. 3 et 6 h. t. votum simplex continentiæ, si validum est, impedit matrimonium licite contrahendum; sed votum simplex continentiæ post sponsalia emissum, est validum et licitum : tum quia nullo jure invalidatur vel illicitum redditur, tum quia religiose servari potest, sicut votum castitatis emissum post nuptias, cum quia Papa (c. 5 h. t.) dispensat in tali voto, adeoque supponit esse validum; ergo tale votum post sponsalia emissum impedit matrimonium licitė contrahendum, præsertim cum jura omnia sine distinctione dicant per votum simplex castitatis impediri licitum matrimonium : ac proinde adversariis incumbit onus probandi quod votum sponsalia consequens alicubi excipiatur.

Prob. 2. Sponsalibus inest tacita conditio, « nisi perfectiorem et Deo gratiorem statum elegero : » arg. c. 2, *de Convers. conjug.*, et c. 4, *de Voto*, ubi licet sermo sit de transitu ad religionem ejusque voto, recte tamen dispositio ista intelligitur de statu perpetuæ continentiæ : tum quia jus ad rem ex sponsalibus quæsitum, non debet impedire statum perfectiorem, siquidem « omnis consideratio non est digna animæ continentis » (Eccl., xxvi); tum quia « propositum aut promissum non infringit, qui in melius illud commutat » (c. 3, *de Jurej.*); tum quia matrimonio rato inest tacita conditio, « nisi religionem elegero; » adeoque sponsalibus etiam minor conditio inesse credenda est, puta « nisi continentiam elegero. » Ergo, si post sponsalia votum continentiæ emittatur, solvit illa ex utraque parte, ne ad illicitum obligare videantur.

Prob. 3. Sponsalibus inest hæc generalis conditio, « nisi impedimentum superveniat, » sive tale impedimentum oriatur ex actu malo sive ex bono, ut ex fornicatione cum sorore sponsæ, ex assumpto ordine, ex cognatione spirituali, etc., sed votum continentiæ est impedimentum matrimonii; quis enim hoc neget? ergo sponsalia ineuntur sub tacita conditione, « si votum continentiæ non superveniat; » ergo, si superveniat, non tantum alteri parti dat justam causam resiliendi a sponsalibus, sed etiam sponsalia solvit ex parte voventis. Idem dic de voto suscipiendi sacros ordines, quibus in Ecclesia Latina annexum est votum continentiæ. His non obstan-

tibus, fateor oppositam sententiam esse valde probabilem; pro qua

Obj. 1° C. 5 h. t. sponsæ voventi continentiam imponitur pœnitentia, ibi : « Sibi de mentita fide, » etc. 2° Deus nec votum, nec juramentum acceptat in præjudicium tertii (c. 28, *de Jurej.*); si enim donasti vel promisisti Titio decem aureos, deinde per votum non potes illos promittere Deo; sed votum superveniens est præjudicium sponsæ. 3° Speciale et exorbitans est quod sponsalibus insit hæc conditio, « nisi religionem elegero; » ergo trahi non debet ad aliam conditionem, « nisi continentiam elegero. » 4° Si per tale votum solvuntur sponsalia, sequitur quod dispensatus in voto, possit matrimonium cum alia inire; sed non, quia per hoc via injustitiis aperiretur.

Resp. ad 1. Sponsa ista in hoc fuit culpabilis, quod absque justa causa diu distulerit implere sponsalia, et temere provolaverit ad votum, non animo Deo placendi, sed sponsum fraudandi; et ideo pœnitentia ei imponi debuit de mentita fide, et de attentata violatione voti per aliud matrimonium infringendi. Ex quo capite patet communem opinionem fidelium fuisse per votum continentiæ solvi sponsalia; alias puella inutiliter et sine effectu convolasset ad votum, si eo non obstante, obligata fuisset ad contrahendum matrimonium. Ad 2. N. m.; nam sponsis non est jus quæsitum absolute, sed conditionate, « nisi meliorem statum elegero, » vel « nisi impedimentum superveniat. » Quodsi per accidens vovens causet damnum alteri parti, tenetur illud reparare : et si aliter nequeat reparari quam per matrimonium, tenetur ad petendam dispensationem voti : quod tutius esse nec adversarii negant. Ad 3. In hac conditione, « si impedimentum non superveniat, » nulla est exorbitantia; ergo recte applicatur nostro casui. Ista vero conditio, « nisi meliorem statum elegero, » ob excellentem favorem continentiæ, et paritatem rationis, censetur comprehensa in c. 4, *de Voto*. Ad 4. N. seq.; nam votum continentiæ non dissolvit sponsalia, nisi ad effectum servandi continentiam, sicut votum religionis ad effectum professionis.

Resp. 3. Votum non nubendi reddit sequentia sponsalia invalida et illicita; quia hæc obligarent ad aliquid illicitum, voto contrarium. Quia vero tale votum est valde imperfectum, de quo SS. canones nihil disponunt, facile admitti potest per illud consequens non dissolvi sponsalia anteriora. Si quis cum tali voto matrimonium contraxit, illicite quidem egit; tamen contracto matrimonio licite uti potest petendo et reddendo debitum; nam objectum hujus voti, scilicet non inire matrimonium, transivit in impossibile, cum matrimonium sit initum; ergo cessat illius obligatio. Idem probabiliter dic de eo qui vovit susci-

pere SS. ordines, et post votum contraxit nuptias, quia cessante principali obligatione suscipiendi ordines, cessat etiam accessoria obligatio continendi. Secus est in illo qui per se vovit castitatem perpetuam: quia hoc voto obligatur, etiam post nuptias, ne debitum licite petere possit, licet obligetur reddere.

IV. An votum amplectendæ religionis inducat impedimentum licite contrahendi matrimonium?

Resp. 1. Affirmative; nam jus ex Christi institutione non tantum post sponsalia, sed etiam post matrimonium ratum, cuilibet permittit ad statum religiosum transire, etsi sponsalia qualificata sint per juramentum, utpote accessorium sponsalium, (cap. 2, 14, *de Convers. conjug.*, c. 4, *de Voto*); nam sponsalibus et matrimonio rato inest tacita conditio, « nisi religionem elegero. » His non obstat c. 16, *de Sponsal.;* nam ibi sponsus nondum plene statuit ingredi religionem, sed habuit quoddam propositum inefficax, quod Papa vocat legem privatam, seu legem complacentiæ erga statum religiosum, ut patet ex verbis : « si postea elegerit; » quia vero biennium contrahendo matrimonio præfixum ad finem vergebat, ne fieret perjurus, ideo Papa rescripsit tutius esse matrimonium contrahere, et deinde, si elegerit, ad religionem transire (Gonz., Suar., etc.).

Resp. 2. Vovens ingressum religionis post sponsalia, etiam jurata, regulariter nequit licite contrahere matrimonium cum proposito ante illius consummationem ingrediendi religionem: ita Sanch. et alii contra Ant. de Butrio, Petr. de Ledesma, etc.; nam ita contrahens exponit se manifesto periculo violandi votum, derogat dignitati voti et status amplectendi, præjudicat sponsæ, quæ cogetur esse sine nuptiis, donec ille vel profiteatur vel e novitiatu egrediatur. Excipe, nisi id exigeret damnum puellæ defloratæ, metus amittendæ famæ aut vitæ, vel alia gravis causa : si tamen contraheret, et mutata voluntate consummaret matrimonium, illicite contra votum ageret, cum post matrimonium ratum adhuc potuerit voto satisfacere. At in posterum licite petit et reddit debitum, quia materia voti, scil. ingressus religionis, evasit impossibilis ; ergo cessat obligatio voti, et conseq. ea omnia quæ annexa sunt religioni, uti servare continentiam. Soluto aut matrimonio per mortem

aut divortium perpetuum, reviviscit obligatio voti religionis, et urget ad ingressum, sicut soluto matrimonio, reviviscit votum continentiæ impediens aliud matrimonium, quia vota ista per matrimonium non exstinguuntur, sed suspenduntur.

Resp. 3. Votum amplectendæ religionis, vel ingressus in novitiatum, ex parte ingredientis non solvit sponsalia, nisi secuta professione : ita Henriq., Laym. et alii comm. contra Navar., Gutier., Sanch., etc.; nam obligatio sponsalium non est incompossibilis cum novitiatu, cum nec incompossibilis sit cum matrimonio: tum quia si novitiatus solveret sponsalia ex parte novitii, daretur occasio fraudulenter dissolvendi sponsalia per fictum ingressum; ergo. At pars in sæculo manens habet justam causam resiliendi a sponsalibus, ut communis tenet contra Covar., Palud., etc., tum quia novitiatum ingrediens, tacite et ipso facto renuntiat juri quæsito ex sponsalibus, tum quia quasi statum mutat : quæ causæ sunt sufficientes ad resiliendum a sponsalibus.

TITULUS VII.

DE EO QUI DUXIT IN MATRIMONIUM QUAM POLLUIT PER ADULTERIUM.

Præsens rubrica est strictior nigro, quia impedimentum criminis, de quo tractatur h. t., non solum oritur ex adulterio, sed etiam ex homicidio alterius conjugis. Est autem hoc impedimentum dirimens, et specifice vocatur impedimentum *criminis*, licet impedimentum *metus* et *raptus* etiam ex delicto oriantur; sed hæc servant sua propria nomina. De crimine tantum impediente agetur tit. XVI.

I. Quibus modis incurratur impedimentum criminis dirimens matrimonium?

Resp. 1. Quatuor modis : duobus quidem ex causa adulterii, et duobus ex causa homicidii. Et 1° si adulteri, vivente conjuge altero, matrimonium de facto iniverunt (c. 5 h. t); 2° si adulteri promissionem fecerunt futuri matrimonii post mortem

alterius conjugis ineundi (c. 6, 7 et fin. h. t); 3° si adulterio non commisso, ambo machinentur in necem alterius conjugis cum effectu, seu secuto conjugicidio (c. 1, *de Convers. infidel.*); 4° si commisso adulterio, unus ex adulteris occidat proprium vel adulteri conjugem, animo cum illo contrahendi matrimonium (can. 5, *Si quis*, 31, q. 1). Ratio hujus impedimenti ab Ecclesia introducti, est : *ex parte adulterii*, ut secura sit conjugum fides, amor et vita, omnisque occasio captandæ mortis alienæ tollatur; *ex parte homicidii*, quia atrocitas tanti criminis erga conjugem admissi meretur istam inhabilitatem; tum maxime, quia suppositis his criminibus, turpe et inhonestum, scandalique plenum est tales personas inter se copulari.

Nec obstat factum Davidis occidentis Uriam, et cum adultera Betsabea contrahentis : nam in Vet. Testamento non fuit hoc impedimentum, licet in Novo Testam. ob dictas rationes recte sit introductum.

Resp. 2. Ut crimen ex adulterio dirimat matrimonium, debet esse : 1° adulterium *formale*, non *materiale*, propter ignorantiam vel invaliditatem prioris matrimonii, completum in sua specie et durante eodem matrimonio consummatum. 2° Debet cum adulterio copulative concurrere vel matrimonium actuale de facto, vel promissio matrimonii ineundi post mortem alterius conjugis, et quidem seria, non ficta, sive ista præcedat adulterium, sive sequatur, constante priori matrimonio; sive fiat in actu adulterii, dummodo promissio sit expresse acceptata ab altera parte, siquidem tacens in hac materia odiosa non habetur pro consentiente. Et quamvis probabile sit ad hoc impedimentum sufficere promissionem acceptatam sine repromissione adulteri, quia hoc modo est periculum captandæ mortis alienæ, oppositum tamen æque est probabile, quia *fides data,* quæ requiritur, plerumque in jure canon. significat promissionem mutuam utrinque obligatoriam (cap. 22, *de Sponsal.*, cap. 1, *de Sponsal. duor.*, cap. 5, *Qui clerici*, etc.). Ergo, cum versemur in materia odiosa, *fides data* accipienda est pro mutua promissione quam sibi faciunt adulteri de matrimonio post mortem conjugis ineundo. 3° Econtra ex adulterio non incurritur impedimentum criminis, si adulterium sit materiale vel non completum; vel si copulative desit promissio, vel ista sit

ficta, aut remissa, nullo præcedente adulterio, licet deinde per accidens sequatur adulterium; vel si promissio sit de matrimonio, vivente altero conjuge, ineundo; vel si promissio facta sit in uno matrimonio et adulterium in secundo (1); quia videtur recessum a fide data: ita hæc omnia deducuntur ex canonibus causæ 31, quæst. 1, et cap. 1, 7, fin. h. t.; et si quæ jura diminutius loquuntur, supplenda sunt ex aliis plene loquentibus et exigentibus ut vel adulterium sit cum actuali matrimonio de facto inito, vel adulterium sit cum promissione matrimonii post mortem conjugis ineundi.

Resp. 3. Ut conjugicidium mixtum adulterio inducat impedimentum criminis, præcedere debet adulterium; alias post cædem copula non est adulterina, tum sequi debet machinatio cum effectu, seu cædes conjugis, etiam ab uno tantum ex adulteris patrata, animo ineundi matrimonium cum complice, non vero solo animo liberius exercendi libidinem : can. 6, *Si quis*, 31, q. 1, c. 6, *Qui fil. legit.*, c. 1, 3, 6 h. t.; S. D., in 4, d. 37, q. 2, a. 2, in *Corp.*, et alii communiter). Ut solum conjugicidium inducat impedimentum criminis, requiritur ut uterque concurrat physice vel moraliter in necem conjugis, animo contrahendi matrimonium, et cædes reipsa consecuta sit (cap. 1, *de Convers. infid.*). Sola ratihabitio, qua alter ratum habet conjugicidium nomine suo gestum, non sufficit, cum fictio ista nullo jure sit expressa, sicut expressa reperitur de habente ratam percussionem clerici nomine suo factam (c. 23, *de Sent. excomm.*, in 6°).

II. Qui ligentur impedimento criminis ?

Resp. 1. Soli fideles, cum sit tantum juris ecclesiastici; ergo infideles non ligat, nisi per accidens et indirecte, quatenus persona fidelis impeditur contrahere cum infideli ad fidem converso, si adulterium cum eo commisit, facta promissione matrimonii; vel si ab eis conjugicidium patratum sit modo ante explicato (c. 1, *de Convers. infidelium*).

Resp. 2. Qui, vivente uxore legitima, contraxit cum alia igno-

(1) Incurri impedimentum quando uni matrimonio obstitit adulterium, et alteri, datam promissionem, asserunt plures; sed probabilior est sententia quæ docet tam promissionem quam adulterium debere esse facta sub eodem conjugio.

rante ipsum esse conjugatum, post mortem primæ tenetur renovare consensum et contrahere cum secunda, si ista velit (c. 1 et 7 h. t.); nam ex una parte non est hic impedimentum criminis; ex altera vero parte, decepta per separationem patitur damnum, quod reparari debet per matrimonium habili tempore ineundum. Si tamen matrimonium ineatur cum tertia post mortem primæ conjugis, subsistit, et deceptæ alio modo damnum resarciendum est.

Resp. 3. Ignorantes ligantur impedimento criminis : ita Moya et Reiff., Gobat, Schmalz. et communior DD. contra Palud. Major., Pichler, etc.; nam SS. canones 31, q. 1 et h. t. nullam mentionem faciunt de notitia an quis sciverit hoc impedimentum annexum esse delictis; ergo voluerunt eo ligari sive scientes, sive ignorantes; prout canones istos interpretatur praxis curiarum tam Romanæ quam aliarum ecclesiarum, tales personas sine dispensatione non admittentium ad nuptias. *Ratio* est, quia inhabilitates a jure introductæ incurruntur ab ignorantibus, ut patet in irregularitatibus ad ordines, beneficia, etc.; sed impedimentum criminis, licet fundetur in delicto, est tamen per se et principaliter inhabilitas ad matrimonium, sicut alia impedimenta ex crimine orta, ut impedimentum metus, raptus, affinitatis ex copula illicita; quia non decet, nec honestum, nec reipubl. christianæ expediens est tales personas inter se copulari, cum alioquin in matrimoniis maxime attendatur quid deceat honestumque sit (l. XLII, ff. *de Ritu nupt.*). Ergo.

Dices : 1° Hoc impedimentum est pœnale, scilicet in pœnam tanti delicti; pœna autem ignorantem non stringit. 2° Inhabilitatio pœnalis obligat eum qui peccat contra legem, qua *pœnalem;* sed ignarus pœnæ non peccat contra legem, qua *pœnalem;* ergo. 3° Ignorantia facti excusat ab impedimento criminis; ergo etiam ignorantia juris, cum in neutro casu peccetur contra legem ignoratam. 4° Irregularitas ex delicto, privatio juris ad petendum debitum conjugale, inhabilitas ad beneficium ex simonia, censuræ non incurruntur ab ignorantibus (c. 2, *Const.*, in 6°); ergo nec impedimentum criminis. Resp. ad 1. Dist. ant. : est pœnale occasionaliter, secundario et in consequentiam, conc. ant.; primario et per se, neg. ant. Hoc impedimentum primario est inhabilitas, quia non decet, nec expedit tales personas copulari : alioquin ignorantia a plerisque prætexi posset. Ad 2. Est eadem solutio : nam inhabilitatio ista principaliter est ob indecentiam, quæ in repu-

blica christiana tolerari non debet cum magno dispendio honestatis matrimonii. Ad 3. Neg. cons.; nam ignorantia facti excusat ab adulterio et conjugicidio, et conseq. ab impedimento, non vero ignorantia juris circa inhabilitatem constituti. Ad 4. Neg. ant. exceptis censuris : nam et istæ inhabilitates incurruntur ab ignorantibus; non tamen censuræ, quæ contumaciam, et conseq. scientiam prærequirunt. Argumenta ista instantiam contrariam habent in aliis impedimentis ex delicto ortis. Quia vero opposita sententia satis est probabilis, servire potest confessario pro illo casu quo impedimentum est occultum, et adulteria vel homicidia in futurum non pendent (1).

III. An impedimentum criminis sit perpetuum, et a quo dispensabile?

Resp. ad 1. Affirmative, ita ut non cesset, etsi complices longo tempore in matrimonio putativo vixerint, et proles susceperint (c. 5 h. t.), quia diuturnitas peccatum non minuit, sed auget; prolibus tamen necessaria alimenta ministranda sunt : *ibid*, ubi corriguntur jura civilia, spurios ali vetantia.

Resp. ad 2. In impedimento criminis dispensat solus Papa; quia inferiores non possunt relaxare jus commune. Si tamen est publicum ex conjugicidio ortum, rarissima et difficillima est dispensatio (2); et si ortum est ex adulterio conjuncto cum nuptiis vivente altero conjuge contractis, non dispensat Papa, nisi negotio finito in Officio S. Inquisitionis. S. Pœnitentiaria in hoc impedimento occulto, si oriatur ex homicidio, nonnisi ex urgentissimis causis dispensat, injuncta pœnitentia diuturna : facilius autem, si oriatur ex solo adulterio cum promissione, præsertim si complices erant ignari hujus impedimenti (3).

(1) Vide De Angelis (h. t. n. 5), qui sententiam affirmantem taliter ignorantes incurrere impedimentum criminis tenet, quia ipsis nunquam conceditur dispensatio *ad cautelam*, sed tales absolute dispensant SS. trib. Rom.

(2) « Pontifex nunquam dispensat, ob enormitatem scandali et delicti. » (De Angelis, h. t. n. 6.)

(3) Conjugicidium mixtum adulterio aliquando duplex infert impedimentum, et ab utroque peti debet dispensatio, dum scilicet adsunt omnes conditiones (n. 3, h. t.).

TERTIA PARS

DE IMPEDIMENTIS QUÆ IPSAS CONTRAHENTIUM PERSONAS EARUMQUE QUALITATEM RESPICIUNT

TITULUS VIII.

DE CONJUGIO LEPROSORUM.

Nomine *lepræ* venit hic omnis morbus horridus et contagiosus, ut paralysis, epilepsia, morbus gallicus, etc.

An lepra sit impedimentum matrimonii?

Resp. 1. Lepra antecedens ignorata, vel consequens sponsalia, dat justam causam resiliendi ab illis: secus si fuit cognita, quia pars altera sibi imputare debet quod scienter cum leproso contraxerit sponsalia.

Resp. 2. Lepra sive antecedens, sive consequens, nec dirimit matrimonium contrahendum, nec dissolvit contractum (c. 1, 2 h. t.); nam vis ista nullibi attributa est lepræ aut simili morbo. Nec obstat c. fin. h. t. et can. 18, *Proposuisti*, 32, q. 7; nam c. fin. procedit de sponsalibus, quod superveniente lepra, alter non teneatur ad consummandam seu perficiendam copulam maritalem, quæ consistit in contractu; seu quod non teneatur inire matrimonium. Canon 18 procedit de infirmitate arctitudinis seu impotentiæ, ob quam invalidum fuit matrimonium (Bellar., Gonz. et alii); subsidia autem tali mulieri præbenda sunt per restitutionem dotis, vel ex charitate.

Resp. 3. Lepra contagiosa est causa sufficiens divertendi quoad torum et cohabitationem; nam contractui matrimoniali inest conditio divertendi ob justam causam, qualis est incolumitas proprii individui. Si tamen conjux sanus vult cohabitare et debitum reddere, id ei licebit; quia in morbis diutur-

nis periculo infectionis prævalet amor conjugalis, præsertim si adsit periculum incontinentiæ in utroque conjuge. Nec obstat quod forsan proles nascetur leprosa; quia huic melius est leprosam esse quam nullo modo esse.

Si lepra non est contagiosa, pars sana tenetur leproso cohabitare et debitum reddere: quo sensu procedit c. 1 et 2 h. t.; quia hic non adest justa causa excusans ab obligatione conjugali, nisi forsan nimius horror esset in reddendo debito.

Facta separatione leprosorum, utrinque a judice ecclesiastico injungenda est continentia (c. 1 h. t.).

TITULUS IX.

DE CONJUGIO SERVORUM.

In h. t. examinatur impedimentum *conditionis servilis,* quod nunc rarum est, cum servitus legalis apud christianos fere exspiraverit.

I. Quando conditio servilis dirimat matrimonium?

Resp. 1. In unico tantum casu quo liber ignorans alteram partem esse servituti obnoxiam, contrahit cum illa matrimonium, etsi ignorantia sit modicum crassa: ita can. 4 et seq. 29, q. 2, et cap. 2 et fin. h. t.; nam licet contractus iste jure naturali sit validus, ut comm. tenet, tamen Ecclesia non voluit eum valere ob justas causas, puta ob inæqualitatem personarum, ob injuriam libero illatam et prolibus inferendam. Quæ assertio locum habet etiam tunc dum contrahitur cum statulibera; quia tempore intermedio, pendente conditione et tempore, est ancilla (l. IX, ff. *de Statuliber.*). Convalescit autem hoc matrimonium, si liber, cognito errore servitutis, ratificet priorem consensum expresse vel tacite per copulam (c. 2 et fin. h. t.), quia jure antiquo talis copula præsumitur fieri affectu conjugali : jure autem Trid., si servitus publice innotescat, convalidatio fieri debet coram parocho et testibus.

Resp. 2. Valet matrimonium in seq. casibus : 1° si liber

scienter contrahat cum ancilla, quia volenti non fit injuria; licet ob vilitatem personæ fiat irregularis (can. 15, d. 34). 2° Si liber contrahat cum libera quam putat esse ancillam, vel servus cum ancilla quam putat esse liberam; quia hic non additur status deterior ita errantis. 3° Si liber ignarus contrahat cum ancilla quæ vi collocationis in matrimonium a domino factæ consequitur libertatem (Nov. 22, c. 2); quod jus non reprobatur a sacris canonibus; quia in ipso contractu ancilla fit libera, adeoque liber non cum ancilla, sed cun libera nuptias init, prior vero servitus ignorata non sufficit ad hoc matrimonium invalidandum.

Resp. 3. Si matrimonium cum errore conditionis servilis publice contractum est, dissolutio ejus fieri debet auctoritate Ecclesiæ (arg. c. 2 et fin. h. t., c. 3 *de Divort.*); nam quod auctoritate Ecclesiæ contrahitur, auctoritate ejusdem dissolvi debet. In prævio judicio liber probare debet *conditionem servilem* quam ex parte ancillæ asserit; error vero regulariter non probatur, nisi in illo casu quo talis persona notorie et communiter habita est pro ancilla; quia quilibet præsumitur scire quæ communiter nota sunt (lib. II, ff. et l. XXIII Cod., *de Probat.*). Si vero communiter non est habita pro ancilla, ista probare debet quod liber notitiam habuerit de ipsius conditione servili.

II. Quid juris circa matrimonia servorum cum ancillis ?

Resp. 1. Talia matrimonia sine consensu domini sunt valida et regulariter licita : ita decisum est c. 1. h. t. quo corriguntur jura civilia, quæ inter servos, præsertim sine consensu domini, dicunt esse *contubernia*, non matrimonia (l. III, c. *de Incest. nupt.*). Ratio 1ª, quia servi jure naturali et divino habent jus liberum contrahendi et suscipiendi sacramentum matrimonii, tum ad finem propagationis humanæ, cum etiam in remedium concupiscentiæ; quod jus, utpote toti naturæ commune, non subditur privatæ potestati dominicæ : ergo matrimonia servorum cum ancillis sunt valida. Ratio 2ª, quia servi, utendo jure suo, licite agunt, et nulli injuriam faciunt, licet decens sit ut requirant consensum dominorum. Dum vero antiqui canones nuptias servorum dicunt non esse justas et legitimas, id intelligendum est non de legitimitate canonica, sed civili, quatenus

non intercedunt pacta dotalia, neque ex talibus oritur patria potestas, nec hæreditas et successio liberorum; quo sensu explicantur can. 2 cum seq. 32, quæst. 2, et can. 9, *Dicat*, 39, quæst. 4; can. fin. 29, quæst. 2, ibi : « Per voluntatem dominorum. »

Dices : Professio religiosa est favorabilior; sed servus sine consensu domini non potest valide profiteri; ergo nec nuptias contrahere. Resp. Neg. cons.. quia professio religiosa non est compossibilis cum operis domino debitis; bene vero matrimonium.

Resp. 2. Dominus resciens servum tractare de nuptiis, re integra, ante inita sponsalia, potest servum in remota mittere aut vendere, quia utendo jure suo non facit illi injuriam. At si sponsalia sint inita, non potest eo medio uti, tum quia præjudicaret juri sponsæ, quod independens est a dominio domini; tum quia directe impediret matrimonium, quod ei non licet. Contracto autem matrimonio, servum alio mittere potest, quia non privatur potestate dominica, licet illicitum videatur sine gravi causa servum eo mittere, aut vendere, quo illum uxor sequi non potest (Sanch.).

Resp. 3. Servi ipso facto tunc consequuntur libertatem, dum dominus eos collocat in matrimonium cum persona libera ignorante eorum servitutem (Auth. *ad hoc*, c. *de Latin. lib. toll.*), quia hoc modo dominus fingitur cedere jure suo. At si pars altera scivit conditionem servilem, dominus consentiendo in matrimonium non præsumitur dare libertatem, nisi ancillæ constituat instrumentum dotis, vel servo instrumentum donationis propter nuptias; quæ instrumenta propria sunt hominum liberorum (l. un., § 9, *de Latin. lib. toll.*).

TITULUS X.

DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

In h. t., qui priori est accessorius, traditur trita regula, quod partus sequatur ventrem seu conditionem matris quoad statum

libertatis et servitutis : unde mater ancilla parit servum, licet pater sit liber; et mater ingenua vel liberta parit liberum, dummodo libera sit tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio.

TITULUS XI.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

Nota cognationem in genere esse quamdam propinquitatem personarum; quæ triplex est : *spiritualis*, *legalis* et *carnalis*. De ultimis duabus agetur in seq. titulis. Hic examinatur impedimentum dirimens cognationis spiritualis ortæ ex baptismo et confirmatione.

I. Unde oriatur, et quo jure matrimonium dirimat cognatio spiritualis ?

Resp. ad 1. Oritur ex sacramento baptismi et confirmationis, non vero ex aliis sacramentis: ita comm. ex canonibus causæ 30, q. 1 et 3; Trid., sess. 24, c. 2, *de Reform. matr.;* nam baptismus comparatur generationi, seu conceptioni in utero; confirmatio vero nativitati, seu editioni in lucem, adeoque in utroque datur gratia per modum generationis et nativitatis; in cæteris vero sacramentis datur gratia per modum nutritionis, sanationis aut reconciliationis; ergo sicut ex generatione naturali oritur cognatio naturalis, ita ex generatione spirituali per baptismum et confirmationem oritur cognatio spiritualis. Nec obstat can. 8 et seq. 30, q. 1; nam ex sacramento pœnitentiæ est cognatio valde impropria, quæ non habet vim dirimendi matrimonium, licet fornicans cum filia confessionis probabilius teneatur circumstantiam istam aperire in confessione (S. D., 2 2, q. 154, a. 10, ad 2).

Resp. ad 2. Cognatio spiritualis jure ecclesiastico dirimit matrimonium, et cons. solvit præcedentia sponsalia: ita comm. ex juribus supra cit.; nam hoc impedimentum introductum est ex justissima causa : quia valde indecens esset patrem spiritualem copulari filiæ spirituali. Et quia hæc indecentia semper

durat, ideo hoc impedimentum est perpetuum. Si vero sequatur ad matrimonium, non dissolvit illud, sicut nec alia impedimenta consequentia, ut affinitas, etc.; privat tamen jure petendi debitum, de quo infra.

II. Inter quas personas detur cognatio spiritualis?

Resp. 1. De jure antiquo dabatur inter plures personas; nam 1° hoc jure fuit *paternitas directa* inter baptizantem, vel patrinum, et baptizatum; et *paternitas indirecta*, quæ extendebatur ad baptizantis et patrini uxorem carnaliter cognitam, quæ propter unitatem carnis cum marito fiebat etiam mater spiritualis baptizati; vel econtra ab uxore baptizante vel levante refundebatur ista cognatio in maritum (c. 1 h. t. in 6°). 2° Fuit *compaternitas directa* inter baptizantem, vel levantem, et parentes baptizati; *indirecta* vero refundebatur in uxorem baptizantis et levantis, ut ante dictum (c. 4 h. t. p.). 3° Fuit *fraternitas* inter baptizatum et liberos carnales baptizantis vel levantis, non vero inter alios fratres et sorores baptizati : can. 4, *Super quibus*, 30, q. 3, ubi corrigitur can. 5 utpote anterior tempore, et ita decidit Alex. III (c. 3 h. t.), nisi specialis esset consuetudo ut inter omnes fratres et sorores baptizati et proles baptizantis aut levantis intercederet ista confraternitas diremptiva matrimonii (c. 3 h. t.). Hæc omnia similiter fiebant in cognatione orta ex confirmatione.

Resp. 2. Jure novo Tridentino (sess. 24, cap. *de Reform. matrimonii*), sublata est paternitas et compaternitas indirecta, uti et fraternitas, et remansit sola *paternitas* et *compaternitas directa*, et *filiatio;* unde hodie cognatio spiritualis ex baptismo datur : 1° inter baptizantem, tanquam patrem, et baptizatum, tanquam filium, et similiter inter patrinum seu levantem, tanquam patrem, et baptizatum seu levatum, tanquam filium ; ac proinde baptizatus hodie potest ducere uxorem baptizantis vel levantis, si quam habuerunt, et mortui sunt. Et hæc cognatio vocatur *paternitas;* vel si baptizans aut levans est femina, *maternitas.* 2° Inter baptizantem et parentes baptizati, vel inter levantem et parentes levati, quæ vocatur *compaternitas,* et in feminis *commaternitas;* quia sicut genitores sunt patres carnales baptizati, ita baptizans et levans sunt ejusdem patres

spirituales; ac proinde inter se sunt *compatres* vel *commatres*. Nec ultra ad uxorem, vel liberos baptizantis aut levantis, cognatio spiritualis extenditur : unde pater carnalis baptizati, sublato impedimento ligaminis, potest ducere uxorem levantis aut baptizantis. Hæc eadem doctrina servatur in cognatione orta ex confirmatione. Inter ipsum vero baptizantem et patrinum, vel inter ipsos patrinos inter se, nec antiquo, nec novo jure aliqua cognatio oritur. Personæ istæ spiritualiter cognatæ exprimuntur his versibus :

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes,
Levans, levatus, levatique parentes,
Confirmans, confirmatus, confirmatique parentes,
Patrinus, confirmatus, confirmatique parentes.

III. Quod sit subjectum cognationis spiritualis ?

Resp. 1. Soli fideles seu baptizati, cum hi soli subjaceant juri ecclesiastico (can. 302, *de Consecr.*, d. 4); unde infidelis non est capax cognationis spiritualis *activæ*, v. g. si baptizet vel levet ex baptismo; nam qui spiritualiter non est natus seu filius non potest esse spiritualiter pater; sicut necdum natus secundum carnem non potest esse carnaliter pater (S. D. et alii communiter contra Henriq.); neque etiam capax est cognationis spiritualis passivæ seu compaternitatis, si fidelis baptizet vel levet prolem parentis infidelis (Sanch. et alii contra Sylv., Rosell., etc.); nam passiva cognatio in tantum afficeret infidelem, in quantum activa cognatio a baptizante vel levante terminaretur ad illum; sed tali casu, hoc ipso quod in infideli non detur compaternitas, utpote ab Ecclesia introducta, neque cognatio compaternitatis datur infideli baptizanti vel levanti : nam cognatio ista est reciproca, et conseq. si non datur in uno extremo, neque datur in altero; ergo; tum etiam quia impedimenta restringenda potius quam laxanda sunt.

Dices : 1° Saltem cognatio ista resultat tempore habili, dum infidelis convertitur ad fidem, sicut irregularitas, v. g. ex bigamia orta (can. *Acutius*, 28, q. 3). 2° Impedimentum criminis directe a fideli, et indirecte incurritur ab infideli, et dirimit inter eos matrimonium (c. 1, *de Convers. infid.*); ergo idem dic. de cognatione spirituali. — Resp. ad 1. Neg. ant.; nam quod ab initio non subsistit, tractu temporis non firmatur nec convalescit, ex reg. XVIII in 6°. Irregularitas bigamiæ post

baptismum oriri potest, quia perseverat defectus significationis : sed qui in generatione non est pater, nec postea erit. Ad 2. Neg. cons.; nam cætera impedimenta non sunt ex natura sua relativa, sicut cognatio, sed salvantur in uno impedito; sicut impedimentum ligaminis, impotentiæ, et similiter criminis.

IV. Quæ requirantur ad hoc, ut contrahatur cognatio spiritualis?

Resp. 1. In baptizante et baptizato adulto, præter intentionem ad valorem sacramenti necessariam, nihil speciale requiritur. In confirmante requiritur regulariter ordo episcopalis et intentio conferendi sacramentum confirmationis.

Resp. 2. Ex parte patrini requiritur : 1° ut a parentibus baptizandi designetur unus, vel ad summum unus et una (Trid. cit. sess. 24, c. 2, *de Reform. matr.*). Si nullus a parentibus est designatus, parochus unum designabit; si vero designatio ista omitteretur, et plures tangerent seu levarent baptizatum, probabilius est cognationem spiritualem ab omnibus contrahi : ita, teste Fagnano, fertur declarasse S. Congr.; nam decretum Trid. loquitur tantum de illis qui præter designatum tangunt; ergo si nullus est designatus et omnes levant, juxta jus antiquum omnes contrahunt cognationem spiritualem, licet Sanchez dicat nullum ex illis contrahere, ut vitetur multiplicitas hujus cognationis, qui fuit finis Tridentini. 2° Ut levans habeat intentionem, saltem implicitam, agendi munus patrini. Si patrinus intentionem suam restringat ad certum individuum, quod in praxi rarum est, levando alium pro alio probabilius non contrahit cognationem spiritualem, ex defectu intentionis : secus si, non obstante privato errore, habuit intentionem levandi præsentem personam. In baptismo privato, quia plerumque materialiter tenetur infans absque animo exercendi munus patrini, raro hæc cognatio incurritur; uti nec tunc quando supplentur cæremoniæ, quia non levatur infans ex sacro fonte. 3° Ut tempore baptismi patrinus infantem teneat, et quidem ordinarie per physicum contactum, nisi alia consuetudo esset, v. g. ut ipsemet baptizans infantem teneat; et tunc sufficiet ut patrinus ex manu sacerdotis immediate baptizatum suscipiat, vel saltem eo fine præsentet baptizandum (S. Congregat., 1688, teste Petra cum praxi). Respondere autem pro infante, vel alia præter levationem facere, per se non requiritur in patrino

(c. 1 h. t.). 4° Ut baptismus sit validus : quod enim nullum est, nullum operatur effectum (1) (c. 8, *de Jure patr.*). Si baptismus secundus est conditionatus, contrahitur paternitas, nisi constaret primum fuisse validum. Hæc omnia etiam in confirmatione observantur; ubi insuper in patrino requiritur ut ipse prius sit confirmatus (c. 102, d. 4, *de Cons.;* S. Congr., *in Liciensi,* 13 jul. 1654). Episcopus tamen, etsi non essetcon firmatus, contraheret paternitatem; cum in eo sufficiat valide conferre confirmationem.

Resp. 3. Patrinus per procuratorem levans, sicut magnates facere solent, probabilius contrahit cognationem spiritualem : ita Abb., Navar., Laym., Reiffenst., Schmier, Schmalz. et alii communius contra Sanch., Gonz. et alios existimantes cognationem istam vel a neutro contrahi, vel a solo procuratore. Prob. ex reg. LXXII in 6° : « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum; » ergo sicut patrinus per se levans contrahit cognationem spiritualem, ita quoque levans per procuratorem, eam contrahit : alias sequeretur absurdum contra legem Ecclesiæ, quod tali casu nullus sit verus patrinus, cum procurator, non suo, sed alieno nomine levans, non sit patrinus, et spiritualis cognatus baptizati. Præterea per procuratorem, contracto matrimonio, etiam contrahitur publica honestas a principali; ergo, et contrahi potest cognatio spiritualis : stat pro hac sententia declaratio S. Congregationis 29 martii 1582 et 15 martii 1631, teste Clericato. Communitas, si eligatur in patrinum, unum ex suis designare debet, qui nomine suo patrinum agat, et cognationem contrahat, cum communitas, ut persona ficta, talem cognationem contrahere nequeat; neque singuli ex communitate, quia Trid. unum, vel unum et unam designari jubet.

Dices : 1° Tangere, levare, significant actionem personalem et physicam; ergo si principalis personaliter non tangat baptizatum, non fit ejus cognatus. 2° Baptizans ex commissione parochi, ille, et non parochus, contrahit cognationem; ergò a pari. 3° Cognatio carnalis contrahitur ex propria actione personali, uti et cognatio legalis (l. XXV, § 1,

(1) In baptismo privato, non secus ac solemni, contrahitur cognatio spiritualis, saltem inter baptizantem et baptizatum ejusque parentes (S. Congr. Conc. 5 mart. 1678).

ff. *Adopt.*); ergo etiam spiritualis. Resp. ad 1. Verba ista verificantur de contactu morali et non semper physico, cum clare ex jure non constet necessario requiri physicum contactum. Ad 2. Neg. cons.; nam commissarius baptizat, non parochi, sed suo et Christi nomine; procurator autem levat nomine principalis. Ad 3. Neg. cons.; nam cognationem naturalem ipsa natura, legalem ipsa lex prohibet contrahi per procuratorem; qualis prohibitio non est respectu cognationis spiritualis.

V. Quodnam sit officium patrini?

Resp. Præter munus levandi, proprium patrini officium est, et de se grave, ut baptizatum instruat in doctrina fidei christianæ, saltem in defectum parentum et magistrorum : et ideo patrini in jure et a SS. Patribus vocantur fidei doctores, pedagogi spirituales, fidejussores, sponsores (can. 100 et 104, *de Consecr.*, d. 4; can. 1, *Diligere,* 30, q. 3). Unde qui non sunt idonei ad hanc instructionem, neque admittendi sunt pro patrinis, ut hæretici et apostatæ, pœnitentes publici, moribus infames, excommunicati (1): et ob specialem rationem regulares utriusque sexus, ne prætextu cognationis spiritualis extra claustra vagentur (can. 20, *Pervenit,* 18, q. 2; can. 103 et seq., d. 4, *de Consecr.*), nisi religiosus per episcopatum absolveretur a jugo regulæ (2).

VI. An parentes contrahant cognationem spiritualem?

Resp. 1° Si pater in casu necessitatis baptizet, vel levet prolem ex legitima uxore sua susceptam, non incurrit cognationis spiritualis impedimentum, et conseq. non privatur jure petendi debitum (can. 7, *Ad limina,* 30, q. 1): « quia inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. » 2° Si pater extra casum necessitatis baptizet, vel suscipiat prolem suam per probabilem ignorantiam facti, scilicet ignorando esse communem prolem, vel ex sua uxore genitam, excusatur ab hoc impedimento, quia non habuit intentionem baptizandi, vel levandi prolem, ut suam. An vero ignorantia juris illum excuset, dubium est: affirmant multi, quia privatio juris ad petendum debitum est pœna, quæ ab ignorante non incurritur : negant alii, quia impe-

(1) Vitandi.
(2) Excluduntur etiam ignorantes rudimenta fidei, et in multis diœcesibus clerici majores.

dimentum cognationis spiritualis est mera inhabilitas propter indecentiam introducta, quæ ab ignorante incurri potest. Prior opinio est favorabilior et probabilior; nam licet cognatio spiritualis antecedens matrimonium sit inhabilitas, tamen ei superveniens est principaliter pœna privans jure quæsito ad petendum debitum. 3° Si pater, sive in, sive extra casum necessitatis baptizet, vel levet prolem ex fornicatione susceptam, incurrit impedimentum dirimens matrimonii cum fornicaria contrahendi; nam iste casus substat generali regulæ qua baptizans fit compater cum parentibus baptizati, nec compaternitas ista habet rationem pœnæ, sicut in priori casu, sed est mera inhabilitas ad contrahendum matrimonium cum commatre, qualem incurrit omnis baptizans, sive solemniter, sicut clericus, sive privatim baptizet, sicut laicus. 4° Vir prolem ex legitima uxore susceptam extra casum necessitatis baptizans, vel levans, privatur jure petendi debitum conjugale (S. D., in 4, d. 42, quæst. 1, art. 1, in *Corp.*, S. Bonav., Sanch., Laym. et alii communius contra gloss. c. 2 h. t., Suar., Zoes., Reiff., Schmalz., etc.). Prob. ex doctrina generali h. t. disponente ut baptizans et levans contrahant cognationem spiritualem, et impedimentum ei annexum; sed parentes baptizantes, vel levantes, propriam prolem, nullibi excipiuntur ab hac generali dispositione, imo expresse comprehenduntur can. 1 et seq. 30, q. 1, ubi jubentur separari, non utique quoad vinculum, sed quoad usum tori conjugalis, si ambo rei sunt; alioquin pars rea jubetur manere cum innocente et eum non fraudare (can. 3, ibid.); ergo.

Dices : Jura antiqua, si contraria sunt, corriguntur per cap. 2 h. t., ubi Pontifex ait, quod « sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sint ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, etc. » Resp. textum istum recte intelligi, quod propter delictum vel ignorantiam unius non sint separandi conjuges, quia ignorantia excusat : fraus vero et dolus non debet ei patrocinari qui ex malitia filium e sacro fonte suscepit; adeoque obligatur debitum reddere. An vero petere possit? nihil clare ex hoc capite colligitur. Interim cum sententia ista probabilis et valde favorabilis sit, utilis erit pro praxi, licet dispensatio ad petendum debitum sit omnino tutior; quam in casu occulto plerique regulares dare possunt.

VII. Quis dispensare possit in impedimento dirimente cognationis spiritualis ?

Resp. Solus Papa, utpote juris conditor; qui tamen in paternitate difficillime, facilius in compaternitatate dispensat, adeoque in supplicatione exprimi debet an dispensatio petatur super paternitate, an super compaternitate (1).

In c. 5 h. t. mentio fit impedimenti cognationis imperfectæ ex catechismo ortæ, non dirimente, sed tantum impediente, quod dabatur inter catechizantem patrinum et catechizatum parentesque cathechizati, dum patrinus baptizandum prius instruxit, et pro eo ad interrogata baptistæ respondit. Hoc impedimentum sublatum est a Trid., sess. 24, c. 2, *de Reform. matrim.* : ita hoc jus consuetudine generali interpretante.

TITULUS XII.

DE COGNATIONE LEGALI.

Hic præscienda sunt ea omnia quæ in jure civili traduntur de adoptionibus, per quas persona aliena assumitur in filium vel nepotem : vel perfecte per *arrogationem*, qua arrogatus transit in familiam et patriam potestatem arrogantis; vel imperfecte per *simplicem adoptionem*, quæ hodie non operatur effectum patriæ potestatis, adeoque nec proprie patrem, nec filium facit, sed tantum adoptato tribuit jus ab intestato succedendi in quarta portione bonorum patris adoptivi. Vide tit. *Inst. de adopt.*, l. pen., c. eod. Cognatio igitur legalis est propinquitas personarum orta ex adoptione, dirimens matrimonium, non quidem vi juris civilis, a quo introducta est, sed hodie vi juris can., quatenus cognatio ista a sacr. canonibus recepta et approbata fuit.

(1) Notandum quod in indultis quæ episcopis dantur ut ipsi dispensent, solet apponi limitatio, ut sit exclusus casus cognationis *inter levans et levatum;* porro S. Pœnitentiaria non semel declaravit per levantem venire non tantum baptizantem, sed etiam patrinum et matrinam.

I. An impedimentum dirimens cognationis legalis oriatur ex sola arrogatione ?

Resp. Affirmative : ita Innoc., Sylv., Laym., Sanchez, cum cit. contra gloss. c. un. h. t., Abb., Covar., Reiff. Prob. Cognatio legalis fundatur in patria potestate, ita ut adoptans fiat pater, et adoptatus filius patriæ potestati subjectus, ut manifeste constat ex juribus supra allegatis : nam licet sacri canones utantur termino *adoptionis*, tamen in ipso sensu loquuntur de perfecta adoptione, seu arrogatione, quæ potestatem inducit, et solvi potest per emancipationem : can. pen. 30, quæst. 3, et cap. un. h. tit., ibi : « quandiu durat adoptio, » ubi necessario intelligitur emancipatio solvens patriam potestatem, et cognationem inter filium naturalem et filiam adoptatam ; sed sola arrogatio, non vero simplex adoptio, inducit patriam potestatem (§ 2 Inst. *de Adopt.*) ; ergo. Ratio est, quia impedimentum hoc introductum est partim propter indecentiam ; quia non decet ut ii qui fictione civili habentur patres et liberi, fratres et sorores, inter se copulentur ; partim ad vitandam fornicationem, quæ intercedere posset inter personas in eadem familia et domo commorantes ; sed neutra ratio procedit in simpliciter adoptato : non prima, quia defectu patriæ potestatis non habetur pater, vel filius, vel frater civilis ; non secunda, quia simpliciter adoptatus non cogitur esse in domo et familia adoptantis ; ergo impedimentum istud non oritur ex simplici adoptione : imo ista neque inducit impedimentum impediens, cum sine claro jure impedimenta non sint multiplicanda (1).

II. Quot sint species cognationis legalis, et inter quas personas matrimonium dirimant ?

Resp. esse tres : *prima* est in linea recta inter adoptantem et adoptatum, ejusque descendentes, si quos in patria potestate habet ; sicut Augustus adoptavit Tiberium cum Germanico

(1) De Angelis, post Girald., putat impedimentum oriri tam ex perfecta, quam ex imperfecta adoptione (h. t. n. 1). Manzella (*de Impediment.*, p. 6) negat impedimentum oriri ex imperfecta. S. Congr. Conc. (apud De Angelis, *l. c.*, n. 2) declaravit adoptionem legalem in codice Gallico determinatam inducere impedimentum dirimens cognationis legalis. Item S. Pœnit., die 23 febr. 1851, quoad adoptionem celebratam in forma præscripta in Codice civili regni Neapolitani.

(§ pen. Inst. *de Adopt.*). Et hoc impedimentum in linea recta est perpetuum (l. XIV, LV, ff. *de Ritu nupt.*), quia honestas non patitur ut aliquando sit uxor, quæ antea per adoptionem fuit filia vel neptis. An vero hoc impedimentum in linea recta extendatur in infinitum, ut probabilior tenet; an vero usque ad quartum gradum, inane est disputare, quia vita hominis tam procul non porrigitur. *Secunda* species est in linea transversà per modum fraternitatis inter adoptatum et liberos naturales adoptantis in potestate constitutos (c. un. h. t., quod desumptum est ex § 2 Inst. *de Nupt.*, et l. XVII, ff. *de Rit. nupt.*), et hoc impedimentum est temporale, donec patria potestas durat. Unde sive filius naturalis, sive filia adoptiva emancipentur, fraternitas desinit, et nuptiæ inter eos consistere possunt (ibid.). *Tertia* species est per modum affinitatis in linea recta inter adoptantem et uxorem adoptati, tanquam inter socerum et nurum, et econtra, inter adoptatum et uxorem adoptantis, tanquam privignum et novercam (l. XIV, pr. et § 1, ff. *de Ritu nupt.*). Hoc impedimentum perpetuum est, quia non decet ut quis uxorem habeat, quæ sibi aliquando loco nurus aut novercæ fuit. Ad alias personas impedimentum cognationis legalis non extenditur; unde consistunt nuptiæ : 1° inter adoptatum et matrem, aviam, vel sororem adoptantis; 2° inter adoptantem et filiam filiæ adoptivæ, vel filiam illegitimam adoptati, quia nec mater habet patriam potestatem, nec pater respectu illegitimorum (§ 10, *de Adopt.*), et consequenter cum matre aut patre non transeunt in potestatem adoptantis; 3° inter filium illegitimum adoptantis et filiam adoptivam, ob eamdem rationem; 4° inter filium adoptatum et filiam adoptatam, vel inter eorum liberos, etsi omnes essent in potestate adoptantis; nam adoptati, licet cognationem contrahant cum liberis naturalibus adoptantis, quandiu potestas durat, tamen inter se nullo cognationis vinculo ligantur. Nec obstat quod in eadem familia morentur, sintque in periculo fornicationis, quia impedimenta ob similitudinem rationis sine jure non sunt afferenda.

III. Quis dispenset in hoc impedimento?

Resp. Solus Papa : sed in linea recta cognationis et affinitatis, ob magnam indecentiam, difficillima est dispensatio : in

linea vero transversa non opus est dispensatione, quia per emancipationem unius solvitur hoc impedimentum.

TITULUS XIII.

DE EO QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUÆ VEL SPONSÆ.

I. An, et quod impedimentum incurrat fornicans cum consanguinea sponsæ vel uxoris suæ?

Resp. 1. Sponsus fornicans cum consanguinea suæ sponsæ incurrit impedimentum affinitatis, quod hodie dirimit matrimonium usque ad secundum gradum, et non ultra (Trid., sess. 24, c. 4, *de Reform. matr.*); quo casu priora sponsalia solvuntur propter affinitatem : nuptiæ vero cum deflorata, si cœlebs est, consistere nequeunt, propter obstans impedimentum publicæ honestatis, et hoc impedimentum affinitatis ex copula illicita adhuc hodie est in usu, ut patet ex cit. Trid. et incurritur etiam ab ignorantibus ; quia non tam est pœna, quam inhabilitas ob indecentiam ; quia non decet tales personas inter se copulari. Nomine *consanguineæ* venit in hac materia odiosa consanguinea *naturalis*, non vero *legalis* ex adoptione, vel *spiritualis* ex baptismo aut confirmatione.

Alterum impedimentum, quod complex, altero complice vivente, non possit inire matrimonium cum quacumque alia persona per c. 12, *de Despons. impub.*, consuetudine contraria abrogatum est ; vel sicubi viget, dispensare in eo potest episcopus.

Resp. 2. Maritus incestum committens cum consanguinea suæ uxoris incurrit privationem juris petendi debitum : reddere tamen tenetur, ne pars innocens alieno delicto gravetur (c. 1, 4 fin. h. t.). Hodie hoc impedimentum affinitatis non extenditur ultra secundum gradum per cit. Trid., ita ut privet jure conjugali, licet cognoscens consanguineam uxoris in tertio vel quarto gradu teneatur circumstantiam istam aperire in confessione (S. Congreg. Concilii et S. Pius V motu proprio edito

20 aug. 1566. Et quamvis multi velint privationem juris petendi debitum incurri ab ignorantibus propter naturalem affinitatem et indecentiam, oppositum tamen etiam videtur probabile, maxime respectu simplicium, licet tutior sit dispensatio, quam plerique confessarii regulares vi suorum privilegiorum impertiri possunt.

Alterum impedimentum, ne complices matrimonium inire possint cum quacumque alia persona (inter se enim nequeunt ob impedimentum affinitatis) per can. 23, *Concubuisti*, 32, q. 7, contraria consuetudine abrogatum est.

Resp. 3. Jus statutum de sponso et marito etiam procedit de sponsa, vel uxore fornicante cum consanguineo sponsi aut mariti : nam in hoc casu, propter identitatem rationis, non debent ad imparia judicari; et de femina idem statuitur can. 21, *Si quis viduam*, 32, q. 7, et can. 9, *Si quis*, 34, q. 2.

II. An incestus commissus cum propria consanguinea primi vel secundi gradus impediat matrimonium cum quacumque persona contrahendum ?

Resp. Negative, quia id nullo jure constat : majoritas vero delicti non facit extensionem impedimentorum. Nec obstant antiqui canones, nam loquuntur de incestuosis contumacibus nolentibus parere monitis episcopi : et his imponenda est publica pœnitentia, qua durante, per accidens impediuntur nuptiæ : can. fin. 35, q. 8, et si qui alii canones sunt ex causa eadem, q. 6 et 32, q. 2 et 3.

TITULUS XIV.

DE CONSANGUINITATE ET AFFINITATE.

In h. t. examinatur duplex impedimentum dirimens, scilicet consanguinitatis et affinitatis ortæ ex copula licita.

Nota 1° consanguinitatem dici quasi sanguinis unitatem, eamque accipi : 1° vel *stricte,* seu *civiliter,* pro vinculo carnali intercedente inter liberos ex eodem patre et diversa matre

natos; quo sensu fratres ex eodem tantum patre nati dicuntur *consanguinei;* ex eadem tantum matre, *uterini;* ex eodem patre et eadem matre nati, *germani;* 2° *late,* seu *naturaliter;* quo sensu *consanguinitas* est propinquitas personarum quæ ab eodem propinquo stipite masculino aut feminino per carnalem propagationem descendunt. Dicitur : *a propinquo stipite,* puta, ut ejus gradus in morali æstimatione numerari possint; alioquin omnes homines essent consanguinei, quia ab eodem Adamo propagantur. *Stipes* continetur intra lineam consanguinitatis, sive procedat ab alio, sive a nullo; sicut Adamus, qui suis liberis et nepotibus fuit consanguineus, et tamen a nullo est genitus.

Nota 2° ex consanguineis alios esse *agnatos,* qui per lineam masculinam descendunt; alios *cognatos,* qui descendunt per lineam femininam. Quæ differentia hic non attenditur; imo nec in jure civili, cum cognati per omnia exæquati sint agnatis (l. XIV, XV, c. *de Legit. hæred.;* Nov. 118, cap. 5). Rursum consanguinei alii sunt *naturales tantum,* inter quos sola, natura vinculum sanguinis inducit citra approbationem legis; cujusmodi sunt consanguinei ex cognatione servili, concubinaria, fornicaria (l. IV, § 2, ff. *de Gradibus. et affin.;* l. IV, ff. *Unde cognati,* tit. Inst. *de Cognat. servili*). Alii sunt *naturales simul* et *legitimi,* quorum consanguinitatem a natura inductam lex approbat: uti sunt consanguinei ex justis nuptiis procreati (cit. l. II). Hæc differentia attenditur quoad successiones et jura familiæ, non quoad matrimonia ineunda, « quoniam in contrahendis matrimoniis naturale jus et pudor inspiciendus est » (l. XIV, § 2, ff. *de Ritu nuptiar.*).

Nota 3° affinitatem quoad nomen esse accessionem ad fines; quia consanguineus mariti accedit ad fines uxoris, et econtra (l. IV, § 3, ff. *de Gradibus et affin.*); hoc ipso enim quod maritus et uxor per copulam fiant una caro, non potest quis esse propinquus uni, nisi etiam propinquus sit alteri (c. 1, *Fraternitatis,* 35, q. 10). Affinitas quoad rem est propinquitas personarum proveniens ex copula carnali perfecta, omni carens parentela seu communione sanguinis; et per hoc ultimum affinitas differt a consanguinitate, licet per accidens cum ea convenire possit in eadem persona; ut si consanguineus ex dispensatione

ducat consanguineam. Ex data definitione sequitur 1° maritum et uxorem inter se non esse affines, sed principium affinitatis seu stipitem, nisi per accidens affinis ex dispensatione ducat affinem; nam affinitas non contrahitur, nisi mediante tertia persona. Sequitur 2° affinitatem non dari ubi non præcessit copula vera, naturalis, et consummata in sua specie; atque ita non oritur affinitas ex sponsalibus, matrimonio rato, copula præpostera, vel in qua sola femina seminavit; quia neutra est apta ad generationem prolis. Si vero solus vir consummet copulam, femina non seminante, inde oriri affinitatem dicit Sanchez; negat vero Clericatus et alii, ex can. 18, l. XXVII, q. 2, ubi desideratur utriusque sanguinis commixtio. His præjactis agetur hic : 1° de impedimento consanguinitatis; 2° de impedimento affinitatis; 3° de computatione graduum in iisdem.

SECTIO PRIMA.

Impedimentum consanguinitatis.

An, et quod impedimentum matrimonii oriatur ex consanguinitate?

Resp. 1. Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, puta inter patrem et filiam, matrem et filium, jure naturali dirimit matrimonium : ita communiter sentiunt omnes gentes bene moratæ, et Persæ contrarium agentes detestantur tanquam prævaricatores juris naturalis; nam ille contractus est jure naturali invalidus, qui perpetuam turpitudinem continet, non tantum ab initio, sed etiam in usu et continuatione; ut patet in contractu usurario, concubinario, etc., siquidem jus naturale in se sanctissimum non potest ad aliquid turpe obligare; sed contractus matrimonii inter patrem et filiam initus perpetuam continet turpitudinem; nam pater, tanquam principium influens et dans esse naturaliter, est superior; filia vero accipiens esse naturaliter est inferior, debens patri perpetuam reverentiam et submissionem ex præcepto quarto Decalogi; cui superioritati et reverentiæ perpetuo adversatur æqualitas et familiaritas conjugalis, jus in corpus, et maxime ipsa copula carnalis, quam ob ingenitum pudorem natura tantopere horret; ut verum dixerit Paulus (l. XIV, § 2, ff. *de Ritu nupt.*) : « Contra

pudorem est filiam uxorem suam ducere; » ergo; tum quia incredibile est quod Deus auctor naturæ permiserit facultatem transferendi jus corporis in eum usum, quem ipsa natura non tantum in hominibus, sed in multis etiam pecudibus horret. Cum vero matrimonium patris cum filia non videatur habere materiam prorsus immutabilem et incohonestabilem, puto Deum de absoluta sua potentia posse dispensare in illo.

Dices contra assert. : 1° In patre et filia est potentia generandi, cui consensus mutuus accedere potest; honor vero potest a patre negligi, et reverentia filiæ remitti. 2° Naturæ non repugnat ut liberi sint æquales, vel superiores parentibus; ut si filius fiat rex, episcopus; ergo ex isto capite non oritur ista irritatio. Resp. ad 1. Consensus iste, ad turpitudinem obligans, nullus est, sicut consensus conjugati cum alia contrahentis. Honor et reverentia, cum non subsint potestati patris, sed ab ipsa natura continuo præcipiantur, remitti non possunt. Ad 2. Dist. ant. : superiores superioritate politica, conc. ant.; naturali et privata, neg. ant.; superioritas politica, cum exerceatur nomine reipublicæ, non contrariatur inferioritati naturali quam habent liberi respectu parentum; bene vero æqualitas, vel superioritas privata conjugalis.

Resp. 2. Consanguinitas in secundo et ulterioribus gradibus lineæ rectæ non dirimit matrimonium jure naturali, v. g. inter avum et neptem : ita S. D. (2ª 2ª, q. 154, art. 9, ad 3), Cajet., Sanch., cum cit., contra Bellarm., Laym. et alios docentes irritationem istam extendi in infinitum, et contra alios qui eam constringunt vigesimo, quarto, vel tertio aut secundo gradu, et contra Ledesm. docentem eam extendi eo usque quousque durat amicitia quoad proprietates individuales; quas discernere sane est difficillimum. Prob. Communio sanguinis, quo iste magis dividitur, eo fit debilior, ut consanguinitatem in morali æstimatione fundare nequeat; ergo de jure naturali in infinitum non irritat matrimonium, sed certo gradu concluditur; atqui gradus iste est tantum primus inter patrem et filiam, matrem et filium, non vero, secundus et ulteriores; ergo. Prob. 2ª pars assumptionis. Sola superioritas et inferioritas naturalis per se et ab intrinseco talis irritat de jure naturali matrimonia consanguineorum, cum in illa sola fundetur honor et reverentia naturalis; sed in secundo gradu lineæ rectæ, v. g. inter avum et neptem, non est superioritas et inferioritas na-

turalis per se et ab intrinseco talis; tum quia avus non est principium per se influens et dans esse nepti, sed per accidens, cum accidat patri habere alium patrem, sicut Abel et Cain erant sine avo; tum quia neptis ex ipsa natura non subjicitur avo, nisi mediate et per accidens, quatenus suus pater ei subjicitur, et ideo nec fertur tanta reverentia erga avum, quanta erga patrem; ergo spectato jure naturali, non irritatur matrimonium in secundo gradu lineæ rectæ, v. g. inter avum et neptem. Interim tale matrimonium etiam de jure naturali est graviter illicitum, ob reverentiam quam inferior cognatus debet superiori; ita ut sine gravissima causa cohonestari non possit. Hoc et non plus probant argumenta ducta ex § 2 Inst. *de Nupt.*, l. fin., ff. *de Ritu nupt.*, tit. c. *de Incest. nupt.;* quia reverentia ascendentibus debita non est tanta, et per se, ut sufficiat ad irritationem matrimonii, nisi in gradu primo lineæ rectæ.

Ex his patet Lev., XVIII, impedimenta expressa non omnia esse de jure naturali irritantia matrimonium, ut definit Trid., sess. 24, can. 4, *de Sacr. matr.*, ubi anathematizantur negantes Ecclesiam dispensare posse in nonnullis gradibus per Leviticum prohibitis. Idem statuitur c. 8, *de Divort.;* nam lex ista Levitici fuit partim cæremonialis, partim judicialis, quæ per Christum abolita novam Ecclesiam non obligat.

Dices : C. 13, v. opinioni, *de Restit. spoliat.*, Papa rescribit a Sede Apostolica non posse dispensari ad matrimonia in Levitico prohibita; ex quo colligitur ea esse jure naturali irrita. Resp. Non potest de cursu ordinario, bene vero extraordinario, si causa gravis urgeat. Neque colligitur irritationem eorum esse juris naturalis : nam nepos prohibetur ibi contrahere cum amita vel matertera; non tamen neptis cum patruo vel avunculo, cum tamen sint in eodem gradu; quod signum est legem istam fuisse positivam divinam, non vero moralem et naturalem.

Resp. 3. Consanguinitas in primo gradu lineæ transversæ, puta inter fratrem et sororem, jure naturali non dirimit matrimonium: ita S. D., in 4, d. 40, q. un. a. in *Corp.*, et 2a 1æ, q. 154, a. 9, ad 3, subdens : « Aliæ personæ, quæ non conjunguntur secundum se ipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex se ipsis indecentiam (sicut parentes et filii); sed variatur circa hoc decentia vel indecentia secundum consuetudinem et

legem humanam vel divinam, » ubi S. D. impedimentum consanguinitatis extra primum gradum lineæ rectæ refundit in jus positivum : ita quoque sentiunt Scot., Nav., Gonz., Schmalz., Pichler, Sanchez, cum cit., contra Bellarm., Laym., Zoes., Reiff., etc. Prob. ex primis matrimoniis liberorum Adami, in quibus jus naturale fuisse relaxatum nec auctoritas nec ratio suadet; imo S. Hieron., in *Q. in Gen.*, testatur etiam Saram veram fuisse sororem Abrahæ et simul uxorem (Gen., xx, 12) : « Vere soror mea est, » etc. Ratio est, quia inter fratrem et sororem cæterosque collaterales non est naturalis superioritas et inferioritas, cum alter alterius non sit principium, nec alter alteri naturaliter sit subjectus et obligatus ad reverentiam tantam, quanta sufficit ad irritandum matrimonium; ergo : unde Paulus, l. XXXV, § 1, ff. *de V. O.*, docet non natura, sed lege cessare obligationem, « si sororem nupturam sibi aliquis stipuletur ». Interim negari nequit inter fratrem et sororem etiam de jure naturali illicitum esse matrimonium, et contra aliqualem reverentiam sanguini debitam; qua de causa plurimæ gentes abstinent ab ejusmodi connubiis.

Dices : 1° Conjuncti secundo et tertio gradu non sunt separandi per c. 28, *Gaudemus de divortiis;* ergo conjuncti primo gradu sunt separandi. 2° Lev., xx, connubium fratris cum sorore morte punitur. 3° Ecclesia nunquam dispensavit in gradu primo lineæ transversæ, quia tale matrimonium est contra pudorem, et habet perpetuam causam turpitudinis, ut insinuat Paulus, cit. l. XXXV, § 1, ff. *de V. O.* Resp. ad 1. De primo gradu, quia Innoc. III non fuit requisitus, nihil respondit. Constat autem ex can. 8, *de Incestis*, 35, q. 3, nuptias fratris cum germana prohiberi : celebratas tamen in infidelitate non dissolvi. Ad 2. Pœna ista facto graviter illicito constituta est, licet de jure naturali sit validum. Ad 3. Non ex defectu potestatis, sed causæ gravissimæ, quæ requireretur ad cohonestandum tale matrimonium, non solet fieri dispensatio, licet, teste Cajet., op. *de Matr.* et aliis, Martinus V, vel potius II, dicatur dispensasse ad matrimonium inter fratrem et sororem contrahendum.

Resp. 4. De jure positivo ecclesiastico consanguinitas in linea recta inter ascendentes et descendentes dirimit matrimonium in infinitum; in linea vero transversa hodie usque ad quartum gradum inclusive. Prima pars constat ex reg. cap. 1, *de N. O.*, quia Ecclesia sequitur dispositionem juris civilis, ubi contra-

rium per sacros canones non statuitur; sed consanguinitas in linea recta de jure civili dirimit matrimonia in infinitum, § 1 Inst. *de Nupt.*, l. LIII, ff. *de Ritu nupt.*, neque hoc jus per S. canones corrigitur, sed potius approbatur (can. 2, *Conjunctiones,* 35, q. 3); ergo. Nec obstat c. 8. h. t., ex quo Gonz., Sanch. et alii hoc impedimentum restringunt ad quartum gradum; nam in cit. c. 8 dispositio procedit de consanguineis collateralibus, inter quos solebant conjugia iniri, non vero de ascendentibus et descendentibus, inter quos vix unquam conjugia contrahebantur. Sed de hoc non est disputandum, quia vita humana in linea recta quartum gradum non excedit. Secunda pars decisa est in concil. Later. relato, c. 8, 3, *Prohibitio,* h. t., ubi restringuntur canones antiqui causæ 35, q. 3, quibus impedimentum consanguinitatis extendebatur usque ad gradum septimum, vel quousque memoria retineri potuit parentelæ. Ratio a conc. Later. duplex datur : prima, quia gradus isti difficillime computabantur, et matrimonia non sine dispendio contrahebantur; secunda ex congruentia, quia in corpore humano quatuor elementis constante quatuor sunt humores; ergo cum sanguis ex diversis qualitatibus alteretur et corrumpatur, post quartam generationem vix aliquid restat de sanguine a stipite derivato (S. D., d. 3, p. 33, a. 4). Juste autem hæc impedimenta sunt posita, tum quia consanguinei debent sibi reverentiam, tum ut tollatur periculum incestus propter simultaneam habitationem; et hoc procedit de consanguinitate orta etiam ex copula illicita, quia Trid., sess. 24, c. 4, *de Reform. matr.*, solum impedimentum affinitatis, non consanguinitatis, restrinxit ad gradum secundum.

Dices : 1° Deus, qui optime novit quid deceat, ultra secundum gradum non prohibuit nuptias consanguineis; ergo nec Ecclesia debet prohibere, ut arguunt hæretici. 2° Conc. Turon. II, can. 12, et S. Gregor., can. 20, *Quædam*, 35, q. 3, vetant matrimonia consanguineorum usque ad gradum secundum. Resp. ad 1. Hebræis, utpote paucioribus et ad repudia facilioribus, non expediebat plures gradus prohiberi : Ecclesia vero, ob rationes alias, potestate a Christo sibi data ampliat vel restringit impedimenta, prout temporum ratio exposcit. Ad 2. In hoc concil. aliqui tantum gradus numerantur : quoad cæteros, fit remissio ad veteres canones. S. Gregor. cum Anglis recens conversis dispensavit in tertio et quarto gradu. De pœnis incestas nuptias contrahentium dicam infra.

SECTIO II.

Impedimentum affinitatis.

II. Inter quas personas oriatur affinitas ?

Resp. 1. Posita copula carnali, affinitas oritur in marito cum consanguineis uxoris, et in uxore cum consanguineis viri : inter alias autem personas, puta inter consanguineos viri et uxoris, nulla est affinitas impeditiva matrimonii, licet vulgo affines se compellant : ita c. 8. h. t. Et hoc vinculum affinitatis non est fictum a jure, sicut cognatio legalis aut spiritualis, sed est naturale, etiamsi ex copula illicita oriatur, quia propter unitatem carnis, quatenus copulati fiunt una caro, naturaliter fundatur quædam amicitia et propinquitas personarum, ut agnoscunt gentes etiam barbaræ : licet affinitas ex copula illicita non attendatur civiliter, quoad successiones et alios effectus juris : quo sensu explicatur l. IV, § 3, 8, ff. *de Gradib. et affinib.*

Resp. 2. Affinitatis genus erat triplex : *primum*, quod contrahebatur tantum una persona mediante ; *alterum*, quod duabus ; *tertium*, quod tribus personis mediantibus contrahebatur, (can. 3 et fin. 35, q. 3). Sit exemplum : Cajus frater meus contraxit nuptias cum Bertha ; mortuo Cajo, Bertha contraxit cum Titio ; Titius, mortua Bertha, contraxit cum Mævia : in his tribus matrimoniis, Bertha est mihi affinis primo genere affinitatis, Titius secundo, et Mævia tertio genere. Hodie secundum et tertium genus sublatum est, et remansit solum primum genus affinitatis (c. 8 h. t.). Nec audiendus est Schneidewin excipiens affinitatem secundi generis in linea recta per l. XV, ff. *de Ritu nupt.*; l. IV, § 7, ff. *de Gradib. et affinib.*, nam jura ista civilia non curantur, dum jus canon. aliter disponit ex communi intellectu DD. ; quia, cum matrimonia solita sint contrahi in secundo genere affinitatis lineæ rectæ, reductio impedimenti affinitatis ad primum genus generaliter est intelligenda in linea recta et transversa : unde hodie vir potest ducere novercam vel privignam uxoris suæ defunctæ.

II. Quo jure, et gradu affinitas primi generis dirimat matrimonium?

Resp. 1. Affinitas sive in linea recta, sive transversa, jure naturali non dirimit matrimonium etiam in primo gradu : ita S. D. (l. c. 2ª 3ᵃᵉ, q. 154, a. 9, ad 3), Cajet., Sanch., Salmant., etc., contra S. Ant., Bellarm., Covar., Reiff., cum cit., qui docent affinitatem in primo gradu lineæ rectæ jure naturali dirimere matrimonium. Prob. ex can. 8, *de Incestis*, 35, q. 3, ubi matrimonium privigni cum noverca prohibetur; contractum vero in infidelitate non dissolvitur, ut textum istum intelligunt DD. pro nobis allegati. Ratio est, quia inter affines etiam in primo gradu lineæ rectæ non datur superioritas et inferioritas naturalis per modum principii causantis et termini procedentis; et conseq. nec datur honor et reverentia naturalis tanta, quanta sufficeret ad matrimonium ex natura sua invalidandum; ergo. Talia matrimonia de jure naturali valuisse probat factum Adoniæ (III Reg., II, 17) petentis sibi copulari Abisag, Davidis patris sui relictam: item exempla gentilium, ut Seleuci, qui secundam uxorem suam Statonicen, facto divortio, dedit uxorem filio suo, teste Valer. Max., l. V, c. VII. Secunda pars de primo gradu lineæ transversæ est certa; nam Jacob duxit duas sorores Liam et Rachelem, et Deuter., XXXV, 5, frater jubetur ducere uxorem fratris sine liberis mortui; et Pontifices in hoc gradu dispensarunt, ut Alex. VI, cum rege Lusitaniæ, Julius II, cum Henrico VIII, rege Angliæ, ad ducendam Catharinam Arcturi, fratris relictam, Clemen. VIII, cum Casimiro, rege Poloniæ, ad ducendam relictam fratris sui Uladislai, etc. Quæ dispensationes, ut validæ judicatæ sunt a celebrioribus Europæ universitatibus.

Dices : 1° In sacra Scriptura (Lev., XX, et Amos., II), vehementer reprobantur nuptiæ in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, et Apost. (I Cor., V, 1) ait : « Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ut uxorem patris sui aliquis habeat. » 2° Juxta conc. Arvenens., can. 11, tali conjugio naturæ jura pervertuntur. 3° S. Joannes Baptista reprehendit Herodem quod fratris sui Philippi uxorem duxerit (Matth., XIV); ergo. Resp. ad 1. Matrimonia ista gravibus pœnis subjiciuntur ob magnam indecentiam, et quia olim erant contra legem divinam positivam; ista tamen indecentia non est tanta, ut ex natura sua matrimonium invalidet. Apostolus loquitur de uxore patris viventis : et quamvis fuisset relicta, tamen tunc juris positivi prohibitio vigebat,

ne talia matrimonia valide contraherentur. Ad 2. Perrumpuntur naturæ jura quoad licitatem, non quoad valorem : quo sensu consuetudo gentium et alia jura exponuntur in l. XXXVIII, ff. ad L. Jul., *de Adult.*, l. fin., § 1, ff. *de Condict. fin. caus.*, l. XVI, ff. *Solut. matrim.*, § 9 Inst. *de Nupt.* Ad 3. Vel frater Herodis tunc vixit, vel si mortuus est, lex divina Herodi non permittebat relictam fratris sui ducere.

Resp. 2. De jure ecclesiastico novo affinitas ex copula licita proveniens dirimit matrimonium usque ad quartum gradum, et ex copula illicita usque ad gradum secundum : Tridentin., sess. 24, cap. 5, *de Reform. matrim.*, ubi impedimentum affinitatis ex copula illicita restringitur usque ad gradum secundum : illud vero quod oritur ex copula licita seu conjugali remanet, ut ante, usque ad quartum gradum, juxta decretum concilii Lateranen., cap. 8, hoc tit., quo corriguntur vetusti canones extendentes impedimentum affinitatis usque ad gradum septimum (can. 1, 7, 13, causæ 35, q. 3). In linea tamen recta videtur hoc impedimentum extendi in infinitum, sicut statuitur jure civili, lib. IV, § fin., ff. *de Ritu nuptiar.*, lib. IV, § 7, ff. *de Gradib. et affin.*, licet alii illud concludant quarto gradu : sed de hoc non est anxie quærendum, quia vita humana ultra quartum gradum non extenditur. Cæterum, decretum cit. Trid. permittit ut affines ex copula illicita, sive fornicaria sive incestuosa sive adulterina, aut simili alia effecti, non tantum valide, sed et licite matrimonia in tertio vel quarto gradu contrahere possint, ut declaravit S. Pius V motu proprio incip. *Ad Romanum*, 1566.

III. Quæ sit pœna contrahentium matrimonia in gradibus prohibitis consanguinitatis et affinitatis?

Resp. 1. 1° Excommunicatio latæ sententiæ ipso facto incurrenda, quam etiam incurrunt matrimonia contrahentes cum monialibus, item religiosi et moniales ; et clerici in sacris constituti matrimonia contrahentes (Clem. un., hoc tit.), dummodo contrahant matrimonia de præsenti *scienter* et *libere ;* quia ignorantia, modo non sit affectata, uti et coactio vel gravis injustus metus excusaret contrahentes ab hac censura. 2° Pœna confiscationis bonorum, exsilii et verberationis, si persona sit vilis (*Auth. incest. nupt.*), quam pœnam multi intelligunt

etiam in casu quo nuptiæ sunt incestæ de jure canon. tantum : sed Clar. et alii restringunt ad nuptias de jure civ. incestas; ut inter ascendentes et descendentes, fratrem et sororem, etc. (l. VI, c. eodem).

Resp. 2. Excommunicationem d. Clementinæ non incurrunt : 1° contrahentes cum errore, qui putant subesse impedimentum consanguinitatis et affinitatis, quod reipsa non subest, cum opinio nostra non inducat censuram; 2° contrahentes bona fide, licet, contracto jam matrimonio, detegatur latens ejusmodi impedimentum, dummodo consensus non renovetur; 3° contrahentes cum impedimento cognationis legalis aut spiritualis, vel alio dirimente; 4° procurator, parochus, testes, consulentes et similes personæ cooperantes, quia Clementina loquitur de solis contrahentibus; 5° feminæ cum religiosis vel clericis in sacris constitutis contrahentes; nam istæ non exprimuntur, sed soli viri cum monialibus contrahere non verentes. Ratio horum omnium est, quia cit. Clementina, cum pœnalis sit, ad istos casus ibi non expressos extendi non debet.

IV. Quis dispensare possit in gradibus consanguinitatis et affinitatis jure pontificio prohibitis.

Resp. Regulariter solus Papa, cum inferior relaxare non possit jus commune : si unus sit in primo gradu consanguinitatis, alter in quinto; vel unus in primo affinitatis ortæ ex copula illicita, et alter in tertio (qui gradus dicuntur mixti seu inæquales), nulla opus est dispensatione, quia remotior trahit ad se propinquiorem. Nec obstat const. Pii V præcipiens exprimi gradus propinquiores, præsertim primum; nam hoc observari debet, dum necessaria est dispensatio, non vero si unus contrahentium sit extra gradum prohibitum : quo casu non opus est dispensatione.

SECTIO III.

Gradus cognationum.

I. Quomodo computandi sint gradus consanguinitatis ?

Nota in hac computatione attendi *lineam, gradum* et *stipitem*. *Linea* est ordinata series personarum ab uno stipite des-

cendentium, adeoque *stirps* erit illa persona a qua descendunt illi de quorum consanguinitate quæritur. *Gradus* est distantia unius personæ ab altera. Linea est duplex : *recta* in qua collocantur ascendentes et descendentes, quorum unus ab alio procedit per carnalem generationem; *obliqua* seu transversa, aut collateralis, in qua collocantur consanguinei, qui a se invicem non procedunt, licet procedant ab uno communi stipite. Jam si duæ personæ æqualiter distent a communi stipite, v. g. secundo gradu, dicuntur esse in linea seu potius in gradu æquali : si vero inæqualiter distent, ut unus, v. g. secundo, et alter tertio gradu recedat a communi stipite, dicuntur esse in linea seu gradu inæquali; velut communiter loquimur, in gradu mixto, v. g. in gradu tertio mixto cum secundo, aut primo, etc.

Resp. In ordine ad matrimonia contrahenda gradus de jure canonico computantur secundum tres seq. regulas :

Regula 1ª. Pro linea recta ascendentium et descendentium : « Tot sunt gradus, quot sunt generationes » seu progenies, vel « quot sunt personæ, una dempta »; v. g. avus et ego sumus in secundo gradu, quia hic duæ generationes intercedunt : una qua pater meus genitus est, altera qua ego genitus sum ; vel quia sunt tres personæ : *avus, pater meus* et *ego :* ergo, una dempta, remanent duæ ; et conseq. duo gradus. Similiter in descensu et ascensu fit computatio : sint stipes Cajus et Caja, eorum majores erunt : 1° pater et mater ; 2° avus et avia 3° proavus, proavia; 4° abavus, abavia. Descendentes vero seu posteri erunt : 1° filius, filia; 2° nepos, neptis ; 3° pronepos, proneptis ; 4° abnepos, abneptis, etc.; ubi vides tot gradus quot sunt generationes seu quot sunt personæ, una dempta. Cæterum unius generationis liberi omnes in eodem gradu ponuntur, v. g. omnes filii et filiæ in primo gradu, etc.

Regula 2ª. Pro linea transversa æquali : « Collaterales tot gradibus distant inter se, quot gradibus uterque distat a communi stipite ; » nam personæ istæ non aliter sibi sunt consanguineæ, nisi quatenus sanguinem trahunt ab eodem communi stipite ; ergo tantum distant inter se, quantum distant a communi stipite. Sic per descensum in 1° gradu sunt : fratres germani cum sororibus germanis, qui ab iisdem parentibus procedunt ;

fratres consanguinei cum sororibus consanguineis, qui ab eodem patre et diversa matre geniti; fratres uterini cum sororibus uterinis, qui ab eadem matre et diverso patre nati sunt. In 2° gradu : patrueles seu liberi ex fratribus, consobrini seu liberi ex sororibus, amitini seu liberi ex fratribus et sororibus. In 3° gradu : patruelium, consobrinorum et amitinorum liberi; hi in tertio et secundo gradu communi nomine dicuntur sobrini. In 4° gradu sunt : patruelium, consobrinorum et amitinorum nepotes et neptes. Per ascensum vero in 1° gradu sunt frater et soror; in 2° gradu : patruus seu patris frater, amita patris soror, avunculus seu matris frater, matertera seu matris soror; quibus in eodem gradu respondent nepos vel neptis ex fratre aut sorore. In 3° gradu sunt : magnus patruus seu avi paterni frater, magna amita seu avi paterni soror, magnus avunculus seu avi materni frater, magna matertera seu avi materni soror; quæ nomina etiam applicantur fratribus et sororibus aviæ paternæ et maternæ : nam in hoc tertio gradu concurrunt in linea masculina frater et soror avi paterni, item frater et soror aviæ paternæ, et in linea feminina frater et soror avi materni, item frater et soror aviæ maternæ; quorum omnium nomina non habemus, sed propinquum pro propinquo usurpamus. His in eodem gradu correspondent pronepotes et proneptes ex fratre aut sorore. In 4° gradu est magnus propatruus seu abpatruus, hoc est, abavi paterni frater; magna proamita seu abamita, hoc est, abavi paterni soror; magnus proavunculus seu abavunculus, hoc est, abavi materni frater; magna promatertera seu abmatertera, hoc est, abavi materni soror. Eadem nomina applicantur fratri et sorori aviæ paternæ et aviæ maternæ, licet in linguis vernaculis significationes istæ perperam quandoque confundantur. His in eodem gradu correspondent abnepotes et abneptes ex fratre aut sorore.

Regula 3ª. Pro linea transversa inæquali : « Collaterales tot gradibus inter se distant, quot gradibus remotior distat a communi stipite ; » nam ex collateralibus non potest altèr alteri esse propinquior, quam sit propinquus stipiti a quo communis sanguis trahitur; ergo necesse est ut remotior ad suum gradum trahat propinquiorem; licet in dispensationibus inæqua-

litas seu mixtio graduum exprimenda sit (1). Sic patruus et nepos ex fratre distant duobus gradibus, seu gradu secundo mixto cum primo; quia nepos ab avo distat duobus gradibus, licet patruus distet tantum uno gradu : ita regulæ istæ traduntur cap. 2 et seq. 35, q. 5, c. fin. h. t. Ex quibus optimam in mente consanguinitatis arborem efformabis, et in chartula, computatis personis usque ad communem stipem, facile quarumlibet personarum distantiam deprehendes. At in ordine ad successiones et hæreditates in utroque foro, civili et canonico, observatur computatio secundum jus civile, ut tot sint gradus, quot generationes seu personæ, una dempta, ut dixi l. III, tit. *de Success. ab intest.* Rationem diversitatis dat Alex. II, cit. can. 2, « quia hæreditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam : idcirco curavit sæcularis imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia vero nuptiæ sine duabus non valent fieri personis, ideo sacri canones duas in uno gradu constituere personas, » etc.

II. Quomodo computentur gradus affinitatis?

Resp. Secundum unicam regulam : « Quo gradu est unius conjugis consanguinitas, eodem gradu est alterius affinitas, » seu « in illo gradu est aliquis affinis uxori, in quo gradu est consanguineus marito : » et e contra « in illo gradu est aliquis affinis marito, in quo gradu est consanguineus uxori : » et quidem si consanguineus est in linea recta vel transversa, erit quoque affinis in linea recta vel transversa.

In linea recta, maritus et uxor, qui sunt principium affinitatis, contrahunt affinitatem cum his personis quæ in linea recta sunt consanguinei alterius, ut in primo gradu ascendentium est socer, seu pater mariti aut uxoris, socrus, seu mater mariti aut uxor simul ad invicem vocantur consoceri, consocrus, quorum filii et filiæ nuptias simul contraxerunt. His correspondet gener seu maritus filiæ, et nurus seu uxor filii. Item in eodem gradu sunt vitricus seu maritus matris, et noverca seu uxor mariti; privignus seu filius ex alio matrimonio na-

(1) Hinc validum est matrimonium inter eos quorum unus distat a stipite *ultra* quartum, alter *intra* quartum gradum, etsi iste uno tantum gradu distet a stipite (Pir., h. t., n. 17).

tus, et privigna seu alia ex alio conjuge seu matrimonio nata : socer, socrus, vitricus, noverca sunt affines in primo gradu ascendentium, eorum parentes seu prosoceri in secundo, illorum avi in tertio, et abavi in quarto gradu affinitatis. Gener et nurus, privignus et privigna sunt in primo gradu descendentium, liberi privigni aut privignæ in secundo, nepotes et neptes in tertio, pronepotes et proneptes in quarto gradu descendentium. Unde maritus in linea ascendentium non potest ducere uxoris matrem, nec aviam, nec aliam ex ascendentibus; et in linea descendentium non potest ducere privignam, nec ejus filiam aut neptem, aut aliam ex descendentibus. Similiter uxor non potest nubere socero seu patri mariti, avo et alteri ex ascendentibus, nec privigno, ejus filio, nepoti, vel alteri ex descendentibus. Ratio horum omnium est, quia personæ istæ comparantur parentibus et liberis in linea recta, inter quos non decet matrimonia celebrari (lib. XIV, § 4, ff. *de Ritu nuptiar.*) (1).

In linea transversa, maritus cum consanguineis collateralibus uxoris, et uxor cum consanguineis collateralibus mariti contrahit affinitatem; et quidem in linea ascendentium, maritus non potest ducere sororem soceri vel socrus, nec aviam aliasque feminas ascendentes. Similiter uxor non potest nubere fratri soceri aut socrus, nec illius avo, vel alteri ascendenti usque ad quartum gradum. Item in linea transversa descendentium, maritus non potest ducere sororem uxoris, nec ejus filiam, neptem et proneptem; in qua terminatur quartus gradus affinitatis. Similiter uxor non potest nubere fratri mariti, nec ejus filio, nepoti aut pronepoti, quia impedimentum affinitatis ex copula licita usque ad quartum gradum extenditur. Et hæc est tota tabula affinitatis, meo judicio clarior quam si per figuras depingeretur. Nomina affinium collateralium non habemus in usu, nisi sequentia : levir, frater mariti; glos, soror mariti; uxorius, frater uxoris; fratria, uxor fratris; sororius, sororis maritus; congeneri, duarum sororum mariti; janitrices, duorum fratrum uxores. Congeneri inter se, et jani-

(1) Tamen haud raro Sedes Apostolica dispensavit in primo affinitatis gradu lineæ rectæ, quando ejusmodi affinitas oritur ex copula fornicaria (Apud Rigant., reg. XLIX Cancell., n. 28).

trices inter se, non fiunt affines de jure can.; unde si Titius ducat Bertham, ejusque sororem Cajam ducat Mævius viduus, mortuo Titio, filius Mævii ex alia uxore procreatus ducere potest Bertham, dummodo Mævius non sit consanguineus Titii.

III. Quæ personæ nullam contrahant affinitatem impeditivam matrimonii?

Resp. Ex dictis, præter maritum cum consanguineis uxoris, et præter uxorem cognitam cum consanguineis mariti usque ad quartum gradum, nulla alia persona ex consanguineis duarum cognationum contrahit affinitatem : unde 1° si viduus habeat filium, et mater vidua filiam, potest pater viduus ducere viduam vel filiam ejus, et filius filiam viduæ vel ipsam viduam, si pater duxit ejus filiam. 2° Duo fratres possunt ducere duas sorores. 3° Pater mariti potest ducere matrem nurus, seu ejus quæ est uxor filii; et e converso pater uxoris potest ducere matrem generi. 4° Privignus potest ducere matris filiam ex alio marito natam, vel sororem novercæ, et privigna potest nubere patris filio, aut fratri vitrici; nam privignus et privigna solius vitrici aut novercæ fiunt affines, non vero personarum eis cognatarum. 5° Si frater et soror moriantur, illius uxor et istius maritus superstites recte inter se contrahunt, quia nulla affinitate ligantur. 6° Si duo fratres mortui sunt, Titius successive potest ducere utriusque uxorem, dummodo uxores istæ non sint inter se consanguineæ. 7° Privignus vidui, si is deinde aliam uxorem ducat et moriatur, potest contrahere cum relicta sui vitrici; nam privignus iste est tantum affinis vitrici, uxor autem non contrahit affinitatem cum affinibus, sed cum consanguineis mariti. 8° Maritus Berthæ, ea mortua, ducere potest privignam Berthæ, quia cum hac affinitatem non contraxit. Et similiter uxor mariti habentis privignum ex priori uxore, mortuo marito, potest privigno nubere, et sic de cæteris. Omnes enim casus facillime et sine timore solves, dummodo observes principium supra traditum, quod scilicet nullus affinitatem contrahat, nisi maritus cum consanguineis uxoris et uxor cum consanguineis mariti. Nec curanda sunt hic jura civilia, si quid contrarium statuunt.

TITULUS XV.

DE FRIGIDIS ET MALEFICIATIS, ET IMPOTENTIA COEUNDI.

Examinatur hic molestum impedimentum impotentiæ, pro quo

Nota 1° in hac rubrica tria membra distingui, quia inhabilitas ad actus conjugales provenire potest vel ex frigiditate, vel ex maleficio, vel ex impotentia, seu naturali indispositione partium genitalium ad copulam. Hic, omissa hac differentia, *impotentia* generaliter accipitur et definitur quod sit inhabilitas personarum ad copulam carnalem consummandam, undecumque proveniat. Et communiter ex hac rubrica vocatur impotentia coeundi, quæ differt ab impotentia generandi, quæ, stante facultate ad coeundum, dari potest ex defectu seminis prolifici, sicut in sterilibus. In hac materia omitto cætera, quæ ad medicos potius quam canonistas spectant.

Nota 2° impotentiam dividi : 1° in *perpetuam,* quæ per media naturalia et licita tolli non potest, vel nonnisi difficillime, cum probabili periculo mortis, licet forsan tolli possit per miraculum aut maleficium; et *temporalem,* quæ per media naturalia, seu ordinaria et licita tolli potest absque periculo mortis, licet forsan non absit periculum morbi gravis : ita com. DD., ex c. 6, hoc. tit. Talia remedia sunt, præter artem medicorum et peritorum, etiam spiritualia Ecclesiæ, exorcismi, preces et hujusmodi media apud fideles usurpari solita. 2° In *absolutam*, quæ impedit veram copulam cum omnibus personis diversi sexus; et *respectivam,* quæ impedit copulam cum una vel altera persona propter nimiam inæqualitatem et improportionem, cum aliis vero proportionatis eam non impedit. 3° In *antecedentem,* quæ ante matrimonium contractum exstitit in persona; et *consequentem* seu *supervenientem,* quæ matrimonio jam contracto supervenit. 4° In *naturalem,* quæ oritur ex vitio naturali, v. g. ex defectu aut ineptitudine partium genitalium, et plerumque incurabilis et perpetua est; et *accidentalem,* quæ oritur ex vitio

accidentali, vel intrinseco, v. g. ex humorum intemperantia, vel extrinseco, v. g. ex maleficio, morbo, etc.

I. Quæ impotentia dirimat matrimonium?

Resp. 1. Impotentia ad veram copulam, modo sit perpetua et antecedens, dirimit matrimonium; et quidem absoluta respectu omnium; respectiva vero respectu eorum cum quibus persona coire nequit: ita com., ex c. 1, 2 h. t.; nam talis impotentia jure naturali impedit translationem juris conjugalis : siquidem non potest dari potestas ad id quod tradi non potest; sicut in nostro casu nec actu, nec potentia debitum reddi valet; ergo talis impotentia dirimit matrimonium : tum quia per illam impeditur primarius finis matrimonii, quo vir et mulier fieri possint una caro; ergo. Porro impotentia ad veram copulam tunc censetur esse, dum vel non potest fieri coitus ob indispositionem membrorum, ita ut vir debite emittere, aut femina intra vas semen recipere nequeat, vel dum mas coire valens, verum semen emittere non potest; ob quam causam spado, si a natura vel ex castratione utroque testiculo privatus est, non contrahit valide matrimonium, ut declaravit Sixtus V, an. 1787, teste Sanch. et aliis; quia verum semen emittere non potest. Si tamen talis defectus superveniat matrimonio contracto, non impedit copulam, etsi per accidens verum semen non emittatur, quia vitium superveniens non debet conjugem privare jure quæsito (1).

Resp. 2. Valida censentur matrimonia quæ ineunt senes decrepiti et steriles, dummodo apti sint ad coitum; nam verum semen emittunt, licet per accidens non sit prolificum. Exempla habes in SS. Elisabetha, Anna, etc., tum etiam quia potentia vere coeundi, non vero potentia generandi cum effectu, est de substantia matrimonii, quod sterilibus esse potest, saltem in remedium concupiscentiæ; secus est, si sterilitas et evitatio prolis deduceretur in pactum (cap. fin., *de Condit. appos.*, can. 6, *Solet*, 32, q. 2). Illa verba « volo esse mater » (cap. 1, hoc tit.), idem significant ac « volo cognosci a viro », quod fit etiam inter

(1) Impotentia superveniens matrimonio jam contracto illud non dirimit, sive hoc jam fuerit consummatum aut simpliciter ratum, cum hoc secundum non solvatur nisi per professionem religiosam aut pontificiam auctoritatem.

steriles. 2° Valet matrimonium spadonis uno tantum testiculo carentis, cæteroquin apti ad copulam; quia verum, imo et prolificum semen emittere potest. Idem dic de constituto in articulo mortis, quia per se habilis est ad copulam, licet per accidens ob vim morbi impediatur. 3° Valet matrimonium feminæ aptæ ad copulam, etsi sine periculo mortis nunquam pariat, quia hoc periculum non causat impotentiam. Si tamen citra periculum incontinentiæ vivere possit, tenetur abstinere a nuptiis, ne vitam suam et salutem prolis periculo exponat. Secus tali, quali periculo, quod incertum et præter intentionem est, præponenda est feminæ vita spiritualis, ne sine nuptiis tentationibus se exponat. 4° Econtra si femina est nimis arcta absolute, vel respective, non valet ejus matrimonium, etsi parata sit cum periculo vitæ admittere incisionem, quia hic adest impotentia perpetua et consequenter vir permitti potest transire ad alias nuptias. Si vero arctitudo per opus humanum licitum sine vitæ periculo tolli potest, subsistit matrimonium, sive femina velit, sive nolit admittere incisionem; quia hoc casu adest impotentia temporalis.

Resp. 3. In dubio an impotentia sit perpetua, vel per medicamenta tolli possit, standum est pro perpetua et incurabili, præsertim si triennio probata sit (cap. fin. h. t.). In dubio an impotentia sit antecedens an superveniens, videtur standum sententia media, et quidem si statim post contractum matrimonium inventa sit impotentia, præsumitur esse antecedens, quia non est credibile quod potentia naturalis tam cito degeneraverit in impotentiam. Et hæc præsumptio elidit contrariam præsumptionem, quod qualitas naturalis insit, donec probetur abesse. At si ex intervallo, præsertim longioris temporis, deprehendatur impotentia, præsumitur esse superveniens, quia tempore matrimonii præsumitur adesse qualitas naturalis, donec contrarium probetur. 2° Dubitans an potens vel impotens sit, licite stante hoc dubio non contrahit, quia exponit se periculo peccandi et invalidandi matrimonium. Si tamen contraxit, tentare potest copulam, cum aliter explorare nequeat de sua impotentia.

II. Quid permittatur conjugibus in casu contracti matrimonii cum impotentia ?

Resp. 1. Si impotentia fuit antecedens et, secluso periculo incontinentiæ, velint sibi cohabitare tanquam frater et soror, id eis permittitur per cap. 4 et 5 h. t. (1). Quia vero talis vita socialis plena est periculi, præstat agere ad dissolutionem auctoritate Ecclesiæ faciendam; maxime, si juvenes sint et incontinentiæ subjecti; quia tali casu prævalet jus naturale præcipiens declinare occasionem peccandi. Cæterum ista confœderatio impotentium, cum non tribuat jus in corpora, non est reipsa matrimonium, sed societas tanquam fratris et sororis, ut communis tenet contra Palud. Pontium et paucos alios. Nec obstat can. 2, *Requisitis*, 22, q. 1, nam inter impotentes dicitur esse retinaculum conjugale de facto et apparenter, non autem de jure et reipsa.

Resp. 2. Si impotentia est superveniens, conjuges tenentur sibi cohabitare, non tamen matrimonio uti in illo casu quo semen virile, saltem quoad aliquam partem, recipi nequeat intra vas feminæ; quia ejus dispersio naturæ adversatur : quo tamen casu cæteri actus (2) conjugales imperfecti eis permittuntur, modo fiant sine periculo majoris incontinentiæ. At si impotentia ista superveniat ex testium aut veri seminis defectu, licite utuntur copula, quia per accidens est quod verum semen non habeatur.

III. Quid juris circa matrimonium hermaphroditi ?

Resp. Si uterque sexus in illo par est, vel licet unus modicum prævaleat, tamen secundum utrumque aptus est ad copu-

(1) S. Congr. Conc. ad dubium : Quænam esse debeat agendi ratio episcopi, parochi et confessarii erga impotentes, qui ea ratione separari nequeunt, quod eorum separationi obsistat civilis Galliarum lex, quæ impotentiæ impedimentum non agnoscit? Respondit : Vivant ut frater et soror; quod si id non posset sine peccati periculo, separentur omnino (*in Maurianen.*, 15 dec. 1877).

(2) Quid hoc loco dicere velit auctor, obscurum est. Videtur insinuare velle mera honesta signa amoris, quæ careant periculo pollutionis. Illud certum est, non esse licitum usum conjugalem, si nequidem ordinabilis est per ullas naturæ vires saltem mediate ad procreationem prolis, prout fieri nequit, si ambo testiculi desint. Econtra semen non prolificum per vires naturæ prolificum fieri potest (Girald.).

lam perfectam, in optione habet contrahere secundum alterutrum sexum; qua electione facta, variare non potest, et tenetur præstare juramentum de non variando. Si tamen viduus factus, contra juramentum illicite contraheret secundum alterum sexum, valeret matrimonium, cum nullo jure irritetur. At si alter sexus ita prævaleat, ut secundum alterum nequeat perfecte coire, tenetur determinate contrahere secundum sexum prævalentem, cum secundum alterum sit impotens.

IV. Quomodo facienda sit dissolutio matrimonii ex causa impotentiæ?

Resp. 1. Fieri debet auctoritate Ecclesiæ, cum sit causa spiritualis, et quidem gravissima. 2° Reclamare potest vir, imo et mulier, etsi impotentia se teneat ex parte reclamantis : quia utriusque interest separari ab eo qui suus conjux non est, et præsertim viri, ne cogatur ad onera matrimonii. 3° Si uterque conjux fateatur impotentiam adesse, audiendi sunt quocumque tempore, etiam post multos annos : quo sensu procedit cap. 6 et fin. h. t. Si unus tantum proclamat ante triennium et simul affert signa certa impotentiæ, vel saltem verisimilia, audiendus est ante triennium et multo magis post illud, dicendo toto illo probationis tempore copulam perfici non potuisse : ita clare colligitur ex cit. c. 6 et fin. h. t. At si proclamans ante triennium affert tantum dubia signa impotentiæ, non auditur ante triennium, sed imponitur ei triennalis probatio, ut intra hoc tempus probet consummationem copulæ. Quo sensu procedit c. 1 h. t., atque ita tollitur antinomia circa tempus reclamandi in his juribus apparens. Hoc triennium, ex c. 5 h. t., computatur a die attentatæ copulæ, vel, juxta praxim Curiæ Rom., a die interpositi decreti, estque moraliter continuum, ac proinde absentia unius vel alterius septimanæ, vel etiam unius mensis, non censetur illud interrumpere. Si vero longior fuit absentia, supplenda est post triennium. 4° Exacto triennio, impotentia plene probanda est exploratione medicorum et matronarum honestarum, a judice ecclesiastico, cujus vicem agunt, electarum, suumque testimonium dant juramento firmatum. Sufficiunt autem duæ honestæ matronæ, quia duorum testimonium verum est, nec c. 4 h. t. præcipitur septem obstetrices adhiberi, sed factum de illis adhibitis narratur.

Nec obstat l. I, § 8, ff. *de Inspiciend. ventr.*, nam quod quinque mulieres desiderentur ad partum explorandum, id speciale est, ne hæredibus præjudicetur. Solent autem tales explorationes fieri etiam ante decretum triennalis probationis, et si necesse sit, post triennalem probationem.

5° Asserenti, sive viro sive mulieri, consummatum fuisse matrimonium, potius creditur quam neganti (c. 1 h. t.), quia favor matrimonii id exposcit, nisi indirecte contrarium probetur. Si vero uterque fateatur impotentiam ob quam nunquam potuit consummari matrimonium, ne colludere videantur etiam post triennium transactum, utrique defertur juramentum cum septima manu propinquorum, ita ut proclamantes jurent super veritate, quod matrimonium nunquam consummare potuerint; septem vero propinqui seu vicini super credulitate, quod credant matrimonium ab illis non fuisse consummatum (1). His omnibus rite præmissis, judex ecclesiasticus matrimonium dissolvit, et petenti liberum transitum ad alias nuptias permittit (cap. 5 et fin h. t., can. 2, *Requisitis*, 33, q. 1). His solemnitatibus non est opus, si post nuptias manifeste appareat impotentia, ut si constet marem utroque testiculo carere, vel feminam ita arctam esse, ut omnino inepta sit ad copulam : tunc enim non exspectato triennio, statim fieri potest dissolutio matrimonii.

Resp. 2. Si post factam separationem tractu temporis appareat potentem esse ob cujus impotentiam matrimonium dissolutum est, prius matrimonium restaurari debet, etsi altera pars ad alias nuptias convolaverit, et ex his proles susceperit : dummodo impotentia sublata sit naturali et ordinario licito modo, et non per miraculum aut maleficium : ita instar regulæ tenent DD. ex c. 6 h. t.

Et novissime Bened. XIV, lib. XIII *de Synod. diœc.*, cap. XXI, n. 5.

Nam in hac quæstione facti Ecclesia decepta fuit, judicando impotentiam esse perpetuam, quæ reipsa fuit temporalis : ac proinde sententia lata est ex errore, quæ in hac causa matri-

(1) Seu jurant se credere quod conjuges jurarunt secundum veritatem. Quando incertum remanet impedimentum, S. Pontifex solet dispensare super matrimonio rato et non consummato.

moniali nunquam transit in rem judicatam (cap. 7, *de Sent. et re jud.*). Quod si ex impotentia respectiva matrimonium dissolutum est, et deinde appareat quod mulier coire possit cum alio viro ejusdem proportionis et complexionis, pariter prius matrimonium restaurandum est, quia et hic error est facti, et judicium reipsa falsum. Ne vero ex dissolutione matrimoniorum tanta incommoda sequantur, episcopus omnibus modis conetur inducere partem impotentem ad ingressum religionis, quia per hujus professionem vinculum matrimonii rati, si quod subest, dissolvetur, et omnia incommoda præcavebuntur.

Resp. 3. Impotens ex judicio Ecclesiæ declaratus, si deinde cum alia contrahat, reus est perjurii, et mox a nova uxore separandus est, sive vere sit frigidus aut ex alia causa impotens, sive non (c. 5 et fin h. t.); nam si vere est frigidus et impotens, laborat impedimento dirimente; si vero non est, tenetur redintegrare præcedens matrimonium, nisi uxor jam fuisset mortua : quo casu vir tandiu separari debet, donec plene probet Ecclesiam in priori judicio fuisse deceptam, seque esse potentem.

Resp. 4. Dantur quinque casus in quibus præcedens matrimonium non restauratur, etsi altera pars naturaliter fiat potens : 1° si impotentia sublata est per verum miraculum; 2° si sublata est per artem magicam; 3° si impotentia fuit respectiva, quia hæc plerumque obstat valori respectu hujus personæ; 4° si impotentia fuit causata ex maleficio, quia hæc communiter est tantum respectiva obstans huic matrimonio; 5° si mulier ob arctitudinem professa est religionem, licet deinde appareat arctitudinem non fuisse perpetuam, sed temporalem; quia vinculum matrimonii per professionem dissolutum est (1).

V. Quomodo maleficium, ex quo causata est impotentia, licite tolli possit?

Resp. 1° Adhibenda sunt media spiritualia a Deo et Ecclesia ad tollendas præstigias ordinata, ut invocatio SS. Trinitatis et B. V. et aliorum sanctor., aqua et aliæ res benedictæ, reliquiæ sanctorum, jejunia, confessio, communio, etc. 2° Maleficium

(1) Quoad modum procedendi in causis matrimonialibus, vide const. *Dei miseratione*, 29 nov. 1741, Bened. XIV.

per aliud maleficium licite tolli non potest, etsi magus ad hoc se offerat; quia facere vel consentire in maleficium est intrinsece malum, cum diabolus hoc modo colatur, et in eo spes collocetur. 3° Si cum dæmone initum est pactum duplex, ut ad positionem certi signi causet impotentiam vel aliam infirmitatem et ad remotionem ejus, virtute sua, restituat potentiam et sanitatem, non est licitum tale signum removere, siquidem sanitas peteretur ex virtute diaboli, quod intrinsece malum est. At si præcessit pactum simplex, vi cujus dæmon causat impotentiam, ita tamen ut, remoto signo, per se et naturaliter potentia redeat, licitum est removere tale signum, ex communi sententia; nam talis remotio de se est actus indifferens, neque tacitam habet invocationem dæmonis, etsi quis judicet quod, signo remoto, removebitur impotentia, quia sic judicare nullo jure prohibetur. Unde etiam judices in foro externo cogere solent maleficos ad tollenda signa (1). 4° Si maleficus sciat plura media, alia licita, alia illicita, potest quis petere ab illo solutionem maleficii, saltem ex charitate, præmonendo illum ut medio licito utatur; nam talis petitio de se est honesta; accidit vero quod maleficus, neglecto medio licito, utatur illicito. Quia vero petenti vix unquam constare potest an maleficium modo licito toli possit, in praxi rarissime (2) peti potest solutio maleficii, præsertim ab alio qui auctor maleficii non fuit. Plura de his Delrio, Cajet., Sanch. et alii. Vide P. Schmalz., a n. 20.

TITULUS XVI.

DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIÆ.

Ad hunc titulum rejeci tractationem de impedimentis pure impedientibus, cum quibus matrimonia contrahi Ecclesia pro-

(1) Amort in sua Theologia hanc necessitatem tollendi signa tanquam superstitiosam credulitatem, et tanquam paciscationis diabolicæ cum homine observantiam reprobat. Vide ejus tract. III, sect. 2, § 3, q. 13.

(2) Hinc nunquam licet a malefico petere remedium.

hibet, contracta tamen non dissolvit. Nomine *interdicti* non venit hic censura, de qua l. V, tit. *de Sent. excom.*, sed expressa significatione venit hic *prohibitio* qua legitimus superior ex justa causa prohibet celebrationem matrimonii; et si hoc, stante hac prohibitione, celebretur, dicitur contrahi contra impedientia 12, his versiculis expressa:

> Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
> Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,
> Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
> Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
> Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
> Accipiat, prohibent hæc conjugium faciendum.

vel brevius :

> Votum, interdictum, feriæ, sponsalia, crimen,
> Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

De sponsalium, voti et catechismi impedimento, egi tit. IV, VI et XI supra; hic restat agendum de interdicti, feriarum et septuplicis criminis impedimento.

I. An stante interdicto, seu prohibitione Ecclesiæ, matrimonium valide et licite celebretur?

Resp. 1. Valide celebratur : ita comm., ex c. 1, 2 h. t., quia episcopi et prælati Papa inferiores non possunt vetare matrimonia sub irritatione, dummodo impedimentum dirimens de jure comm. non subsit, cum non habeant potestatem inducendi impedimenta dirimentia. Imo, licet Papa ponat interdictum, regulariter contra illud valet matrimonium, quia etiam Papa conformiter juri communi censetur interdicere matrimonium, scilicet sub ratione impedimenti impedientis, nisi expresse addat decretum irritans, quod et potest ex auctoritate apostolica : hoc sensu procedit can. 1, *Videatur*, 35, q. 6, et c. 13, *de Despons. impub.* At si reipsa subsit impedimentum dirimens, matrimonium est invalidum, non quidem ratione interdicti, sed impedimenti dirimentis (c. 2, *de Despons. impub.*), et si lis pendeat super valore prioris matrimonii, sponsi secundarum nuptiarum separandi sunt, donec plene constet an prius matrimonium valeat, necne.

Resp. 2. Stante interdicto, matrimonium illicite contrahitur

(c. fin. h. t.), quia contrahentes violant grave præceptum legitimi superioris, et ideo subjici possunt excommunicationi (ib.), nisi forsan ex levi causa nuptiæ ad breve tempus prohiberentur. Causæ justæ interdicendi matrimonium sunt : 1° sponsalia priora cum tertio inita; 2° suspicio non vana latentis impedimenti dirimentis aut impedientis; 3° timor gravium discordiarum, rixarum et scandalorum quæ ex contrahendo matrimonio eventura timentur (c. 1, 2 h. t., cap. fin., *Cum autem de cland. despons.*). Stante ex his aliqua causa, non tantum Papa et episcopus, sed etiam parochus interdicere potest matrimonium (c. fin. h. t.); siquidem prohibitio ista fieri potest et debet a parocho extrajudicialiter, donec episcopus de causa cognoscat. Excommunicatio vel alia censura per se non est causa interdicendi matrimonium, bene vero per accidens, quatenus excommunicatus, et alter sponsus ei communicans, ratione peccati et censuræ, digne et licite hoc sacramentum administrare et recipere non potest (c. 6, *De eo qui duxit*). Si autem excommunicatus sit toleratus, alter cum eo contrahens per se videtur immunis ab omni culpa, quia contrahendo utitur jure suo, et communicatio cum excommunicato tolerato permissa est illi, ex constit. Martini V *Ad evitanda.*

II. Quo tempore celebrari non possint nuptiæ ?

Resp. 1. Sacramentum matrimonii omni tempore anni celebrari potest, ut declaravit S. Congreg. habetque communis praxis, ne scandala et gravia mala oriantur. In pluribus tamen diœcesibus, parochus sine licentia ordinarii non audet assistere matrimonio feriis prohibitis.

Resp. 2. Nuptiæ, seu matrimonia cum solemnitatibus et strepitu exteriori, non possunt celebrari licite a prima dominica Adventus, incipiente post mediam noctem, usque ad Epiphaniam; a die Cinerum, pariter post mediam noctem incipiente, usque ad octavam Paschæ inclusive : ita jure novo Trid., sess. 24, c. 10, *de Reform. matr.*, ubi restringuntur jura antiqua, quæ tempus istud ampliabant a Septuagesima usque ad Pascha, a feria secunda Rogationum usque ad octavam Pentecostes, et duabus vel tribus septimanis ante festum S. Joan. Bapt. (can. 8 et seq. 33, q. 4, et c. 4, *de Feriis*). Porro dictis feriis prohibetur : 1° *be-*

nedictio nuptiarum; alioquin sacerdos arbitrarie puniendus est, ipsi vero contrahentes in pœnam delicti separari debent (can. 10, ibid.); 2° *solemnis traductio* sponsæ in domum sponsi (can. 11, ibid.); quod præceptum graviter obligat, sed non se extendit ad privatam traductionem neque ad consummationem matrimonii, multo minus ad denuntiationes, quæ propter investiganda impedimenta quocumque tempore fieri possunt et regulariter debent.

Resp. 3. Tempore interdicti, ut censura est, per se valide et licite celebratur matrimonium; nam c. 4, *de Feriis*, dicitur eam esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, ut quocumque tempore matrimonium contrahatur. Nec obstat c. fin. *de Sent. excomm.*, in 6° ; nam dispositio ista procedit de sacramentis tempore interdicti non administrandis a ministris Ecclesiæ, non vero de matrimonio, quod a contrahentibus conficitur instar aliorum contractuum; nec opus erat illud excipere, quia ex praxi Ecclesiæ constat illud semper fuisse exceptum. At nuptiæ benedici non debent, quia, cum tempore interdicti prohibeantur missarum solemnia, etiam benedictiones in missa fieri solitæ prohiberi censentur. Quod si contrahentes specialiter sint interdicti, contrahendo in sua contumacia, peccant, non ratione censuræ, sed quia indigne in peccato administrant et recipiunt sacramentum matrimonii.

III. Quæ sint crimina olim impedientia matrimonii ?

Resp. seq. : 1° *Susceptio propria sobolis* ex sacro fonte vel confirmatione, puta malitiose ad privandum alterum debito conjugali ; ita ergo levans post mortem conjugis non potuit ad alias nuptias transire (can. 5, 30, q. 1).

2° *Presbytericidium* (cap. 2, *de Pœnitentia*); nam æquum est ut interfector sacerdotis, in foro externo convictus, careat nuptiis, quibus sacerdos assistere solet.

3° *Solemnis pœnitentia,* quandiu durat (can. 16, 33, 4, 2); quia luctui ob præterita delicta assumpto nuptiæ non conveniunt.

4° *Matrimonium cum moniali* scienter attentatum (can. 13, 27, q. 1); quia delinquens in sponsam Christi meretur arceri a quocumque matrimonio cum alia persona.

5° *Uxoricidium* privata auctoritate patratum (can. 5, et seq., 33, q. 2); quia uxoricida non est dignus aliam uxorem habere, etsi priorem in adulterio deprehensam occidisset (can. 6 et 9, ibid.). Idem dic de uxore, si hæc maritum occidat (cap. 1, *de Divort.*, can. 4, *Indignentur*, 32, q. 6), licet Sanch. et alii id nolint extendere ad uxorem, cum rarum sit ut uxor maritum occidat. Huc refertur *occisio proprii filii* (cap. 1, *De his qui fil. occid.*), ubi mulier fragilis dispensatur ad matrimonium adeoque laboravit impedimento.

6° *Raptus alienæ sponsæ,* ne raptor cum ulla alia contrahere possit (can. 34, *Statutum,* 27, q. 2).

7° *Incestus* commissus cum consanguinea suæ uxoris, et econtra, ut dixi supra (tit. *De eo qui cognov.*).

Hæc impedimenta ex his criminibus orta, teste Nav. et aliis DD. generali consuetudine sublata sunt : ac proinde hodie quatuor sunt impedimenta : *Ecclesiæ vetitum, feriæ, sponsalia, votum.*

Hactenus de impedimentis matrimonii; nunc agetur de ejus effectibus, qui, respectu matrimonii validi, sunt: legitimitas prolium, indissolubilitas, acquisitio dotis et donationis propter nuptias : et econtra respectu matrimonii invalidi, est illegitimitas prolium, matrimonii accusatio, dissolutio, perditio dotis aut donationis propter nuptias; et tandem liber iste concluditur titulo de secundis nuptiis.

QUARTA PARS

DE MATRIMONII LEGITIMI EFFECTU ET DISSOLUTIONE

TITULUS XVII.

QUI FILII SINT LEGITIMI.

Nota 1° nomine *filii* et *filiorum*, in materia accommoda venire etiam *filiam* et *filias* (lib. CXVI, CXXII et CCI, ff. *de V. S.*

Sunt autem filii alii *veri*, seu *naturales*, qui per generationem carnalem procedunt : alii *ficti*, seu *legales*, qui a lege finguntur esse instar filiorum, sicut adoptivi, et spirituales ex baptismo aut confirmatione. 2° Veri vel sunt *legitimi*, seu *justi*, qui ex justis nuptiis procreati sunt, atque ita eorum nativitas approbatur a lege seu jure : vel *illegitimi*, qui extra justas nuptias procreati sunt, adeoque eorum nativitas non approbatur a jure. Et hi dividuntur in *naturales* tantum et *spurios* : *naturales*, seu *bastardi*, sunt qui nascuntur ex parentibus solutis, inter quos matrimonium consistere potuit; *spurii*, qui nascuntur ex parentibus inter quos matrimonium consistere non potuit, uti sunt *adulterini*, ex adulterio; *sacrilegi*, ex copula sacrilega religiosi aut religiosæ monialis; *incestuosi*, ex incestu consanguineorum vel affinium; *nefarii*, ex ascendentibus et descendentibus progeniti (§ 1 Inst. *de Nupt. auth.*, ex complexu c. *de Incest. nupt.*). Geniti ex clerico in sacris constituto et soluto probabilius inter spurios sacrilegos referendi sunt, propter votum solemne castitatis, licet dicantur ex fornicatione nati (can. 12, d. 81, et cap. 6 *de Bigam.*), quia fornicatio tanquam terminus genericus ex subjecta materia determinatur ad certam speciem. De jure civili, *naturales* illi tantum dicuntur qui ex concubina nati sunt; si vero ex meretrice, inter spurios a quibusdam numerantur. Sed in hoc puncto observanda est doctrina juris canonici, quæ naturalibus filiis omnes eos accenset qui nati sunt ex parentibus habilibus ad matrimonium inter se ineundum.

I. Qui filii habeantur pro legitimis seu justis.

Resp. 1. Non tantum concepti et nati ex nuptiis justis, sed etiam illi qui ex fornicatione concepti sunt et nati jam post contractum matrimonium, etsi hoc una tantum hora nativitatem præcesserit : ita com. ex lib. V, XI, et multo magis cod. *de Natur. liber.*; quæ lex usu et praxi recepta est a jure can. per c. 1, *de N. O. N.*; nam illi sunt filii legitimi seu justi, quorum nativitatem jus humanum approbat; siquidem legitimitas prolium non est effectus juris naturalis, sed creatura juris positivi volentis alios haberi pro legitimis, alios pro illegitimis; sed jus (cit. l. XI) approbat nativitatem eorum qui concepti

sunt ex fornicatione, et nati jam constante matrimonio; ergo.

Resp. 2. 1° Filii nati ex parentibus conjugatis, voto simplici castitatis adstrictis, per omnia sunt legitimi, quia votum simplex non impedit valorem matrimonii; si vero parentes sint soluti, filii sunt *naturales* et *non spurii,* ob eamdem rationem. 2° Si uterque de mutuo consensu, vel alter parentum professus est religionem, vel sacros ordines suscepit, et deinde convenerunt, proles inde nata habetur pro illegitima in ordine ad suscipiendos ordines et beneficia ecclesiastica (cap. 14, *de Fil. presbyt.*); sed quoad successiones hæreditarias et alios effectus, habetur pro legitima, cum nata sit ex parentibus legitimo matrimonio jam consummato conjunctis, quod matrimonium per professionem religiosam non dissolvitur. Secus, si alter eorum post matrimonium ratum profiteretur; quia tunc soluto per professionem matrimonio, sequens copula non esset conjugalis.

Resp. 3. Proles nata ex matrimonio putativo, *publice* et *bona fide* contracto, est legitima in utroque foro civ. et canon., licet postea detegatur impedimentum dirimens : ita comm., ex cap. 2 h. t., ubi nativitas talium prolium approbatur; quia bona fides quoad forum internum, et publicus contractus quoad forum externum, sicut excusat a copula fornicaria, ita purgat notam illegitimitatis; idque etiam favor liberorum exposcit. At si defuit *bona fides* in utroque conjuge, cum sine illa justa possessio et jus utendi non acquiratur, vel si matrimonium clam et sine denuntiationibus fuit contractum, proles habentur pro illegitimis, ut dixi, tit. *de Cland. desp.,* num. 24; nam cit. cap. 2 et 14 h. t. utrumque requiritur, et *publicitas* et *bona fides.* Data resolutio locum habet in seq. casibus : 1° Si dubium de valore matrimonii supervenit ei contracto et veritas deprehendi non potuit; quia dubium superveniens non tollit justam possessionem, ex trito can. 5, *Si virgo,* 44, q. 2. Secus si dubium antecedens fuit, non præmissa diligenti investigatione, vel si dubium superveniens sublatum est per certam notitiam impedimenti dirimentis : tunc enim proles postea conceptæ ex defectu bonæ fidei habendæ sunt pro illegitimis. 2° Si unus conjugum fuit in bona et alter in mala fide, proles habetur pro legitima, ut si soluta ignorans alterum esse

conjugatum, publice cum eo contraxit (c. 14 h. t., c. fin., § *Si quis de cland. despons.*); nam ne proles sit partim legitima, partim illegitima, speciali favore juris habetur pro legitima ad hæreditates, officia ecclesiastica, etc. Imo in dubio, favore prolis, præsumitur potius ignorantia quam scientia impedimenti, An vero legitimitas prolis prosit parenti mala fide contrahenti, ut ei succedere possit, controvertunt DD.: affirmantium opinio videtur probabilior, cum talis proles dicatur absolute legitima, non vero tantum respectu unius parentis. 3° Si error juris intervenit in contractu matrimonii, non obest legitimati prolis, quia non tollit bonam fidem; ut si Cajus cognovit sororem sponsæ, et ignoravit affinitatem inde consecutam esse impedimentum dirimens matrimonii : ita Gregor. XIII ad quæst. Maronitarum respondit, legitimum esse filium natum ex secundo conjugio quod pater ejus ab uxore adultera divertens contraxit, quia bona fide putavit id sibi licere, tum quia ignorantia juris, licet non prosit ignoranti, tamen aliis, uti prolibus, nocere non debet; tum denique quia ignorantia juris, licet impediat bonam fidem civilem ad quosdam effectus, ut usucapionem, tamen non impedit bonam fidem theologicam quæ spectatur in matrimoniis, quibus sola ignorantia affectata nocet (cap. fin., § *Si quis, de cland. despons.*) (1).

Ex his soluta manent argumenta contraria ex reg. XIII in 6°, lib. IX, ff. *de J. et F. ign.*, lib. XXXI, ff. *de Usurpat.*, et c. 4. Si ex matrimonio publice et bona fide contracto, et lite super valore ejus contestata, proles concepta est ante sententiam latam, habetur pro legitima, cap. 2 h. t.; nam, lite pendente, conjuges non sunt privandi commodo suæ possessionis; imo carnale commercium eis permittitur, c. 2, *Ut lite pend.* Nec hic procedit lib. XXV, § 7, ff. *de Hæred. petit.*, lib. XXII, c. *de R. V.*, nam litis contestatione inducitur mala fides ficta, seu civilis, quoad fructus pretio æstimabiles, qui restituendi sunt victori; non vero quoad alia commoda et fructus pretio non æstimabiles, uti est generatio prolis, præsentatio, electio, etc.

Resp. 4. Proles natæ ex parentibus infidelibus, qui ignoranter et bona fide contraxerunt cum impedimento dirimente juris naturalis, sunt legitimæ, quia bona fides purgat vitium

(1) Quando ab Ecclesia aliquod matrimonium declaratur invalidum, v. g. quia contractum est cum impedimento metus, proles conservat jura legitimitatis (S. C. C. *in Nullius Monacensis*, 3 jan. 1880).

natalium ; secus si scienter contraxerunt. Impedimenta vero juris canon. non faciunt proles illegitimas infidelium (cap. fin. hoc tit.).

Resp. 5. 1° Filius natus ex muliere quæ sæpius adulterio polluta est, si interim maritus cum illa congressus fuit, habetur pro legitimo, neque credendum est parentibus contrarium affirmantibus ; nam favor liberorum exigit ut præsumantur ex marito potius quam adultero geniti (lib. XI, § 9, ff. ad L. *Jul. de Adult.*) ; secus esset, si ob longam absentiam vel similem causam certo constaret prolem esse ex adulterio genitam (cap. 4 h. t., l. VI, *De his qui sui*). 2° Natus ex vidua decimo mense vel ad initium undecimi habetur pro posthumo legitimo (l. XXIX, *Gallus princ.*, ff. *de Lib. et posthum.*), quia nativitas ad tot menses extendi, vel ad octo aut initium septimi mensis constringi et accelerari potest (lib. XII, ff. *de Stat. hom.*, l. III, § 12, ff. *De suis et legit.*). His non obstat Nov. 39, c. 2. ; procedit de unde cimo mense completo vel ad finem vergente.

II. Qui sint effectus legitimitatis prolium?

Resp. seq. : 1° Proles, quoad familiam, gentem, nobilitatem et dignitatem, sequuntur conditionem patris, non matris (lib. XII, ff. *de Statu hom.*); et ideo nati ex patre nobili et matre ignobili succedunt in feudis, et apti fiunt ad officia qualitatem nobilitatis exigentia, nisi desideraretur utriusque parentis. 2° Fiunt capaces ad ordines, dignitates ecclesiasticas et politicas. 3° Habent jus hæreditariæ successionis ex testamento et ab intestato, uti etiam in fideicommissis, majoratibus, primogenituris, etc. Hæc de legitimitate ; nunc de legitimatione prolium.

III. Quid et quotuplex sit legitimatio prolium ?

Resp. 1° Legitimatio est speciale beneficium juris, quo liberi illegitimi efficiuntur legitimi (§ fin. Inst. *de Nuptiis*), nam sicut legitimitas seu justa nativitas est creatura juris humani, ita quoque legitimatio liberorum ab eodem jure proficiscitur. 2° Legitimatio est triplex : *per subsequens matrimonium* inter parentes illegitimi filii contractum ; *per rescriptum principis*, dum princeps precibus rogatus illegitimis restituit legitimita-

tem natalium, ac si a principio nati fuissent legitimi; *per oblationem curiæ*, qua filius illegitimus ad officia curialia oblatus efficiebatur olim legitimus. Hic modus legitimandi in desuetudinem abiit, quia officia curiæ politicæ hodie sunt honorifica, quæ olim probro ducebantur, adeo ut clerici degradati pro sua pœna ad servitia curiæ traderentur, ut insinuant antiqui canones (can. 18, *Si quis sacerdotum,* 11, q. 1, etc.).

IV. Quod matrimonium habeat vim legitimandi illegitimos ?

Resp. 1° Matrimonium de se validum : ita de jure can. cap. 6, hoc tit., et de jure civ. l. VI, X, XI, cod. *de Natural. liber.*, idque specialiter concessum est ob favorem matrimonii, quod retrotrahitur, et fictione juris censetur tunc celebratum fuisse dum proles concepta et nata fuit, quasi copula non fornicaria sed conjugalis fuisset. 2° Matrimonium putative justum in facie Ecclesiæ contractum, licet ob latens impedimentum in se sit invalidum (argum. c. 2 et 14 h. t.), nam tale matrimonium retrotrahitur; ergo sicut ex illo nata proles fuisset legitima, ita per illud deinde contractum legitimatur. 3° Matrimonium post multos annos et intermedia matrimonia celebratum; quia jura citata indistincte loquuntur. Unde si Cajus ex fornicatione cum Bertha habita suscepit Titium, deinde successive contraxit matrimonium cum Mævia et Flavia, et tandem his mortuis, post annos v. g. quadraginta nuptias inivit cum Bertha, per hoc matrimonium legitimatur Titius. Porro ad istam legitimationem sufficiunt ea quæ ex jure canon. requiruntur ad matrimonium, adeoque non sunt necessaria instrumenta dotalia, quibus dos et donatio propter nuptias constituatur (Nov. 74, cap. 4), licet olim de jure civ. requirerentur pro concubinariis, ut palam constaret quod a concubinatu cessaverint; quo sensu procedit § fin. Inst. *de Nupt.*, Nov. 89, cap. 8, ibi : « Si quis igitur dotalia scripserit, » etc. Hodie igitur plus non requiritur quam ut, præmissis denuntiationibus, matrimonium coram parocho et testibus contrahatur.

V. Qui filii possint legitimari per subsequens matrimonium ?

Resp. 1. Regulariter soli filii naturales orti ex parentibus inter quos matrimonium consistere potuit : ita com., ex cap. 6,

hoc tit. Unde nullus ex spuriis per se loquendo est subjectum legitimationis matrimonialis; quia jus favorem istum ob justas causas noluit extendere ad spurios. Sufficit autem ut quis sit filius naturalis putative, licet reipsa ob latens impedimentum sit spurius : nam sicut matrimonium putative justum habet vim legitimandi, ut ante dictum, ita quoque filius putative naturalis habet aptitudinem ad recipiendam hanc legitimationem.

Resp. 2. Ut proles legitimetur per subsequens matrimonium, sufficit parentes fuisse habiles ad contrahendum, vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio : ita Covar., Barbosa, Schmier et alii contra Bald., Sylv., Garc., Kees., etc. Prob. ex lib. XI, nuper c. *de Natur. liber.*, ubi imp. per se et principaliter disponens de legitimatione liberorum per subsequens matrimonium, in fine subdit : « In quæstionibus in quibus de statu liberorum est dubitatio, non conceptionis, sed partus tempus inspiciendum, et hoc favore liberorum, exceptis his tantummodo casibus in quibus conceptionem magis approbari infantium conditionis utilitas expostulat. » Idem expresse disponitur in nov. 89, c. 8, ibi : « Sancimus, » etc., et arg. lib. V, VII, ff. *de Statu hom.*, ubi ad libertatem partus dicitur sufficere quod mater fuerit libera quocumque ex tribus temporibus, vel conceptionis, vel intermedio, vel nativitatis. Ratio est, quia jura concedentia matrimonio vim legitimandi sunt favorabilia; ergo recte intelliguntur de parentibus, si saltem tempore natæ prolis sint habiles ad contrahendum : ut si Titius commisit adulterium cum Bertha, et antequam nascatur proles uxor illius moriatur; tunc enim cum nascitur proles, habilis est ad matrimonium cum Bertha ineundum. Nec obstat cap. 6, hoc tit., et l. VI, c. *De suis et legit.*, l. XI, ff. *de Statu hom.*; nam cap. 6 procedit de suscepta seu nata prole, vivente uxore legitima. Ex loco cit. non constat an prius matrimonium putativum convalidatum fuerit, et his legibus prævalet recentior constitutio Justiniani pro nobis allegata.

Resp. 3. Nepos ex filio naturali legitime natus, respectu avi legitimatur per matrimonium avi et aviæ, sive filius iste vivat, sive jam mortuus sit : ita Covar., Gonz. et alii contra Decim., Bald., etc. Prob. ex regula generali desumpta ex c. 6 h. t. et similibus; nam matrimonium avi retrotrahitur ad tempus

copulæ : sed si tunc constitisset, legitimasset nepotem respectu avi ; ergo et modo illum legitimat, quamvis per accidens non legitimet filium, utpote jam præmortuum : tum quia adoptio facit adoptatum fratrem defuncti filii (lib. V, ff. *de Gradib. et affinib.*) ; ergo etiam matrimonium avi facit nepotem ex filio præmortuo legitimum avo ; et conseq. jure repræsentationis nepos succedit in bona avi.

Dices : 1° Non potest nepos legitimari, nisi prius legitimetur filius naturalis, sed in hoc casu filius naturalis, utpote præmortuus, non potest legitimari ; ergo neque nepos. 2° Hæredes liberti non liberantur a præstandis domino operis, licet liberaretur pater, si vivens duos vel plures haberet filios, lib. XXXVII, § 7, ff. *de Oper. libert.*; ergo etiam non legitimatur nepos, etsi pater illius, si viveret, legitimaretur et ita legitimationem transfunderet in nepotem. Resp. Neg. maj. ; nam vis legitimandi non est attributa filiis, sed ipsi matrimonio ; ergo matrimonium, quandocumque contrahatur, legitimat omne quod reperit legitimabile ; ergo cum, præmortuo filio, reperiat nepotem legitimabilem, etiam illum legitimat, et idoneum facit ad hæreditatem avi. Ex quo patet disparitas ad 2, quia liberatio ab operis proficisci debet ab ipso patre liberto ex dispositione juris ; e contra legitimatio non procedit a filio naturali, sed a solo matrimonio. Sic etiam solvitur arg. ex l. VII, § 1, ff. *de S. P. R.*, l. XLIV, ff. *de Adoptione.*

Resp. 4. Spurius qui natus ex parentibus inhabilibus ad matrimonium, legitimari potest per dispensationem Papæ in radice matrimonii, dummodo impedimentum sit solius juris ecclesiastici : ita Abb., Joan., Andr., Covar., Schmier., Schmalz. et alii contra Navar., Perez, Coninck., etc. Prob. Si Papa a principio dispensasset in impedimento dirimente, v. g. consanguinitatis, matrimonium fuisset justum inter consanguineos, et proles ex eo genitæ fuissent legitimæ ; ergo etiam si post illud contractum dispenset in tali impedimento, spurius ante dispensationem genitus fiet legitimus, ac si ex matrimonio justo natus fuisset : tum quia talis dispensatio retrotrahitur ad radicem et primum tempus matrimonii, cum vis retrotractiva Papæ denegari non possit in legibus irritantibus et dispensationibus, uti frequenter videmus in bullis pontificiis ; tum quia Papa tollere potest omnes effectus consequentes ex actu qui jure pontificio fuit invalidus (Clem. unic. *de Immunit. Eccles.*) ; ergo etiam tollere potest illegitimitatem spurii conse-

quentem ex matrimonio de jure pontificio invalido, quod olim licuit etiam principi Romano, lib. LVII, § 1, ff. *de Ritu nuptiar.*, ubi ex dispensatione retrotractiva pronunciantur liberi legitimi qui nati erant ex matrimonio Flaviæ Tercullæ et avunculi sui, de jure civili invalido. Exempla retrotractionum habes lib. XXVI, ff. *de Stipulat. serv.*, lib. XI, ff. *Qui potior. in pign.*, lib. LXXIII, ff. *de V. Q.* Porro ut hæc dispensatio suum habeat effectum, duo concurrere debent : 1° ut matrimonium fuerit actu contractum, licet invalide ; alioquin spurius natus ex solutis per hanc dispensationem legitimari non potest, sed opus est legitimatione per rescriptum ; 2° ut impedimentum non fuerit juris naturalis, v. g. ligamen in quo Papa dispensare non potest, sed juris pontificii, quod subest dispensationi papali. His concurrentibus, dispensatio in radice matrimonii est maxime favorabilis, quia spurium legitimat instar matrimonii in quibuscumque terris et ad quæcumque officia ecclesiastica et politica, vimque suam habet etsi parentes mortui sint ; quia dispensatio ista non datur ut matrimonium contrahatur, sed ut matrimonium invalide contractum per retrotractionem fingatur valide fuisse contractum ; ac proinde dispensatio in radice matrimonii differt a dispensatione facta per viam derogationis, dum Papa, derogando dispositioni (cap. 6 h. t.), dispensat ut filius spurius per subsequens matrimonium legitimetur.

Dices : Gregor. XIII, teste Navar. respondit : « Se dispensare non posse, » et Innoc. III, cap. 13, hoc tit. noluit dispensare in radice matrimonii. Resp. Gregor. XIII, non ex defectu potestatis, sed causæ sufficientis, dixit se non posse dispensare : in cap. 13, hoc tit., fuit impedimentum ligaminis, quod est juris naturalis a Papa indispensabile.

Resp. 5. Matrimonium sine consensu liberorum præstat effectum legitimationis : ita comm. DD. contra Fach., Harpr., Kees, etc. ; nam consensus iste non requiritur jure can., cap. 6, hoc tit., nec etiam jure civili, quia Nov. 89, c. 11, l. fin., ff. *De his qui sui*, non procedunt de legitimatione per matrimonium, sed quod filius naturalis vel emancipatus invitus per rescriptum principis redigi non possit in patriam potestatem ; imo si quid jura civ. in contrarium statuerent, jus can. iis foret præferendum. Ratio etiam est, quia favor iste matrimonio

concessus est publicus, qui non pendet a consensu et pactis privatorum, per reg. lib. XXXVIII, ff. *de Pact.* Nec obstat lib. LXIX, ff. *de R. J.*, quia invito beneficium dari potest, dum hoc ex natura actus vel dispositione juris sequitur, sicut solutio debiti fieri potest pro invito (l. XXIX, ff. *de Negot. gest.*).

VI. Quis sit effectus legitimationis per matrimonium ?

Resp. Ille præcipuus, quod liberi post contractum matrimonium vere et proprie sint legitimi, et jura legitimorum consequantur, licet illo tempore intermedio jam ficte legitimi fuerint quo sensu explicantur illa verba : « legitimi habeantur », cap. 6, hoc tit. Unde,

1° Legitimati, quoad gentem, nobilitatem et indignitatem, sequuntur conditionem patris, non matris ; jura successionis habent, capaces fiunt ordinum et dignitatum ecclesiasticarum et sæcularium ; denique ea omnia eis competunt quæ filiis justis.

2° Testimonium eis dari potest et debet quod nati sint ex legitimo toro honestisque parentibus ; hæc enim omnia operatur fictio juris retrotrahens matrimonium ad tempus copulæ et conceptionis. Excipe 1° nisi specialiter caveatur ne legitimati per matrimonium admittantur ad primogenituras et majoratus. Excipe 2° cardinalatum S. R. E., ad quem legitimati non admittuntur, ex const. Sixti V *Postquam,* 1590. An vero legitimatus in primogenitura præferatur primogenito ex intermedio matrimonio nato, controvertunt DD. Negative subscripsi in meis Disp. civ., disp. 9, controv. 46.

VII. Qui illegitimi, et quo modo legitimari possint per rescriptum principis ?

Resp. 1. Omnes illegitimi, etiamsi spurii sint, rescripto principis natalibus restitui possunt ; nam sicut principis auctoritate inducitur, ita eadem toli potest defectus natalium. Ac proinde modus iste amplior est, cum se extendat etiam ad spurios ; sed modus legitimandi per matrimonium est favorabilior et efficacior, ut ex dicendis patebit. Porro potestas legitimandi per rescriptum soli principi competit, ut Papæ, imperatoribus et regibus ; cæteris vero ex privilegio, ut electoribus S. R. I., comitibus palatinis et Apostolicæ Sedis legatis, secundum

modum sibi præfixum ; et ideo comites palatini non possunt legitimare filios nobilium, nec ad feuda et majoratus.

Resp. 2. Ad legitimationem per rescriptum requiruntur seq. : 1° ut legitimandus sit subditus legitimantis (cap. 13, hoc tit.); 2° ut consentiat in sui legitimationem, eamque pater per libellum supplicem petat, vel saltem in testamento (Nov. 74, cap. 2, § 1; Nov. 39, cap. 9 et cap. 10); 3° ut legitimari non possit per subsequens matrimonium (ibid.), quia habito remedio ordinario, non est recurrendum ad extraordinarium; 4° ut nulli adsint liberi legitimi, quia in eorum præjudicium princeps non censetur legitimare (cit. Nov. 74, cap. 1 et 2). Si tamen princeps vult procedere de potestate absoluta, conditiones istæ non sunt necessariæ.

Resp. 3. Effectus legitimationis per rescriptum sunt tantum illi qui substant potestati principis. Unde 1° legitimatus per rescriptum Papæ fit habilis ad ordines et officia ecclesiastica, exceptis illis quæ requirunt legitimam nativitatem, sicut episcopatus (c. 7, *Princ. de elect.*), canonicatus in Germania, officium auditoris in Rota Rom. Et quamvis Papa subditos suos legitimare possit ad officia sæcularia, non tamen subditos aliorum principum, nisi via extraordinaria in casu gravissimæ necessitatis, et in favorem fidei (1). 2° Principes politici suos subditos legitimare possunt ad officia sæcularia aliosque effectus politicos, non tamen ad ordines et beneficia ecclesiastica. An vero legitimatus a suo principe habendus sit pro legitimato in territorio alterius principis, controvertunt DD. Affirmativa videtur satis probabilis; quia illegitimitas, cum non sit jure naturali constituta, inducitur a proprio principe; ergo ab eodem tolli potest : semel autem sublata, non reviviscit in alieno territorio.

(1) Dispositiones Romanorum Pontificum directe circa jura temporalia regnorum aliunde certa, sicut non reperiuntur earum exempla ante supposititias Decretales, ita semper recusantur a parte adversa non sine turbis ingentibus. Deus eas non approbat (Girald.).

Romanus Pontifex in civilibus non legitimat nisi *indirecte*, id est *sanando in radice* matrimonium quod, coram lege ecclesiastica, initum erat invalide. Hæc sanatio quandoque contingit, conjugibus etiam demortuis, ad effectum legitimationis prolis. Sed hodie potestas civilis sibi adjudicat jus exclusivum legitimandi proles in ordine ad effectus civiles, et ideo legitimitas coram Ecclesia aliquando discrepat a legitimitate civili.

VIII. Ad quem judicem spectet quæstio natalium?

Resp. Ad ecclesiasticum privative, sive de illa agatur principaliter, sive incidenter (cap. 5, 7 h. tit.); nam quæstio ista est spiritualis, pendens a valore matrimonii, de quo cognoscere est solius judicis ecclesiastici. Unde si apud judicem laicum tractatur causa principalis de hæreditate, alimentis, etc., et incidit quæstio natalium, debet supersedere in causa principali donec ecclesiasticus cognoscat quæstionem incidentem de natalibus (cit. c. 5 h. t.), nisi esset mera quæstio facti, vel nisi quæstio esset super legitimatione per rescriptum principis.

TITULUS XVIII.

QUI MATRIMONIUM ACCUSARE POSSINT, VEL CONTRA ILLUD TESTIFICARI?

I. Quis sit ordo accusantium matrimonium?

Resp. 1° Si agatur ad impediendum matrimonium futurum, omnes de populo admittuntur, denuntiantes impedimenta, ut peccatum præcaveatur. 2° Si agatur ad divortium quoad vinculum ex causa impotentiæ perpetuæ, soli conjuges admittuntur; quia, si velint, cohabitare possunt ut frater et soror (c. 5, *de Frigid.*). Idem dic si agatur ex causa erroris personæ, conditionis servilis, metus. Si vero agatur ex causa consanguinitatis, affinitatis, publicæ honestatis, aut alia simili, præ cæteris admittuntur qui meliorem notitiam impedimenti habent, ut parentes, consanguinei, vicini (can. 1 et seq., 35, quæst. 6, et cap. 3, hoc tit.). Si tandem ex alio impedimento agatur, admittuntur quicumque alii veraces, præsertim quorum interest : cap. 1, *De his quæ vi,* ubi priorissa cum sororibus impugnat matrimonium ut invalidum ratione professionis religiosæ. 3° Si agatur ad divortium quoad habitationem et torum, regulariter solus conjux innocens admittitur, cum istius tantum intersit et, si velit, injuriam possit remittere (c. 5, *de Procurat.*, c. 25, § *Illud de jurejur.*, c. 4, *de Adult.*). 4° Si agatur cri-

minaliter ad pœnam adulterii, quilibet mas de populo, 25 annis major, admittitur ad accusandum, cum adulterium sit crimen publicum (tit. ff. et c. ad L. Jul. *de Adult.*). Rejiciuntur autem ab accusatione matrimonii dissolvendi pecunia corrupti, et qui post denuntiationes publicas impedimentum non manifestarunt nisi causa absentiæ, vel alia eos excuset; item absentes, qui per litteras accusare non permittuntur, nisi alia adminicula eis suffragentur (c. 2, 5 h. t., can. 5, *Per scripta,* 2, q. 8, etc.).

II. Qui testes admittantur contra matrimonium in facie Ecclesiæ contractum ?

Resp. Illi præ cæteris qui meliorem notitiam impedimenti habent, modo non sint suspectæ fidei (cap. 47, *de Testib.*). Unde etiam parentes et consanguinei admittuntur, etiamsi deponant pro sustinendo matrimonio, eisque creditur, nisi ex circumstantiis testimonium eorum reddatur suspectum : ut si nimis cupiant matrimonium sustineri, vel si sponsa petat in virum aliquem se longe majorem divitiis, nobilitate, etc. Rejiciuntur autem a testimonio contra matrimonium ii quorum fides non est integra, ut si pecunia sint corrupti, etc.

III. Quo tempore accusatio matrimonii sit instituenda ?

Resp. Quocumque tempore, cum impedimenta matrimonii nulla præscriptione tollantur, neque matrimonium cum his initum convalescat, aut sententia super illo lata transeat in rem judicatam (cap. 7, *de Sent. et re judic.*). Si tamen conjuges sint mortui, actio contra legitimitatem prolium præscriptione exstingui potest per 30 annos.

IV. Quæ causæ matrimoniales pertineant ad forum judicis ecclesiastici ?

Resp. 1. Seq. Matrimonii et sponsalium natura, qualitas, valor, obligatio, benedictio nuptiarum, sponsorum et conjugum jura et reciprocæ obligationes, impedimenta, legitimas et legitimatio prolium per matrimonium, dissolutio et redintegratio sponsalium et matrimonii dispensatio in impedimentis, et quæcumque alia causa involvens quæstionem juris super matrimonii et sponsalium contractu, privative spectat ad judicem ecclesiasticum (cap. 3, *de Ordin. cognit.,* cap. 5, *Qui filii*

legit.); idque sub anathemate definivit Trident., sess. 24, can. fin. Judex autem iste est Papa in tota Ecclesia, et quilibet ordinarius in sua diœcesi, vel eorum delegati, aut qui ex privilegio habent jurisdictionem cognoscendi causas spirituales : cap. 12, *de Excess. prælat.*; Trid., sess. 24, cap. 20, vers. *Ad hæc causæ matrimoniales,* et cap. *de Reform.,* ubi ab hoc judicio excluduntur decani, archidiaconi, et alii inferiores episcopo seu ordinario (1).

Resp. 2. Causæ matrimoniales temporales per se spectant ad forum judicis sæcularis : uti causa dotis, donationis propter nuptias, hæreditariæ successionis, alimentorum, ventris inspiciendi, etc.; si tamen talis causa incidenter moveatur apud judicem ecclesiasticum, ab eo utique cognosci potest, cum ecclesiasticus non sit incapax ad cognoscenda temporalia, sicut laicus incapax est ad spiritualia. Vide dicta tit. *de Judic.* et tit. *de For. compet.*

TITULUS XIX.

DE DIVORTIIS.

Cum ad accusationem matrimonii sequatur divortium seu separatio conjugum, recte hic agitur de divortio, quod triplex est : 1° divortium *quoad vinculum,* 2° divortium *perpetuum quoad torum* et *cohabitationem,* et 3° divortium *temporale quoad torum et habitationem.* Et quamvis ex matrimonio invalide contracto nullum oriatur vinculum *juris,* sed præcisi *facti,* quia tamen in foro fori inter contrahentes putatur esse quoddam retinaculum, ideo etiam istud dissolvi debet, seu potius declarari matrimonium esse nulliter et sine effectu contractum.

. Quo modo dissolvendum sit matrimonium nulliter contractum ?

Resp. 1° Ad hoc necessaria est auctoritas ordinarii vel alte-

(1) Quoad modum instruendi illas causas, standum est constit. *Dei miseratione,* Bened. XIV.

rius legitimi judicis; secus conjux propria auctoritate recedens compelli debet ad redeundum (c. 13, v. *Quod si de restit. spol.*), nisi notoria esset nullitas matrimonii. 2° Nullitas matrimonii probanda est, non per rumorem, sed saltem per duos testes omni exceptione majores (c. 5, *De eo qui cognov.*, c. 22, *de Testib.*), tum quia causa dissolvendi matrimonii est gravissima, tum quia caveri debet ne ex collusione partium dissolutio fiat, cum magna irreverentia sacramenti, ad quod requiruntur testes omni exceptione majores; licet alioquin dum agitur ad impediendum matrimonium et vitandum peccatum, sufficiat unus testis denuntians impedimentum. 3° Posita plena probatione et per exceptiones non infirmata, judex pronuntiat matrimonium esse invalidum; ac proinde separatis conjugibus, si aliud non obest, dat licentiam transeundi ad alias nuptias. Si vero plena probatio non est allata, judex pronuntiat pro valore matrimonii, utpote causæ favorabilis (arg. cap. 22, *de Testib.*), atque in foro externo matrimonium est validum. At in foro interno, si ambo, vel alter conjugum certam habet notitiam impedimenti dirimentis, non debent, imo nec possunt parere sententiæ judicis, exigendo et reddendo debitum, vel cohabitando, si periculum sit incontinentiæ; quia hoc non esset aliud nisi fornicari et peccare, quod prohibet jus naturale, utique præferendum falsæ sententiæ judicis. Imo si compellantur per censuram excommunicationis, hæc potius humiliter sustinenda est, quam Deus offendendus : ita decisum est c. 13, *de Restit. spoliat.*; c. 44, *de Sent. excom.* Unde in hoc casu arduo pars conscia impedimenti potest, imo tenetur occultam dispensationem petere a Papa, si bonum prolis vel alia gravis causa id postulet, modo sit impedimentum dispensabile.

Ex const. Bened XIV. *Dei miseratione*, 3 novembr. 1741, notandum:

1° Quod cognitio causarum matrimonialium extra Romanam Curiam pertractandarum committi nequit nisi episcopo, præsertim viciniori; et si nullus sit episcopus, committi debet uni ex judicibus synodalibus, juxta modum ab eodem Pontifice præscriptum in litteris encyclicis locorum ordinariis scriptis, sub die 26 augusti 1741, *Quamvis paternæ*. Et hujusmodi cognitio nunquam finienda est, nisi post duas sententias con-

formes super nullitate matrimonii; sive post primam appellatum sit, sive non, sub pœnis, ut infra, incurrendis.

2° In singulis diœcesibus eligendus est ab episcopo defensor matrimonii, et, si fieri potest, ex ecclesiastico cœtu, ad ipsius episcopi arbitrium removendus, cum mercede, si id munus gratis obire nolit, ei constituenda ab ipsius causæ judice, et solvenda ab ea parte quæ pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit: sin minus, a judice primæ, vel secundæ, vel tertiæ instantiæ respective ex pecunia mulctarum suorum tribunalium. Quando vero judices causæ erunt judices commissarii carentes foro et mulctis, tunc solvenda est ex pecunia mulctarum illius episcopi, in cujus diœcesi dicti judices, juxta S. Sedis mandatum, judicium exercebunt.

Hunc defensorem statuit Pontifex esse tanquam partem necessariam ad judicii validitatem; ideoque semper citari et adesse debere in judicio, sive unus ex conjugibus qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validate, in judicium veniant; tenerique nedum præstare juramentum de fideliter suo munere obeundo, quando ad hoc deputatur, sed etiam toties quoties adesse debebit in judicio pro alicujus matrimonii validitate tuenda.

Ejus autem munus in eo situm est, ut, si a judice pro matrimonii validitate jubicabitur, et nullus sit qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat; idque etiam servetur, si a judice secundæ instantiæ pro validitate matrimonii fuerit judicatum, postquam judex primæ instantiæ de illius nullitate sententiam pronuntiaverat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor intra legitima tempora appellabit, adhærens parti quæ pro validitate agebat; cum autem in judicio nemo unus sit qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, judicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem judicem provocabit.

'Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla, ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem defensoris et partium, interposita, si ambo vel unus ex conjugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus ac decernimus ut non solum serventur quæ adversus eos qui matrimonium contra interdictum Ecclesiæ contrahunt, statuta sunt; præ-

sertim ut invicem a cohibatione separentur quoadusque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius ut contrahens vel contrahentes matrimonium hujusmodi, omnibus pœnis contra polygamos a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis constitutis omnino subjaceant.

Posteaquam vero, appellationis beneficio, ad alterum judicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia et singula quæcumque coram judice in prima instantia servanda præfinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte ac diligenter custodientur, citato in quolibet judicii actu defensore matrimonii, qui voce et scripto matrimonii validitatem strenue ac pro viribus tuebitur. Et si judex in secunda instantia fuit metropolitanus, aut Sedis Apostolicæ nuncius, aut episcopus vicinior, matrimonii defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quæ a nobis superius constituta sunt peragere possit. Si autem judex in secunda instantia erit judex commissarius, cui a Sede Apostolica causæ cognitio demandata sit, et qui tribunal et jurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat defensore matrimonii, volumus ut illo defensore matrimonii utatur qui constitutus fuerit ab ordinario in cujus diœcesi causam cognoscet, etiam si idem ordinarius sit qui primam sententiam in eadem causa pronuntiaverit.

Instructo autem in hunc modum judicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est si in secunda, æque ac in prima, nullum ac irritum matrimonium judicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit, in potestate et arbitrio conjugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum, ob aliquod impedimentum vel legitimam causam, id vetitum non sit. Potestas tamen, post alteram sententiam conformem, ut supra conjugibus facta intelligatur, et locum habeat, salvo semper et firmo remanente jure seu privilegio causarum matrimonialium, quæ ob cujuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem judicatam : sed si nova res, quæ non deducta vel ignorata fuerit,

detegatur, resumi possunt et rursus in judicialem controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate, vel altera pars appellaverit, vel hujusmodi sit, ut ei, salva conscientia, defensor matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste injusta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius præcedentis super validitate in secunda instantia emanatæ, volumus ut firma remanente utrique conjugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, pœnis, ut præfertur, a nobis constitutis subesse decernimus; causa in tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus quæ a nobis in prima et secunda instantia demandata fuerunt, nempe, in quolibet judiciali actu, citato et audito defensore matrimonii, qui a judice tertiæ instantiæ deputatus fuerit.

Quoad causas matrimoniorum Romæ disceptandas, præcipit omnia et singula supra præscripta servanda esse. Verum cum hæc sit particularis curiæ, vide peculiaria quæ sequuntur in cit. constit. a § 13 ad totum § 15.

II. An, et quomodo vinculum matrimonii rati dissolvi possit ?

Resp. 1. Vinculum matrimonii rati, et multo magis consummati, de jure naturali seu ab intrinseco, de juro divino et pontificio est indissolubile : ita quoad rem communis et vera sententia contra Michaelem de Medina, quem secuti sunt aliquot inferioris notæ juristæ, minus caute docentes matrimonium ratum solo jure ecclesiastico esse insolubile. Prob. 1ª pars ex Gen., II, 22 et seq.; quem textum explicans Trid., sess. 24, perindistincte ait : « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens, divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit : Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea, etc. » Idem docet Bonif. VIII (c. unic. *de Voto*, in 6°); atqui præceptum hoc, quod Adam pronuntiavit, erat omnino naturale ab Auctore naturæ inspiratum, cum præter præceptum de pomo non comedendo nullum aliud positivum fuerit in paradiso; ergo matrimonium quoad suam essentiam est de jure naturali et ab intrinseco indissolubile. Ratio est, quia matrimonium ex essentia et definitione sua importat perpe-

tu am vitæconsuetudinem et societatem, ut omnes gentes bene moratæ agnoverunt, definientes matrimonium, quod sit viri et mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens (§ 1 Inst. *de Patria potest.*); ergo matrimonium jure naturali et ab intrinseco est individuum et indissolubile : siquidem, quod ab intrinseco contractui competit, id jure naturali competit, sicut est translatio dominii in mutuo, jus utendi in commodato, etc. Prob. 2ª pars de jure div. (Matth., XVIII) : « Quod Deus conjunxit, homo non separet; » (Marc., X, et Luc., XVI) : « Qui dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, mœchatur, » et (Rom., VII) : « Mulier, vivente viro, alligata est legi, » et (I Cor., VII) : « Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere ; » qui textus generales indistincte procedunt de matrimonio tam rato quam consummato; ergo matrimonium de jure divino est indissolubile. 3ª pars de jure pontificio a nullo negatur, et constat ex c. 2 et seq. h. t., et alibi passim. Doctores alii huic sententiæ non contrariantur, quia id solum volunt, quod matrimonio jure naturali non competat absoluta et omnimoda indissolubilitas, ita ut in nullo casu dissolvi possit, et ex parte materiæ mutari : et ideo dicunt esse indissolubile jure naturali conditionato, hoc est, quod ex natura sua tandiu sit indissolubile, quandiu per legitimam potestatem non ponitur in his circumstantiis in quibus dissolutio illius cohonestetur et materia a præcepto naturali subducatur. Quod sane verum est, et doctrina ista generaliter procedit in omnibus præceptis naturalibus quorum materia mutabilis, et in certis circumstantiis cohonestabilis, est maxime respectu habito ad supremum dominium divinum, cum Deus jus dare possit in vitam innocentis, in corpus solutæ vel conjugatæ, in aliena bona, etc. His præintellectis, colligo 1° quod Deus dissolvere possit matrim. non tantum ratum, sed et consummatum, non obstante naturali ipsius indissolubilitate, quia sublato jure conjugum, quod utique subest dominio divino, defectu materiæ cessat obligatio juris naturalis, utpote non habens materiam super qua cadat. Ex quo capite in lege Moysis maritus per libellum repudii, non propria privata, sed auctoritate Dei, dissolvebat matrimonium etiam consummatum. Hodie, sublato per Christum libello repudii, insolubilitas naturalis

restituta est matrimonio. Colligo 2° nec judæos, nec gentiles hodie posse dissolvere matrimonia, etiam legitima tantum, non consummata; quia jure naturali ligantur, uti et divino, quo libellus repudii sublatus est.

Dices : Patres dicunt matrimonium esse insolubile, quia sacramentum est ex Ephes., v, et cap. 7, hoc tit., et can. 15, cum seq. 27, quæst. 2, et can. fin. 28, quæst. 1; ergo indissolubilitas non competit matrimonio ab intrinseco, sed ab extrinseco ratione sacramenti. Resp. argumentum istud nimis probare, quod scilicet matrimonium ratum, quod proprie est sacramentum, non dissolvatur per professionem religiosam, bene vero consummatum, quod proprie sacramentum non est; item quod matrimonia infidelium, cum non sint sacramenta, valide ab illis dissolvantur; quæ omnia sunt falsa. Unde auctoritates istæ sane sunt intelligendæ, quod scilicet matrimonium consummatum christianorum nulla potestate humana sit solubile, quia est sacramentum, hoc est mysterium, seu signum speculativum significans insolubilem unionem Verbi divini cum Ecclesia per carnem, vi cujus significationis adeo confirmata est indissolubilitas naturalis matrimonii, ut hoc nulla humana auctoritate dissolvi possit : quod non habet matrimonium ratum, nec consummatum, apud infideles, cum horum matrimonia dissolvi possint in illo casu quo uni converso ad fidem, alter citra contumeliam Creatoris cohabitare non vult. Ex his cætera argumenta levia facile dissipantur.

Resp. 2. Matrimonium ratum quoad vinculum dissolvitur per professionem religiosam, idque jure divino, seu ex speciali privilegio Christi : 1ª pars sub anathemate definita est a Trid., sess. 24, can. 6 : « Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. » Idem habetur c. 2, 14, *de Conv. conjug.*, extrav. un. Joann. XXII, *de Voto*, ubi vis ista attribuitur professioni religiosæ; negatur vero SS. ordinibus. 2ª pars est Domin. Soto, Salmant., Sanchez (l. II, *de Matr.*, disp. 19, n. 3), cum cit. contra plerosque RR. docentes id fieri solo jure ecclesiastico, et contra S. Bonav., Palud. et alios refundentes vim istam in jus naturale. Prob. 1° Professio religiosa jure naturali non solvit vinculum matrimonii rati; nam hoc jure matrimonium ratum est insolubile, imo impediret valorem professionis : siquidem homo per matrimonium uxori traditus non habet potestatem tradendi se alteri, cum nemo det quod non habet. 2° Neque professio mero jure eccle-

siastico matrimonium ratum dissolvit : tum quia nullus canon id asserens ostendi potest; siquidem Eusebius papa (can. 27, *Desponsatam*, 27, q. 2) non condit novum jus, sed secundum antiquum pronuntiat desponsatam puellam posse sibi monasterium eligere ; tum quia non est credibile quod Ecclesia condiderit legem contra jus naturale, et voluerit alteri conjugi jus quæsitum tollere ; tum quia adversarii docent Ecclesiam non posse condere legem qua matrimonium ratum dissolvatur : ut patet ex illa opinione hodie improbabili docente quod Papa possit condere legem qua matrimonium ratum solvatur per subsequens consummatum; sed si professio religiosa mero jure ecclesiastico solveret matrimonium ratum, jam fuisset condita lex pro eo solvendo; ergo; tum denique quia jus ecclesiasticum abrogari potest per contrariam consuetudinem (c. fin., *de Consuetud.*), vel per contrariam legem; sed nec consuetudo, nec contraria lex induci potest, ut professio religiosa non solvat matrimonium ratum, sicut illud non solvunt vota simplicia Societ. Jesu; id enim adversatur exemplis sanctorum, doctrinis Patrum, communi fidelium opinioni et praxi continuo in Ecclesia observatæ; ergo. Prob. 3° directe de jure divino, non tam scripto quam tradito; nam quod in Ecclesia semper observatum est, et non constat ab Ecclesia conditum fuisse, recte refunditur in jus divinum et institutionem Christi; sed semper in Ecclesia observatum fuit quod professio religionis dissolverit matrimonium ratum, idque adeo insolitum ab Ecclesia conditum fuisse non constat, imo exempla sanctorum a nuptiis ad statum religiosum convolantium, uti S. Theclæ, S. Alexii, S. Ceciliæ et aliorum, reducuntur ad vocationem et instinctum Spiritus sancti (c. 2, *de Convers. conjug.*); ergo; tum quia Alex. III (c. 7, *Ex publico eod.*) docet matrimonium ratum per professionem religiosam dissolvi *secundum interpretationem sacri eloquii,* et Innoc. III (c. 14, eod.) non revocat se ad legem ecclesiasticam, ut alias solet, sed ad vestigia suorum antecessorum, qui statim a principio, tanquam divinam traditionem, tenuerunt vinculum matrimonii rati solvi per professionem religiosam. Ratio congrua est, quia cum Christus instituerit statum religiosum sibi gratissimum, eumque nuptiis et statui conjugali prætulerit, merito credendum est etiam hoc

privilegium speciale ei contulisse, ut per illius professionem solveretur vinculum matrimonii rati, non tamen consummati, quia huic Christus alligavit significationem suæ unionis cum Ecclesia. Ex his soluta manent argumenta contraria. Vide dicta supra tit. VI, n. 6 (1).

Resp. 3. Vinculum matrimonii rati dissolvi potest dispensatione apostolica, modo adsit gravis et publica causa : ita hodie com. sent. (2) contra Scot., Sotum, Pont., Reiff., etc. Prob. ex Matth., XVI, 18, et Joann. ult. B. Petrus, ejusque successores acceperunt a Christo generalem potestatem ligandi atque solvendi ; sed sub hac generali potestate continetur etiam hæc particularis potestas dispensandi in matrimonio rato ; tum quia hæc potestas videtur necessaria ad suave Ecclesiæ regimen et salutem animarum ; tum quia Pontifices facto suo declararunt sibi hanc potestatem competere, cum pluries in matr. rato dispensaverint, ut Greg. VII, Paul. III et V, Gregor. XIII et alii, ut memorant historiæ ; neque est credibile eos in hoc facto errasse, cum mature processerint et cum deliberatione prævia, sicut Clem. VIII, 16 jul. 1599, habita super hoc speciali congregatione ; tum denique quia fideles pietate et doctrina præstantes id continuo docent, et instar traditionis divinæ tenent, quod Christus Dominus eam potestatem dederit suo in terris vicario (arg. cap. 2 et fin., *de Translat.*) ; ergo. Quod vero ad valorem hujus dispensationis requiratur causa justa, gravis et regulariter publica, patet ex generali doctrina, quod inferior sine justa causa non possit valide dispensare in jure superioris (cap. *Inferior*, d. 20) ; sed Papa est inferior jure naturali et divino, quo vinculum matrimonii rati est insolubile ; ergo. Tales causæ sunt : nimia inæqualitas sponsorum in statu, ex qua

(1) Jam superius annotatum est, ab Alexandro III, solis matrimoniis necdum in facie Ecclesiæ celebratis, hoc est, necdum per benedictionem sacerdotis ad significationem et vim sacramentalem elevatis, hanc dissolubilitatem tributam esse. Cæterum fideles, quorum intentioni circa contractus ponunt legem et formam decreta Ecclesiæ, nunc haud dubie dissolubiliter contrahunt matrimonium ratum, si illud animo deliberativo contrahunt. An vero sine causa gravi liceat habere hunc animum, sicque suspendere vim et effectum sacramentalem, aliorum esto judicium. (Edit. Girald.)

Hæc animadversio, quæ fundatur in falsa doctrina de sacerdote ministro sacramenti, est nullius momenti.

(2) Innumeris confirmata declarationibus S. Congr. Concilii a Sum. Pontif. approbatis.

timentur tristissimi eventus, timor gravium scandalorum, inimicitiarum, bellorum inter principes, superveniens impotentia in femina, per quam pro regni felicitate stemma propagari debuit, etc.

Dices : 1° Matrim. ratum est jure naturali insolubile; sed Papa non potest dispensare in jure naturali etiam conditionato; alias etiam dissolvere posset consummatum; ergo. 2° Sequeretur quod etiam princeps laicus in matrimonio rato subditorum infidelium dispensare possit. 3° Antiqui Pontifices nunquam dispensarunt; imo se non posse dispensare fatebantur : can. 25 et seq. 32, q. 7, et c. 7, *de Convers. conjugum*, et c. 14. eod., ibi : « nisi forte secus fieret ex revelatione divina, quæ superat omnem legem, » et teste Abb., Innoc. VIII respondit se non posse dispensare. Resp. ad 1. Dist. m. : si clare constet generalem potestatem eo se non extendere, c. m.; secus n. m. Licet enim matrimonium ratum ab intrinseco et de jure naturali conditionato non sit solubile, tamen ab extrinseco solvi potest potestate a Christo accepta, sicut et relaxari possunt vota et juramenta. Sic angelus ab intrinseco est incorruptibilis, et tamen ab extrinseco per virtutem divinam destrui potest. Paritas a matrim. consummato non urget : nam ei jure div., alligata est significatio unionis perpetuæ Christi cum Ecclesia per carnem, ob quod magnum sacramentum Ecclesia semper tenuit, et tenet matrimonia consummata fidelium non posse dissolvi per professionem religiosam vel dispensationem pontificiam, licet dissolvi possint per Deum, cum Deus jus suum positivum, et jus naturale conditionatum relaxare possit. Hæc autem ratio non currit in matrimonio rato, quod ad summum significat unionem Christi cum anima per gratiam et charitatem, pro hoc statu vitæ solubilem. Ad 2. Neg. seq., quia non constat principi laico hanc potestatem esse datam. Ad 3. Non omnia quæ in Ecclesia facta sunt, scripta habemus. Dum Pontifices dicunt se non posse dispensare, verum est, si deficiat justa et gravis causa, sine qua valide non dispensatur in jure naturali et divino. Can. 25 procedit de matrimonio consummato; vel si de rato, causæ ibi allegatæ non erant sufficientes ad dispensandum, cum justitia et sufficientia causæ maxime desumenda sit ex circumstantiis, præsertim si ob aliam causam altiorem non expediat dispensatio bono publico. C. 7 et 14 cit., in quo proponitur dubitatio de solutione matrimonii rati, dicit quidem illud dissolvi posse per professionem religiosam; dispensationis vero apostolicæ non meminit, quia de hac non fuit ulla quæstio. Dices : Trid., sess. 24 pr., postquam dixisset matrimonii nexum esse perpetuum et indissolubilem, nihil aliud excepit, nisi solam professionem religiosam, quod per hanc dissolvatur matrimonium ratum fidelium (can. 6, ibid.); ergo manifeste exclusit omnem alium humanum modum quo posset solvi matrim. ratum. Resp. Nego cons., nam ex definitione Trid. plus non sequitur, nisi non esse de fide Papam dispensare posse in

matrim. rato, sicut de fide est illud solvi per professionem religiosam.

III. An vinculum matrimonii consummati dissolvi possit?

Resp. 1. Matrimonium consummatum fidelium nulla in terris potestate dissolvi potest : ita omnes cathol. ex verbis Christi Matth., XIX, 6 : « Quod Deus conjunxit, homo non separet; » quæ verba quoad omnimodam indissolubilitatem intelligenda sunt de matrimonio fidelium consummato, ut docet Alex. III, c. 7, in fin., *de Convers. conjug.*, et Patres passim. Unde : 1° vinculum matrim. consummati non solvitur ex causa molestæ cohabitationis, hæresis, absentiæ alterius conjugis, adulterii, vel alia simili : ita definit Trident., sess. 24, can. 5 et 7, idemque docent antiqui canones in causa 32, q. 6 et 7 per tot.; nam Christus clare dicit (Marc., X, 11) : « Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam, » et (Luc., XVI, 11) : « Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur, » et (I Cor., VII, 10) : « His qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, » puta ex juxta causa, v. g. fornicationis viri, « manere innuptam, aut viro suo reconciliari. » Ratio est, quia Christus voluit per matrimonium consummatum significari indissolubilem unionem suam cum Ecclesia per carnem; tum quia multa mala ex tali dissolutione sequerentur, videlicet malum prolis, damnum alterius conjugis, et via lata aperiretur adulteriis, ut per illa matrimonia solverentur. 2° Matrimonia hæreticorum valida sunt omnino post consummationem insolubilia; nam pro his militant eadem argumenta. Nec obest quod hæretici erronee et speculative teneant matrimonia non esse sacramenta, sed ex conventione dissolvi posse; nam practice habent intentionem generalem contrahendi matrimonia, sicut in Ecclesia Christi contrahuntur; et sic eos contrahere omnino præsumitur, quia quisque præsumitur inire matrimonium validum potius, ex quo legitimos liberos habeat, quam invalidum. Si tamen hæreticus tam malitiosus foret, ut nollet aliud matrimonium contrahere, nisi solubile, nihil ageret, quia apponeret conditionem solubilitatis contrariam substantiæ matrimonii; et cons. invalide contrahe-

ret (cap. fin., *de Cond. apposit.*). 3° Matrimonia consummata conversorum ad fidem non possunt dissolvi auctoritate Papæ, nam suscepto baptismo, statim modo insolubili significant unionem Christi cum Ecclesia per carnem (c. 5, *de Bigam.*), ex qua significatione oritur summa ista insolubilitas.

Dices : 1° Matth., v, 51, Christus ait : « Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; et qui dimissam duxerit, adulterat; » idem repetitur c. xix, 9, ubi Christus interrogatus respondit de dissolutione vinculi matrimonialis, sicut fiebat per libellum repudii. 2° Eadem solubilitas insinuatur can. 17 et 23, causa 32, q. 7, et can. 6, *Si qua mulier*, 31, q. 1; ergo. Resp. ad 1. Verba ista, ut concordent cum verbis aliorum Evangelistarum, recte intelliguntur de dimissione quoad torum et cohabitationem, estque sensus : qui sine justa causa fornicationis dimiserit uxorem, facit eam mœchari, hoc est, dat ei occasionem mœchandi, atque ita mœchia imputatur ei : Judæi enim interrogarunt de dimissione perfecta, quæ duo includit : separationem tori et cohabitationis, et separationem vinculi : quoad primum, Christus respondit licitam esse separationem tori et cohabitationis ex justa causa fornicationis : quoad secundum, negavit fieri posse separationem vinculi, dicendo : « Qui dimissam duxerit, adulterat; » non adulteraret autem, si ob priorem fornicationem separatio vinculi inducta fuisset : hinc etiam Apost., l. c., ait mulierem dimissam debere manere innuptam. Ad 2. Can. 17 non reperitur in S. Ambrosio, et procedit secundum legem Juliam : at secundum legem Christi æqua est ratio viri et mulieris, ut idem S. D. docet in cap. 16 Lucæ. Can. 23 cit. hunc habet litteralem sensum : Si ante nuptias concubuisti cum sorore uxoris tuæ, neutram habere potes : istam propter impedimentum affinitatis; illam propter impedimentum publicæ honestatis. Uxori tamen ignaræ datur facultas transeundi ad alias nuptias; viro autem delinquenti negatur ex can. 22, *Hi vero*, 32, q. 7. Can. 6 cit. procedit de nuptiis post mortem conjugis contrahendis, sicut c. 1 h. t. Vide Bellar. et alios TT. polemicos, ad quos quæstio ista spectat (1).

Resp. 2. Matrimonia consummata judæorum et aliorum infidelium non possunt dissolvi : 1° per *libellum repudii*, quia iste sublatus est a Christo; licet in lege Moysis non tantum permissus, sed etiam licitus fuerit ex causa generali *fœditatis* (Deut., xxiv), ut communior tenet; quia etsi duritia Judæorum causam libello dederit, tamen Deus in his circumstantiis dispensavit, ut uxor licite et valide dimitteretur, et alia duceretur.

(1) Et speciatim encyclicam epistolam *Arcanum divinæ sapientiæ* SS^{mi} D. N. Leonis XIII, datam die 10 febr. 1880, in qua catholica doctrina de matrimonio mirifice exponitur.

Oppositum tenet S. Hieron., Lyran., S. Bonav., Sot., etc. 2° Per *privatam* vel *publicam potestatem* Papæ aut principis laici; quia Papa jurisdictionem non habet in infideles; jurisdictioni autem temporali talem vim datam esse contra jus naturale et divinum, nullo textu aut traditione constat.

Resp. 3. Si alter infidelium conversus est ad fidem, matrimonium legitimum in infidelitate contractum, non consummatum, solvi potest per professionem religiosam, sicut matrimonia rata fidelium.

Resp. 4. Si alter manens in infidelitate, citra contumeliam Creatoris nolit cohabitare conjugi converso ad fidem, dissolvitur matrimonium consummatum; non tamen citius, quam conversus ad fidem ineat aliud matrimonium cum fideli; ita ut contractio secundi sit dissolutio primi. 1ª pars est comm., ex Apost., I Cor., xv, ubi dicit fidelem a quo infidelis discessit, non esse subjectum servituti, seu legi conjugali; ergo liberum habet transitum ad alias nuptias, ut ex perpetua traditione observatur in Ecclesia et docetur can. 3 et seq. 28, q. 1, et c. 7, 8 h. t., nam ob favorem fidei Christus hoc privilegium conjugi converso ad fidem concessit, si infidelis nolit ei cohabitare sine contumelia Creatoris, v. g. directe blasphemando nomen Christi ejusque fidem; vel indirecte, inducendo fidelem ad peccatum. Hoc tamen privilegium non reperitur concessum, si ex fidelibus alter transivit ad paganismum vel judaismum, etsi ei cohabitare nolit sine injuria Creatoris, quia matrimonia fidelium consummata sunt omnino insolubilia. 2ª pars est S. D. (in 4, d. 39, q. un., a. 5), S. Bonav., Sanchez et cit. contra Innoc., Host., Abb., etc., docentes matrimonia tunc statim dissolvi, dum infidelis vel absolute non vult cohabitare, vel non aliter quam cum contumelia Creatoris. Ratio est, quia non apparet quando tale matrimonium solveretur : non tempore baptismi, quia per hunc conjugia non solvuntur (c. 2 h. t., can. 1, *Si quis*, 28, q. 2); non tempore intermedio, quia si alter desistens a perfidia convertatur, alter prius ad fidem conversus tenetur eum recipere (c. 8 h. t.); ergo superest ut matrimonium istud dissolvatur, dum contrahitur novum matrimonium contrarium priori, et cum eo incompossibile ; sicut in physicis vetus forma expellitur per novam, et generatio unius est corruptio alte-

rius (1). His non obstat textus Apostoli, I Cor., VII, 15, et can. 2, cum seq. 28, q. 1, et can. fin. 28, q. 2; nam ex testibus istis id solum colligitur quod fidelis justam habet causam resiliendi, non vero quod per istam alterius perfidiam prius matrimonium dissolvatur. Unde si, v. g. judæa convertatur, et vir ejus judæus aliam ducat, et deinde convertatur ad fidem; antequam illa fideli nubat, reddi debet primo uxori ad fidem converso; quia, cum primum matrimonium non fuerit dissolutum, secundum jure naturali non valuit; et conseq. subsistente primo, judæus et judæa ad fidem conversi in eodem remanere debent per c. 8 h. t. Talem causam a S. Congr. Conc. decisum legi Romæ 1730.

An vero in illo casu quo conversus ad fidem habet justam causam resiliendi a conjuge infideli, matrimonium resolvatur per professionem religiosam, controvertunt DD. Negant Abul., Palao, Schmalz., etc., sed verius affirmant S. Bonav., Sanchez, Salmant. cum citat., nam professio religiosa est fortior matrimonio rato, cum illud dissolvat; sed matrimonium in infidelitate consummatum solvitur per sequens matrimonium ratum, a converso ad fidem initum; ergo multo magis solvitur per professionem religiosam, juxta tritum illud : « Si vinco vincentem te, multo magis vinco te. »

Cæterum eo casu quo prius matrimonium dissolutum est, infidelis non tantum valide, sed etiam licite contrahit novum matrimonium; quia præceptum divinum id prohibens non exstat, nisi quoad hoc, ne infidelis citius contrahat, quam conversus ad fidem : quo sensu explicatur c. 7, hoc tit., can. fin. 28, q. 2.

Resp. 5. Si infidelis sine contumelia Creatoris vult cohabitare fideli, non dissolvitur prius matrimonium (2) : ita docet Apostolus (I Cor., VII, 12) et rationem dat : quia per conjugem fidelem

(1) Constatationes ex responsionibus suprem. Inq. diei 1 aug. 1752, ad 5.

(2) Sequitur quod explorari debeat voluntas conjugis infidelis; ex S. Congr. Concil. decreto 23 jan. 1603 et responsione S. Congr. de Propaganda fide 5 mart. 1815, constat *interpellationem* conjugis infidelis requiri ad *valide* contrahendum alterum matrimonium. Duplex est hujusmodi interpellatio, prima, si infidelis velit cohabitare sine contumelia Creatoris. Ab illa interpellatione dispensare potest Summus Pontifex, et ex quibusdam exemplis talis dispensationis nonnulli olim putarunt S. Pontifices dispensasse in matrimonio consummato contracto in infidelitate.

sanctificatur conjux infidelis : idem eruitur ex c. 7 et 8, hoc tit. Excipe, nisi cohabitatio fidelis cum infideli sit valde periculosa, uti regulariter est uxoris conversæ cum judæo (can. 10, *Judæi,* 28, q. 1), quod tamen periculum non afferunt alii infideles : sicut etiam hodie dicuntur Æthiopes et Indi neophyti cohabitare conjugibus infidelibus.

Hæc de dissolutione matrimonii, quoad vinculum. Nunc de divortio seu dissolutione, quoad torum et cohabitationem : cujusmodi divortium est duplex : *voluntarium*, quod fit ex mutuo consensu partium, dum status religiosus vel clericalis per sacr. ordines assumitur, et de hoc in præsenti non agitur, sed in lib. III, tit. *de Convers. conjug.; — coactivum*, dum conjux innocens, altero invito, separatur, vel in perpetuum ex causa perpetua fornicationis, vel ad tempus ex causa temporali, uti est *hæresis*, vel *apostasia a fide, periculum animæ, corporis, sævitia* aut *furor mariti* et *molesta cohabitatio.*

IV. An, et quomodo ob causam fornicationis seu adulterii fieri possit divortium, quoad torum et cohabitationem ?

Resp. 1. Ex causa adulterii non tantum vir innocens, sed etiam uxor innocens divertere potest. 1ª pars habetur Matth., II et XIX : « Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis, » etc.; c. 4, 5, 8 h. t. 2ª pars habetur c. 2 h. t. et can. 5, *Idololatria,* 28, q. 1, ibi : « ex quo intelligitur quod propter illicitas concupiscentias possit sine crimine, et vir uxorem dimittere, et uxor virum. » Ratio utriusque est, quia jus naturale dictat quod frangenti fidem fides non sit servanda, cum omni contractui, adeoque etiam matrimonio, insit tacita conditio, « si alter fidem servaverit ; » sed ratio ista prorsus eadem æqualiter procedit in viro innocente, ut ab adultera, et in muliere innocente, ut ab adultero separari possit; ergo.

Dices : 1° Libellus repudii fuit concessus tantum viris, et ideo Christus loco cit. tantum loquitur de viro. 2° Adulterium uxoris est gravius; ergo non est eadem ratio. Resp. ad 1. Divortium in lege Christi non imitatur in omnibus libellum repudii ; Christus vero, quia interrogatus fuit de uxore dimittenda, super hoc respondit, tacite innuens idem sentiendum de viro dimittendo, sicut Apostolus (I Cor., VII, 12) docet mulierem discedentem a viro debere manere innuptam ; ergo uxor ob adulterium mariti potest ab eo recedere. Ad 2. Neg. conseq., nam hic non at-

tenditur gravitas delicti, sed fractio fidei, quæ fit tam in viro, quam in uxore adulterante.

Resp. 2. Adulterium, ut sit causa sufficiens divortii, debet esse formale, non materiale, completum in sua specie, voluntarium, probabilius sine gravi injusto metu patratum, invito altero conjuge factum; secus si iste expresse consentiat, vel tacite non prohibendo, cum facile posset (c. 6, *De eo qui cognov.*), plene probatum, saltem per violentas præsumptiones, de quibus duo testes deponant : nam hic versamur in materia odiosa, adeoque adulterium stricte est accipiendum. Cæterum vir non censetur consentire in adulterium uxoris, si custodes et testes criminis constituat, vel uxorem e domo ejiciat, vel ei debitum neget, et ista fornicetur : c. 4 h. t., can. 3, *Itane*, 33, q. 2, l. XLIII, ff. *de Rit. nupt.*, ibi : « neque ignoscendum est ei quæ obtentu paupertatis vitam turpissimam agit; » nam tali casu contra maritum agere, non fornicari debet. Cessat autem causa adulterii, si et altera pars adulteret (c. 3 h. t., c. fin. *de Adulter.*), quia adulterium adulterio compensatur, et paria delicta, puta quoad interesse civile, mutua compensatione tolluntur. Item si injuria innocenti illata remittatur per reconciliationem expressam vel tacitam : ut si vir adulteram domi retineat, affectu maritali tractet, v. g. cum ea comedendo, ludendo, debitum petendo, etc. Hac remissione facta, si pars innocens cadat in adulterium, dat alteri causam sufficientem divertendi; neque prius adulterium, utpote condonatum, ei opponi potest, licet gratitudo suadeat reciprocam remissionem.

Dices : Innocens tenetur adulterum dimittere; nam per can. 1, *Sicut*, 32, q. 1, « fatuus est et injustus, qui retinet conjugem meretricem : nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris, et ejus peccati est particeps » (c. 3, *de Adult.*); ergo injuriam adulterii remittere non potest. Resp. Neg. ant., ex can. 5 et seq. 32, q. 1, quia tutius est adulterium non accusare (c. 25, § *Illud de jurej.*), et favori suo quisque renuntiare potest. Ad pr. jura justa procedunt in casu scandali, dum uxor monita et non resipiscens sine scandalo non potest a marito detineri.

Resp. 3. Si adulterium certum et simul notorium est notorietate facti aut juris, innocens propria auctoritate divertere potest a nocente. 1° Hoc sensu procedit c. 4, 6 h. t., c. 9, *de*

Sponsal.; a sens. contr. can. 5, *de Benedicto*, 32, q. 1, nam innocens in tali casu non dicit sibi jus, sed potius utitur jure sibi ex natura matrimonii concesso; et aliunde in notoriis raro necessaria est auctoritas judicis, nisi in causis gravissimis, ut in solutione matrimonii quoad vinculum (can. 1, *Sæcularis*, 33, q. 2, et c. 3 h. t.). 2° Si de adulterio certo non constat, sed magna est præsumptio, divortium fieri nequit, nisi auctoritate judicis ecclesiastici, plene probato delicto : hoc sensu procedit c. 9, *de Sponsal.*, c. 4 h. t.; nam per delictum incertum nemo privari debet jure certo; ergo nec conjux, donec coram judice ecclesiastico probetur plene adulterium. 3° Si adulterium parti innocenti est certo cognitum, non tamen publice notorium, practice loquendo divortium faciendum est auctoritate judicis ecclesiastici (S. D., in 4, d. 35, q. 1, a. 3), quia alias sequeretur scandalum, cum divortium saltem in foro externo non permittatur, nisi adulterium sit notorium vel plene probatum.

Si autem hoc probari nequeat, pars innocens certa de alterius adulterio cohabitare quidem tenetur, non tamen debitum reddere, nisi velit; quia frangenti fidem fides non est servanda; neque obligatio est parendi sententiæ judicis, utpote fundatæ in falsa præsumptione facti.

Resp. 4. Facto legitime divortio, conjux innocens non tenetur nocentem, etiam ut emendatum, recipere, quia pœnitentia et emendatio jus conjugale non restituit. 1° At de æquitate, si id suadeat causa magni boni promovendi aut mali avertendi, vel si injuria saltem tacite remissa est, facienda erit talis receptio, saltem ex debito honestatis, si non justitiæ, ut insinuat can. 7, *Quod*, 32, q. 1, et can. 7, *Ego*, 34, q. 1, et c. 3, *de Adult.* Econtra si velit pars innocens, tenetur ad eam nocens redire, ne ex delicto suo commodum reportet, et præjudicet juri innocentis. Unde nocens non potest statum mutare, assumendo religionem vel sacros ordines, nisi nulla spes reconciliationis affulgeat : ut si nocens aliquoties eam petat, et innocens semper deneget; quia tacite innuit quod nullo unquam tempore reconciliari velit; tunc mutato statu, nocens revocari non poterit. Pars vero innocens quandocumque pro placito suo statum mutare potest, quia juri et servituti alterius non alligatur. 2° Si facto per sententiam divortio, pars innocens fornicetur,

non tenetur recipere nocentem ad solam hujus petitionem, ut docet S. D. in 4, d. 35, q. 1, a. 6; Salmant., etc.; quia pars nocens per sententiam privata est jure proximo ad actus conjugales. At per implorationem officii judicis redintegrandum est matrimonium : tum quia sententia tacite fuit conditionata, « si actor non fornicetur; » tum quia causa divortii venit ad non causam; tunc autem agenti non officit exceptio rei judicatæ (lib. II, ff. *de Cond. sine causâ*). Præter adulterium dari etiam alias causas, ob quas divortium fieri possit, quoad torum et cohabitationem, definit Trid., sess. 24, can. 8; unde

V. An, et quomodo ob adulterium spirituale, seu hæresim, aut apostasiam a fide, fieri possit divortium ?

Resp. 1° Hæresis est causa sufficiens divertendi (c. 6, 7 h. t. et can. 5, cum seq. 28, q. 1), nam si periculum est perversionis, jus naturale dictat et præcipit separationem : si vero non est periculum, jus permittit in odium hæresis recedere ab hæretico. 2° Hæresis nec cum hæresi, nec cum adulterio compensatur : nam per hæresim non infertur injuria mutua conjugibus, sed Deo; per adulterium vero fit injuria conjugibus; ergo licet adulteria mutuo compensari possint, non tamen hæreses. 3° Si ob hæresim alter conjux propria auctoritate divertit, altero resipiscente, tenetur ad eum redire : quia hæresis per se non est causa perpetui divortii, sed temporalis, quod, cessante causa hæresis, cessare debet. At si hæreticus per sententiam condemnatus est, divortium est perpetuum, quia sententia ista privat omnibus juribus; ergo et jure conjugali (c. 6 h. t., c. fin., *de Hæret.*, in 6°); quo casu, si catholicus transeat ad religionem, ab altero resipiscente revocari non poterit (c. fin., *de Convers. conjug.*); at si maneat in sæculo, licet forsan de rigore juris non teneretur resipiscentem recipere, tamen de æquitate videtur matrimonium redintegrandum, ut colligitur ex c. 7 h. t.; nam causa divortii perpetui non est, nisi sola fornicatio a Christo assignata, utpote contraria fidei conjugali : hæresis vero non videtur esse causa divortii perpetui, nisi interim catholicus statum religiosum assumat : quo sensu explicatur c. 6 h. t., conformiter c. fin., *de Convers. conjug.*, et c. fin., *de Hæret.*, in 6°.

VI. Quæ sint aliæ causæ ex quibus fieri possit divortium?

Resp. seq. 1. *Periculum animæ,* dum alter conjugem inducit in grave peccatum, v. g. in sodomiam, veneficia, latrocinia, etc. (arg. c. 5, *Idololatria,* 28, q. 1); nam jus naturale jubet vitare periculum animæ. Sublato tali periculo, cessat divortium, cum sit temporale. At si alter conjugum peccet, non tamen alium inducat in peccata, non est causa divertendi (c. 2 h. t.).

Resp. 2. *Periculum corporis,* dum ex cohabitatione alteri imminet grave dammum corporale, ut infectio ex lepra et simili morbo, vel si maritus exerceat latrocinia, et uxor timeat ne cum illo participet in delicto et supplicio.

Resp. 3. 1° *Sævitia aut furor mariti,* si maritus uxorem suam capitali odio persequatur, mortem aut mutilationem serio attentet, vel minetur, vel veneno insidietur, etc. Modica tamen verberatio, cum permissa sit marito correctionis causa, non dat causam divertendi. Gravis verberatio censetur, si sanguinolenta sit, non tamen ex naribus; si vulnera relinquat, abortum causet, etc., idque mensurandum est respective; quia minor verberatio sufficit ad probandam sævitiam mariti, si uxor nobilis, honesta et publica sit, quam si plebeia, rixosa, turpis, etc. Hæc pariter procedunt, si uxor sæva sit in maritum; quia et contra hanc maritus de jure naturali se tueri potest; præsertim si insidiæ vitæ struantur, licet S. canones loquantur tantum de sævitia mariti, quia hæc frequentior est; ergo ex hac causa maritus divertere potest. 2° Divortium ex causa sævitiæ faciendum est auctoritate judicis ecclesiastici (arg. c. 1, 8, 13, *de Restit. spoliat.*), nisi sævitia sit notoria, vel periculum sit in mora, ut plerumque esse solet. Cessante sævitia et data cautione per fidejussores aut pignora, vel, his deficientibus, per juramentum, uxor marito restituenda est, nisi ob capitale odium periculum pendeat in futurum, et tunc uxor petere potest sententiam divortii perpetui; quo casu pars innocens mutare statum potest, assumendo religionem; quæ tamen mutatio in divortio temporali, nec nocenti, nec innocenti, sine consensu alterius conceditur, cum præjudicet juri conjugali, quod per tale divortium non tollitur. 3° Furor superveniens, si nullum nocumentum alteri parti afferat, non est causa divortii, sed compassionis, licet

cohabitatio sit molesta (can. 18, *Si uxorem*, 32, q. 5). At si furor, vel amentia periculosa sit alteri, interim fiet separatio, donec furor curetur. Si vero ex medicorum confessione curatio desperetur, pars altera statum mutare potest, quia adest causa divortii perpetui, non absolute, sed conditionate; nam si præter opinionem conjux furiosus ad sanam mentem rediret, revocare posset conjugem ex religione; quia sententia lata est ex errore et falsa furoris perpetui existimatione : talis autem sententia substat revocationi. Secus accidit in divortio ex causa perpetuæ sævitiæ : quia tunc conjux sævus in pœnam delicti privatur jure conjugali; et conseq. revocare non potest conjugem ex religione, etsi totaliter sævitia cesset.

VII. Apud quem, facto divortio, proles educari debeat?

Resp. Apud innocentem, et quidem apud matrem expensis patris, et apud patrem expensis matris locupletis, nisi pater minus idoneus esset ad proles nutriendas (*Auth. Si pater*, c. *de Divortio facto,* nov. 117, c. 7). Hodie servanda est consuetudo locorum : id vero maximopere curandum, ne proles educetur apud conjugem hæreticum vel apostatam, sed apud catholicum, ut educatio illius sit in gloriam Dei et animæ salutem.

TITULUS XX.

DE DONATIONIBUS INTER VIRUM ET UXOREM, ET DE DOTE POST DIVORTIUM RESTITUENDA (1).

Nota 1° inter conjuges donationem triplicem distingui : 1° donationem *ob causam,* quæ non fit mere liberaliter, sed ex causa extrinseca, v. g. propter matrimonium, uti dos et donatio propter nuptias; 2° donationem *remuneratoriam,* seu *antidotalem,* quæ fit ex gratitudine ob aliquod beneficium aut servitium præstitum; 3° donationem mere *liberalem* et *gratuitam,* quæ fit ex solo motivo liberalitatis, et ob nullam aliam causam extrinsecam : et hæc proprie et stricte est donatio, vel inter vivos, vel mortis causa.

(1) Agitur in hoc titulo de solis dispositionibus civilibus ex jure Romano desumptis; porro auctor hic tradidit sanctiones juris Romani, quæ in multis fuerant mutatæ. Itaque in his omnibus vide civilistas et superius dicta in lib. III, tit. XXIV.

Nota 2° dotem a donando dici, eamque tripliciter accipi : 1° *formaliter* pro pacto quo bona dotalia determinantur; 2° *objective*, seu materialiter pro ipsa re seu bonis in dotem datis; 3° *effective* pro jure quod marito vel uxori in bona dotalia competit. Dotis correlativum est « donatio propter nuptias », seu contrados, quæ iisdem tribus modis accipitur. Hic duo ista potissimum accipimus objective : quo sensu *dos* est certa res in specie vel quantitate, quæ ab uxore, vel alio ejus nomine, datur marito ad sustinenda onera matrimonii, puta ad alendam uxorem, liberos et familiam. « Donatio propter nuptias » est certa res in specie vel quantitate a marito, vel alio ejus nomine, destinata in securitatem dotis : unde sequitur conditiones dotis, eique adæquari debet. Olim dicebatur « donatio ante nuptias », quia ante has fieri debuit, ita ut, constante matrimonio, nec fieri nec augeri potuerit (l. I, et seq., ff. h. t.); sed ex constitutione Justiniani imp. dicta est « donatio propter nuptias », et constante matrimonio, non solum augeri, sed et initialiter constitui potest exemplo dotium (l. XIX, et fin. c. *de Donat. ante nupt.*, § 3 Inst. *de Donationibus*).

Nota 3° dotem dividi : 1° in *promissam*, quæ pacto promittitur absque traditione : quod pactum ex assistentia legis vim habet stipulationis (l. VI, c. *de Dotis promiss.*); et *constitutam*, quæ vel actu inter vivos est tradita, vel per ultimam voluntatem relicta. Neque exstirpanda est ex jure dos promissa, ut vult Lauterbach, cum cit. rubrica codicis de illa habeatur, et frequenter ejus mentio fiat in jure, ut l. LVII, LIX, etc., ff. *de Jure dot.* 2° In *profectitiam*, quæ datur a patre, vel alio ascendente, vel ab extraneo contemplatione patris (l. V, pr. et § 2, ff. eod.), et *adventitiam*, quæ extrinsecus advenit, non a patre, vel ascendente alio, sed vel a matre, avo materno, fratre, vel alio extraneo (lib. XXXIII et seq., ff. eod.) Si ipsa uxor sibi dotem constituat, non habet proprium nomen, licet dicatur profectitia (l. V, § 11, eod.). Præter dotem seu bona dotalia, habet uxor bona *paraphernalia* et *receptiva*. *Parapherna* stricte accepta sunt illa bona quæ uxor absque dotis titulo tradidit marito administranda (l. fin., c. *de Pact. convent.*). Late autem accipiuntur pro receptitiis quæ uxor sibi reservavit, neque voluit esse in potestate mariti.

Nota 4° ad donationes conjugum referri etiam morganaticam, munera nuptialia et dotalitium : quæ pro usu regionum varie a variis explicantur. *Moraganatica*, seu *morgengaba*, latine donum matutinale, est donatio quam maritus facit uxori altero nuptiarum die in remunerationem delibatæ virginitatis. *Munera nuptialia* sunt illæ donationes quæ fiunt a parentibus et amicis in gratiam novorum conjugum, ut æqualiter inter eos dividantur. *Dotalitium*, seu *ususfructus*, est id quod a marito constituitur uxori in compensationem dotis. Unde uxor, si velit dotalitio frui, doti ab hæredibus mariti repetendæ renuntiare debet (Schmier, etc.) Jam in hac materia ampla, ad jus civ. pertinente, stricte agam, primum de donante, deinde de donationibus inter virum et uxorem, tandem de restitutione dotis, soluto matrimonio.

I. Quis, qua forma, et in qua re possit dotem promittere aut constituere ?

Resp. 1. 1° Non tantum mulier pro se ipsa, sed quicumque alius liberam rerum suarum administrationem habens, potest pro muliere dotem constituere vel promittere (l. XLI, ff. *de Jure dot.*, l. fin., c. *Ad S. C. Vellej.*), nam beneficium alteri præstare nemo prohibetur. 2° Ipsa mulier non tenetur se ipsam dotare, cum matrimonium absolute sine dote consistere possit (l. fin., v. *Sicut autem*, c. *de Donat. ante nupt.*), et ideo si mulier permittat maritum rebus suis uti absque ulla mentione dotis, non præsumitur eas in dotem dedisse, sed ut paraphernalia tradidisse. 3° Inter eos vero qui obligantur mulierem dotare, est primo pater; quia « paterni officii est dotem, vel donationem propter nuptias pro sua dare progenie » (l. fin., c. *de Dotis promiss.*, l. XIX, ff. *de Ritu nuptiar.*), etsi filia sit dives, vel nupserit absque mentione dotis ; quia jura indistincte loquuntur. In defectum patris obligatur avus paternus (l. VI, ff. *de Collat.*), tum mater (l. XIV, *de Jure dot.*), et probabiliter frater pro sorore germana aut consanguinea, saltem de honestate dotem dare debet (arg. l. XII, § 3, ff. *de Admin. tut.*). De jure can. deflorator tenetur defloratam ducere, vel eam dotare (c. 1 et 2 *de Adult.*).

Resp. 2. Promissio vel constitutio dotis fit per *pacta dotalia*, quæ sunt conventio super dote danda, conservanda vel retinenda, vel super bonis cæteris. *Simplicia*, quæ fiunt actu inter vivos, seu mero contractu, de jure comm. valent, nec testes requiruntur, nisi duo ad probationem, suntque per se irrevocabilia (l. II, XIV, ff. *de Pact. dotal.*). *Mixta*, quæ transeunt in ultimam voluntatem et futuram conjugum successionem continent, reprobantur a jure comm. (l. V, c. *de Pact. convent.*), sed ex consuetudine sustinentur, dummodo solemnitates ultimæ voluntatis habeant.

Resp. 3. In dotem dari potest res quæcumque mobilis vel immobilis, corporalis vel incorporalis, ususfructus vel proprietas (l. IV et seq., et l. VII et c. ff. *de Jure dot.*), imo et feudum, attamen absque æstimatione per modum venditionis (l. II, F., tit. XIII, XVII et LV, pr.). Si omnia mulieris bona in dotem dâta sunt, ei læsæ succurritur l. IV, c. *de Jur. dot.* Si vero res aliena bona fide data est, transfertur in maritum conditio usucapiendi ex tit. ff. *Pro dote.* Si tandem proprium debitum mariti in dotem datum est, is liberatur a solvendis usuris ; alioquin nullum fructum ex dote haberet (l. LXXVI, ff. *de Jure dot.*).

Resp. 4. 1° Effectus *dotis promissæ* ex parte promittentis est obligatio eam constituendi seu tradendi, et ex parte promissarii est jus et actio ex *stipulato* ad illam, secutis nuptiis, exigendam (l. un., § 1, c. *de Rei uxor. act.* 2° Effectus *dotis constitutæ* seu *traditæ* est in marito dominium civile bonorum dotalium, ita ut fructus percipere et, constante matrimonio, suo nomine pro bonis istis agere possit, et econtra obligetur ad onera matrimonii sustinenda (lib. VII, ff. *de Jure dot.*). Et quidem si in dotem datæ sunt res mobiles vel quantitates immobiles « æstimatæ per modum venditionis », maritus fit

absolutus illarum dominus et ad eum pertinent commoda et incommoda, seu pericula; ita ut, soluto matrimonio, teneatur æstimationem præstare, vel ipsas res, etsi deterioratæ sint sine culpa illius, restituere (cap. 10, 12, ff. *de Jure dot.*). At si res immobiles non æstimatæ per modum venditionis, licet taxatæ sint ad explorandum pretium, in dotem datæ sint, maritus non fit illarum absolutus dominus, sed tantum fictus, seu civilis, dominio vero et naturali remanente penes uxorem; et ideo si res istæ casu pereant, pereunt uxori tanquam dominæ. Neque maritus tales fundos dotales, etiam cum consensu uxoris, alienare potest, nisi mulier biennio exacto, de novo in talem alienationem consentiat, cum elidatur præsumptio de muliere seducta (Nov. 61, cap. 1, § 1), vel nisi alienationi accedat juramentum mulieris, (cap. 28, *de Jurejur.*). At respectu paraphernorum maritus nullo modo fit dominus, sed merus administrator, seu procurator, attamen sine mandato; et licet fructus ex iis collectos possit expendere in usus communes, sibi et uxori (cap. fin. C. *de Pact. convent.*), non tamen eos lucratur, sed, soluto matrimonio, tenetur exstantes, vel male consumptos, cum paraphernis restituere (Menoch., Engl. et alii). Hæc proportionaliter applicanda sunt donationi propter nuptias, quæ imitatur dotes, et, soluto matrimonio, redit ad maritum, vel patrem, aut alium extraneum donantem, sicut dos ad uxorem (§ 8 Inst. *de Donat.*, 97, c. 1 et 2). Jam occasione bonorum extradotalium (dotalia enim alienari prohibentur) quæstio oritur an uxor et maritus ex illis aliquas sibi donationes facere possint. Pro quo sit

II. An valeant donationes inter virum et uxorem?

Resp. 1. Donationes mere liberales, quibus donans efficitur pauperior, inter conjuges factæ, sunt invalidæ de utroque jure (l. I, ff. et c. fin. h. t.), ne conjuges mutuo amore spolientur, ne conjugalis concordia sit venalitia et ne ipsa matrimonia discutiantur et dissolvantur, si non donet is qui posset, ut ait Paulus (l. II eod.); consuetudo tamen moderatas donationes permittit. Porro donatio ista, ex parte donantis, upote invalida, nullam obligationem inducit, ac proinde donatum repeti potest, ita exigente bono publico (l. III, § 10, eod.). At ex parte donatarii rem ex voluntate domini retinentis, nulla est iniquitas, donec res per donantem revocetur, et tunc obligatio est restituendi. Exempla talium donationum vide in ff. h. t. At cæteri contractus ad æqualitatem inter conjuges celebrati, sunt validi, cum alter non fiat pauperior, nec alter ex bonis alterius locupletetur (l. V, § 5, ff. h. t.

Resp. 2. 1° Donationes ob causam extrinsecam factæ, v. g. ob causam necessitatis, commiserationis, pietatis, vel commodi in donantem resultantis, sustinentur : ut si uxor aliquid marito donet pro refectione ædium, pro gradu doctoratus, etc. (vide lib. V, § 14, 15, 40, 43, ff. h. t.); 2° donationes modicæ, v. g. in die natali aut onomastico (l. III, § 3, l. XLII, eod.); 3° donationes inter Augustum et Augustam (l. XXVI, c. h. t.); uxor tamen, vivente patre suo, non

potest omnia sua pretiosa Augusto donare (Konig); 4° donationes remuneratoriæ, modo non sint excessivæ; cum non sint propriæ donationes ex mera liberalitate(l. I, 17, ff. *de Donat.*); 5° repudiatio hæreditatis vel legati facta in gratiam uxoris substitutæ, qua repudians non perdit de suo, sed tantum non acquirit (l. VII, § 13, 14, ff. h. t.); 6° cessio lucrorum ante nuptias facta ex pacto, quia vim habet contractus onerosi; at post nuptias, ubi jus quæsitum est ad lucra communia, non potest fieri talis cessio, quia per illam patrimonium cedentis diminuitur; dos tamen non tradita, uxori remitti potest (l. LVI, ff. h. t. 19, v. *Sed etsi*, c. *de Donat. ante nupt.*).

Resp. 3. 1° Donatio invalida, si non revocetur, morte donantis conjugis convalescit(c. fin. h. t., l. XXIII, § 1, ff. et l. XXV, c. eod.), nam tunc cessat motivum prohibitionis, scilicet ne amor conjugum sit venalitius, dummodo donatio 500 solidos excedens facta fuerit cum insinuatione apud judicem et res donata sit saltem ficte tradita donatario (l. XXIII, ff. h. t.), quo casu etiam fructus rei donatæ fiunt donatarii; quia confirmatio per mortem retrotrahitur ad tempus quo donatum fuit (c. 25, c. h. t. 51.). 2° Morte civili donantis, licet donatio confirmetur respectu fisci, ut is eam revocare non possit, non tamen confirmatur respectu donantis, quia is hodie non sit servus pœnæ; si vero factus est servus hominis, vel religiosus, donatio auctoritate domini vel prælati revocari potest; nisi religio incapax esset successionis : ita hæc statuuntur l. XXIV, cum seq. auth., et l. XXV, c. h. t.

III. Quando dos repeti possit, et quæ veniant in dotis restitutionem?

Resp. 1° Dos regulariter repetitur, soluto matrimonio (c. fin. h. t.), quia cessat causa sustinendi onera matrimonii, nisi conventum sit de dote lucranda (l. X, c. *de Pact. convent.*). Constante autem matrimonio, dos in tribus casibus repeti potest : si maritus sua culpa ad inopiam vergat, si pœnam confiscationis patiatur, si uxor non habeat unde alat liberos prioris matrimonii, parentes, fratres et sorores (l. XXIV, ff. *Solut. matr.*, l. XXXI, eod.), nisi maritus ad inopiam vergens velit dare fidejussores; quo casu judex arbitrabitur an dos remanere debeat apud maritum, vel deponi apud sequestrem, ut is marito fructus det pro sustinendis oneribus matrimonii : ita can. ex c. 7 h. t., licet legistæ velint in casu inopiæ dotem non esse relinquendam marito. 2° In restitutionem dotis venit quidquid maritus dolo, vel culpa lata aut levi, in re dotali fecit (l. XVII, ff. *de Jure dot.*). Si quantitates, vel corpora per modum venditionis æstimata, perierunt fortuito, periculum est mariti, tanquam domini, adeoque æstimationem restituere debet. Si autem res immobilis, vel mobilis non fungibilis, non æstimata per modum venditionis, casu periit, damnum est uxoris, tanquam dominæ, et conseq. non venit in restitutionem dotis. Privilegia dotis vide lib. III, tit. *de Pignor.* 3° In restituenda dote marito competit beneficium seu *exceptio competentiæ*, ne cogi possit in solidum, sed in quantum potest, salva sua honesta et competenti sustentatione (lib. XIII, XV,

ff. *Solut matrim.*), quia inhumanum est ut uxor maritum in paupertatem redigat. Quia vero exceptio ista est personalis, non competit hæredibus mariti, nec directe fidejussoribus. De quo vide in meis Disputat. civil. disput. 19, controv. 2. Cæterum præter dotem, alia bona et lucra quæ quilibet conjugum ex sua pecunia sibi comparavit, non sunt restituenda (l. VI, c. *Si quis alteri.*, l. XII, c. *de Jure dot.*), nisi communiter utrique obvenissent, v. g. ex legato, donatione, etc.; quo sensu procedit cap. 2 h. t.

IV. Cui dos restituenda sit?

Resp. 1° Si ipsa uxor dotem dedit, dos ei, vel ejus hæredibus restitui debet (lib. unic. princ. cod. *de Rei uxor. act.*) 2° Si dos fuit profectitia a patre, vel alio paterno ascendente, et, durante patria potestate, matrimonium solvatur, dos redit ad dotantem, non vero ad hæredes dotatæ, nisi aliter conventum sit (lib. IV, cod. *Solut. matrim.*, lib. X, ff. eod.), nam liberi, licet matri succedant, exclusis ascendentibus, ista tamen successio non est in bonis profectitiis (Reiff., ex nov. 118, cap. 1). At si dotata fuit emancipata, sicut ex consuetudine Germaniæ communiter per nuptias emancipatur, dos redit ad uxorem, vel ejus hæredes (cit. lib. unic. cod. *de Rei uxor.*), quia per emancipationem dos desinit esse profectitia. 3° Dos adventitia cum pacto restitutionis data, redit ad dotantem; secluso tali pacto, remanet uxori, vel ejus hæredibus, quia censetur esse donata (cit. lib. unic., § 15). 4° Si matrimonium bona fide cum impedimento dirimente contractum est, dos uxori, et donatio propter nuptias marito restituitur, excluso beneficio competentiæ (cap. 1 h. t.), nam datum ex causa, causa non secuta, repeti potest in solidum, cum hic cesset reverentia maritalis. At si scienter matrimonium contractum est cum impedimento dirimente, dos et donatio propter nuptias amittitur, et fisco applicatur (lib. IV cod. *de Incest. nupt.*), quæ lex videtur comprehendere omnia matrimonia de jure can. reprobata; nisi consuetudo aliter jura ista interpretetur. Et hæc de restitutione dotis procedunt, sive matrimonium solvatur tantum quoad torum et cohabitationem, sive quoad vinculum per mortem.

V. Quando amittatur dos vel donatio propter nuptias?

Resp. 1. Si ex causa adulterii formalis in specie sua completi fiat divortium, uxor innocens donationem suam repetit, et lucratur dotem; ut hoc modo gravissima injuria per adulterium illata, aliquatenus innocenti compensetur : ita de utroque jure (c. 4, *Plerumque*, h. t., l. VIII, § 4, 5, c. *de Repud.*, nov. 117, c. 8, § 2). Quæ tamen jura pœnalia non extenduntur ad oscula, tactus et alias causas ex quibus fit divortium : imo probabilius nec ad casum copulæ sodomiticæ, utpote non expressum. Recte tamen Clar., Far., Reiff. et alii dicunt huic pœnæ esse locum, si in matrimonio putativo committatur adulterium, quia est formaliter tale, licet deinde detegatur impedimentum dirimens. Neque jura ista extenduntur ad bona parapherna uxoris, quia non sunt dos.

Nomine *dotalitii,* in cap. 4 h. t., venit vel donatio propter nuptias (Sanch. et alii), vel ususfructus dotis loco constitutus, vel pretium, et æstimatio dotis datæ in rebus eodem numero, pondere et mensura constantibus.

Resp. 2. Cessat amissio dotis vel donationis propter nuptias in casib. seq. : 1° si adulter reconcilietur innocenti, sive ante, sive post sententiam divortii reconciliatio facta sit; siquidem c. 4 h. t. casus reconciliationis expresse et indistincte excipitur; 2° si uterque sit reus adulterii, quia tunc pœna mutua compensatione tollitur (cap. 5 et fin., *de Adult.*, l. XXXIX et XLVII, ff. *Solut. matr.*); 3° si maritus consensit in adulterium uxoris, vel leno fuit (cit. lib.); 4° si exstent liberi ex eodem vel priori matrimonio; tunc enim proprietas dotis eis cedit et ususfructus manet penes innocentem, quandiu vivit (Nov. 117, c. 8, vers. *Si enim filios*).

TITULUS XXI.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

Soluto quoad vinculum matrimonio, transiri solet ad secundas nuptias, quarum nomine veniunt etiam tertiæ et ulteriores; suntque per se non tantum validæ, sed et licitæ omni jure : *naturali,* quia soluto vinculo et jure conjugali, nullum obstaculum est corpus suum alteri tradendi ad usum conjugalem; *divino*, quod insinuat Apostolus (I Cor., VII, 39); « Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat; » *ecclesiastico,* ex toto h. t., quæ jura quotidiana praxi firmata sunt. Illustre est exemplum de quo meminit Menoch. quod quædam femina, tempore Damasi papæ, successive vigesimo viro nupserit, qui antea viginti quinque uxores sepelierat. Erant tamen in Ecclesia orientali certæ causæ ob quas tertiæ et ulteriores nuptiæ non facile admittebantur, prout notat Spondan. et alii ex can. 8 et seq., 32, q. 1, etc.

I. Quid requiratur ad hoc ut secundæ nuptiæ rite contrahantur?

Resp. 1. Notitia moraliter certa de obitu prioris conjugis : c. 19, *de Sponsal.,* ubi requiritur nuncium certum, puta in genere neutro, seu relatio certa de morte conjugis prioris, et c. 2 h. t.

Lucius III rescribit christianis in captivitate positis : « Id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet quod ab hac vita migraverit conjux ejus. » *Constare* autem est *notum certo esse*. Ratio est, quia probabilis notitia non sufficit ad secundas nuptias : tum ne jus certum per incertum tollatur; tum ne irreverentia priori sacramento inferatur, et secundum invalide attentetur; tum quia præsumptio de vita est fortior, donec contrarium certo probetur (l. fin., c. *de SS. Eccl.*). Ita explicatur can. 1, cum seq. 34, q. 1. Nec obstat c. fin., § *Porro, ut lite non cont.*, nam ibi *verisimilis notitia* requiritur, ne conjugi alteri absenti defensio exceptionis præcludatur contra judicium quo matrimonium ob impedimentum dirimens dissolutum fuit.

Resp. 2. Notitia certa coram judice ecclesiastico probanda est per indicia moraliter certa, uti sunt : 1° si parochus testetur quod mortuum conjugem sepelierit; 2° si id testetur magistratus politicus, militaris, vel notarius publicus; 3° si duo testes de visu deponant de obitu illius, quod interfuerint ejus morti, sepulturæ, aut viderint ejus sepulcrum. Ipsa tamen pars matrimonium petens non admittitur pro hoc testimonio, cum generaliter in propria causa nemo sit testis idoneus (lib. X, ff. et lib. X, cap. *de Testibus*); 4° si præter unum testem de visu adsint alia indicia verisimilia mortis, v. g. quia maritus fuit senex, æger, constitutus in periculosa navigatione, vel loco peste infecto, vel in pugna ubi multi perierunt, vel si testes deponant, ex fama, quod hoc audiverint a majori vel digniori parte civitatis aut legionis, etc. Secus sola fama sine adminiculis non probat; uti nec unus testis, quia vox unius, vox nullius (c. 10, in fin., l. IX, c. *de Test.*). Excipit Sanchez casum quo conjugis obitus dicitur accidisse in loco valde remoto, unde probatio sperari non possit : si enim plena probatio non speratur, sufficit probatio ex conjecturis (l. V, § 6, ff. *de Re militar.*; Schmalz. et alii).

Resp. 3. Habita certitudine morali, parochus, nulla ordinarii licentia petita, assistere potest matrimonio : nam tali casu habet licentiam copulandi a jure datam, et cum certus sit, certiorari ulterius non debet, per reg. XXXI in 6°. In dubio autem recurret ad ordinarium, cujus judicare est de sufficientia indi-

ciorum. Quod si ordinarius videat probationem non usquequaque esse plenam, defert juramentum conjugi quod non sciat, neque credat conjugem amplius vivere (Reiff.).

Resp. 4. Si post matrimonium bona fide contractum conjux moraliter certo resciat priorem conjugem adhuc vivere, illico abstinere debet ab omni usu matrimonii; quia hoc ob impedimentum ligaminis est invalidum, etsi nullitatem matrimonii statim probare nequeat (c. 1, in fin. 34, q. 1, c. 2, h. t.). Si vero conjux, quo vivente, matrimonium contractum est, jam mortuus fuit, matrimonium novo consensu convalidandum erit, et tunc licebit eo uti. Si dubium oriatur, eadem observanda erunt quæ dixi tit. I, n. 48.

II. An benedicendæ sint secundæ nuptiæ ?

Ante resp. nota benedictiones nuptiales, aliasque cæremonias, quæ fiunt ad honorem hujus sacramenti et gratiam conjugali statui necessariam impetrandam, licitas omnino et honestas esse, ut sub anathemate definit Trid., sess. 24, can. 2. Danda autem est benedictio primis nuptiis ex præcepto Ecclesiæ, quod, secluso contemptu, non videtur graviter sub mortali obligare, cum Trid. potius hortetur ad illam recipiendam, quam graviter præcipiat (ibid., c. 1, *de Ref. matr.*, et conseq. consummatio matrimonii ante benedictionem susceptam non videtur excedere veniale peccatum. Spectat vero benedictio ista ad parochum proprium; secus alius sacerdos, qui sine licentia parochi ausus fuerit benedicere nuptias, ipso jure incurrit suspensionem, donec ab ordinario illius parochi absolvatur. Vide supra tit. III, n. 26 (1).

Resp. 1. Cum jus commune non sit certum circa benedictionem secundis nuptiis impertiendam, attendi debent consuetudines, statuta et ritualia cujusque diœcesis. Sunt autem hic variæ sententiæ (2). Prima docet secundis nuptiis nunquam dari

(1) In sententia valde probabili eorum qui benedictionem sacerdotis censent esse collativam gratiæ sacramentalis, hæc doctrina auctoris admitti nequit (edit. Girald.). Quid sentiendum de hac sententia « valde probabili ! » jam pluries diximus.

(2) Vide notam clar. Gardellini ad decretum S. Congr. Rit. die 27 aug. 1856. Ipsa S. Congr. declaravit benedictionem *annuli* non esse omittendam in nuptiis quæ secundæ dicuntur. Sed Rit. Rom. prohibet secundas nuptias benedicere, et ideo hodie non sunt plures sententiæ.

posse benedictionem ob generalem textum c. 3 h. t., et ideo pœnam suspensionis statutam esse benedicenti (c. 1, eod.; Tabiena, etc.). Secunda docet semper illam dari posse, quia benedictio ista, cum non sit sacramentum, iterabilis est, non obstante c. 3 h. t., cui locus est eo casu quo benedicuntur nuptiæ secundæ, primis constantibus (Lopez). Tertia docet benedictionem non esse dandam, sive vir, sive mulier in primis nuptiis benedictionem accepit, quia pars benedicta trahit ad se non benedictam (Covar et alii). Quarta docet benedictionem esse dandam, si viduus ducat virginem, non vero si vidua transeat ad secundas nuptias. Hæc sententia videtur frequentior in praxi, et pro ea allegari solet S. D., in *Suppl.*, q. 63, a. 2, ad 3. Ratio congrua sumitur ex significatione hujus sacramenti, quæ non ita perfecte salvatur, si mulier sit binuba, quia sponsa Christi est unica Ecclesia, in qua tamen Christus habet plures personas desponsatas. Cæterum cum benedictio impendatur personis, non erit repetenda, si revalidetur matrimonium nulliter contractum.

Resp. 2. Suspensio lata in c. 1 h. t. contra benedicentem secundas nuptias in casu non permisso, videtur restringenda ad casum quo sacerdos benedicit nuptias secundas, primis extantibus, vel existente dubio de morte prioris conjugis, conformiter Trid., sess. 24, c. 1, *de Reform. matr.;* alioquin pœna ista esset nimis gravis, et gravitatem delicti excedens : ita Joan., Andr., Menoch., Sanch., Reiff. et alii : imo Abbas, aliique cum illo, dicunt non esse ibi constitutam pœnam ordinariam, sed specialem pro illo duntaxat casu qui ibi accidit.

III. Quæ sint pœnæ binubentium ?

Nota pœnas istas a jure civ. introductas esse duplicis generis : aliæ sunt pœnæ proprie dictæ, que statutæ sunt in odium et vindictam præmaturi transitus ad secunda vota; aliæ sunt pœnæ improprie dictæ, seu substractiones favoris sub conditione concessi : si conjux ad secunda vota non transiverit, idque in favorem et utilitatem liberorum ex priori matrimonio existentium; adeoque illis non existentibus cessant (l. III, § 1, c. h. t.).

Resp. 1. Pœnæ primi generis proprie dictæ, latæ contra viduam intra annum luctus nubentem, sunt quinque : 1° Infamia,

qua notatur tam mulier quam vir eam ducens, et quidem ipso jure (l. I, c. h. t.; l. I, § 2, ff. *De his qui not. infam.;* l. XV, c. *Ex quib. caus. infam. irrog.*), ut evitetur turbatio sanguinis et incertitudo prolis. Quæ ratio cessat in viduo, ac proinde is citra infamiam quandocumque ad secunda vota convolare potest. 2° Incapacitas disponendi, ne mulier plus tertia parte bonorum titulo dotis, vel per ultimam voluntatem, in maritum transferre possit, sed duæ partes manent prioribus liberis, vel aliis legitimis hæredibus, atque ita mulier partim testata, partim intestata decedat (lib. I, eod. h. t.) : idem dic de donationibus, cum non convalescant nisi per mortem. 3° Incapacitas obtinendi hæreditatem, legatum, fideicommissum, mortis causa donationem ab alio quam marito secundo (ibid.). 4° Amissio omnium eorum quæ prior vir sibi reliquit titulo hæreditatis, legati, aut alio simili (cit. l. I et II, eod.); quæ bona cedunt consanguineis viri primo vel secundo gradu conjunctis, et, his deficientibus, fisco. 5° Incapacitas succedendi ab intestato consanguineis ultra tertium gradum (ibid.). Unde mulier non succedit filio patrui, quia est in quarto gradu secundum jus civ. quod in successionibus observatur. Pœnæ istæ non extenduntur ad virum binubentem, cum in hoc non currat eadem ratio (l. IV, c. *Ad S. C. Tertull.*, nov. 22, c. 22). (Ita jus antiquum.)

Resp. 2. Pœnæ secundi generis improprie dictæ sunt pariter quinque : 1° Amissio dominii directi eorum quæ ex liberalitate vel ultima voluntate mariti ad eam pervenerunt, ita ut retineat solum usumfructum, et proprietas cedat prioribus liberis (lib. III et VI, § 1, c. h. t.) : idem dic de viduo (lib. V pr. et § 1, eod.). 2° Incapacitas plus dandi marito, quam uni ex liberis etiam in minima portione, legitimam tamen adæquante, l. VI, X, pr. eod.), ne insano amore novi conjugis capta, plerasque facultates in eum effundat. 3° Amissio tutelæ liberorum (l. II et *Auth. Sacramentum,* c. *Quando mulier. tut. offic.*); imo si a judice non petierit tutorem liberis dari, incidit in pœnas nubentibus intra annum luctus constitutas (auth. eisdem, c. eod., nov. 22, c. 40, v. *Ideoque*). Quæ tamen dispositio non extenditur ad exsecutionem testamenti, quia in odiosis arg. a tutela non valet ad testamentum. 4° Privatio educationis liberorum, qui apud alium educari debent (l. I, c. *Ubi pupill. educ.*,

nov. 22, c. 38). 5° Amissio honoris et privilegiorum quibus gaudet vidua, quatenus fingitur esse sub præcedenti matrimonio (l. fin., c. *de Bon. mater.;* l. XIII, c. *de Dignit.;* nov. 22, c. 36). Unde si mulier quæ vi matrimonii facta est principissa, nubat marito inferioris conditionis, perdit nomen et prærogativas principissæ. (Ita jus civile antiquum seu Romanum.)

Resp. 3. Non tantum infamia, sed probabilius etiam reliquæ quatuor pœnæ primi generis sublatæ sunt per jus can., c. 4 et fin. h. t. : ita comm. contra Cynum, Olivam, Barbos.; nam licet in cit. capitulis mentio expressa fiat solius infamiæ, tamen ratio ibi adducta generaliter procedit de cæteris pœnis proprie dictis, quia puniri non debet qui non delinquit, sed utitur jure suo; sed vidua intra annum luctus nubens non delinquit, sed utitur jure sibi concesso a natura, Christo et Ecclesia; ergo. Nec obstat quod leges civiles ex fine suo sint honestæ : nam ex alio capite rejiciendæ veniunt, quia nimis restringunt libertatem et commoditatem acquirendi matrimonii per se liciti, et a Christo concessi : fovent periculum incontinentiæ præsertim in viduis junioribus, quas Apostolus vult nubere; ergo merito dicuntur per Ecclesiam sublatæ.

Resp. 4. Pœnæ secundi generis manent in suo robore : nam nullibi per jus can. reperiuntur sublatæ; ergo cur stare prohibeantur? enim favores isti, et lucra ex mariti facultatibus quæsita concedi possunt sub conditione non mutandi statum vidualem. Consuetudo tamen in plerisque regionibus jura ista temperavit, quia sæpius pupillis melius est vivere in domo vitrici, quam egere cum matre vidua.

Resp. 5. Vidua intra annum fornicans incurrit pœnas primi generis; cæteras vero incurrit, quandocumque post annum luctus fornicetur : nov. 39, c. 2, § 1, ubi ratio additur : « Non enim aliquid amplius habebit castitate luxuria. » Neque pœnæ istæ respectu viduæ fornicantis sublatæ sunt per jus can., cum hoc de solo matrimonio loquatur. Item probabile est quod etiam viduus fornicans privetur proprietate bonorum quæ titulo lucrativo ab uxore accepit; siquidem in hoc puncto, et ratione allata, viduus et vidua æquiparantur. Porro quia respectu fornicationis omnes istæ pœnæ sunt proprie tales, utpote ob delictum statutæ, non incurruntur ante sententiam, saltem

declaratoriam criminis; quæ declaratio non est necessaria respectu secundo nubentis; cum secundo nubere non sit delictum (1). (Ita jus civile antiquum.)

TRACTATUS

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

Cum de hac materia, scitu maxime necessaria, nullus specialis in jure titulus existat, merito illam ad finem hujus libri rejeci. Et quamvis more meo succincte procedam, nolui tamen aliquid ex necessariis omissum. Fusam, variisque exemplis illustrem tractationem scripsit Pyrrhus Corradus in praxi dispensationum apostolicarum lib. VII et VIII, per tot., ubi de dispens. matrimonialib. docte secundum stylum Curiæ Romanæ agit. Videri etiam possunt moderni, eum sequentes, Reiff. hic in appendice, Schmalz., tit. *de Matrim.*, contr. § 4 et seq. (2).

(1) An viduæ ex defuncto marito gravidæ licite ineant secundas nuptias ante partum, fuse examinat, tenetque negativam in suis Disquisitionibus et in Theologia Amort.

(2) Hic varia referre genera dispensationum oportet, ut innotescat terminologia quæ materiæ dispensationum propria sit :

1° Dispensatio quam vocant *pro foro interno*, seu *pro foro conscientiæ* (seu etiam *pro foro poli*), ea est quæ petitur fictis nominibus, quæque efficit ut impedimentum sit sublatum.

Opponitur dispensationi quæ dicitur *pro foro externo*, seu *pro foro fori*, atque petitur expressis oratorum nominibus, efficitque ut matrimonium valide contrahi et valide contractum esse probari possit coram judice ecclesiastico.

2° Dispensatio data dicitur *in forma gratiosa*, quando superior ecclesiasticus rogatus fuit ut per se ipsum dispensationem oratoribus directe applicet. Si vero facultas dispensandi alteri committatur, dispensatio dicitur concessa *in forma commissoria*. Hæc dispensationis applicatio dici solet *fulminatio*, quæ est executio stricte sumpta. Tamen, ut videbitur § IV, exsecutio latius sumitur, quatenus complectitur verificationem precum, obligationum impositionem, fulminationem ipsam dispensationis et tandem acceptationem gratiæ dispensationis ex parte oratorum.

3° Datur *in forma ordinaria*, cum certa pecuniæ summa seu taxa (vel componenda) solvenda sit. Si vero taxa pecuniæ non exigitur, dicitur *in forma pauperum*.

§ I. *Quis dispensare possit in impedimentis matrimonii.*

I. An et in quibus impedimentis Papa dispensare possit?

Resp. 1. Papa dispensare potest in omni impedimento tantum impediente, modo tamen diverso : nam in impedimento juris ecclesiastici, etiam absque ulla causa, valide dispensat, cum sit conditor juris : c. 4, *de Concess. præb.,* ibi : « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare. » Ut tamen dispensatio sit licita, plerumque requiritur justa causa. At si impedimentum impediens sit juris naturalis, uti est *votum simplex castitatis, religionis et sponsalia,* ad valorem dispensationis requiritur justa causa ; tum quia Papa est inferior jure naturali : inferior autem sine justa causa non dispensat valide in jure superioris (can. 4, *Inferior,* d. 21, c. 16, *de M. et O;* Clem. 2ª, *de Elect.,* in 6º); tum quia ex voto jus quæsitum est Deo, et ex sponsalibus alteri sponso : Papa autem jus tertio quæsitum tollere nequit sine justa causa ; ergo. At si justa et gravis causa adsit, irritare potest consensum in voto vel sponsalibus datum, cum consensus nostri fiant dependenter ab ejus voluntate, salvaque ipsius auctoritate : qua irritatione facta, indirecte tollitur obligatio juris naturalis, utpote non habentis materiam super quam cadat (1).

Resp. 2. Papa dispensare potest in omni impedimento dirimente juris ecclesiastici ; nam hoc jure est superior, ut dixi. Et quamvis ad valorem hujus dispensationis absolute nulla justa causa requiratur, si Papa ex plenitudine potestatis velit agere, ad licitatem tamen et honestatem tanto requiritur causa gravior, quanto gravius est impedimentum, ut dicetur. Talia impedimenta sunt : ætas infra pubertatem, modo adsit usus rationis, conditio servilis, cultus disparitas, cognatio legalis, spiritualis, carnalis extra gradum primum lineæ rectæ, affinitas, ordo sacer, raptus, clandestinitas, crimen ex adulterio vel conjugicidio, etc.

Resp. 3. Papa regulariter dispensare nequit in impedimentis de jure naturali dirimentibus matrimonium, ut sunt : ætas usu

(1) Amort cum pluribus aliis defendit dispensationes pontificias se tantum extendere ad vota dubii valoris et leges dubiæ extensionis circa casus particulares. (Communis sententia et praxis hanc restrictionem non admittit.)

rationis destituta, impotentia perpetua, consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, error circa individuum personæ, ligamen seu vinculum matrimonii consummati; nam ad hæc relaxanda non constat Papæ datam esse a Deo potestatem. Dixi : *regulariter;* nam duo impedimenta, scilicet ligamen matrimonii rati et professio religiosa, licet sint juris naturalis, probabilius ab eo relaxari possunt, ut suis locis dixi.

II. An episcopus dispensare possit in impedimentis matrimonii?

Resp. 1. Episcopus in impedimentis de jure ecclesiastico impedientibus dispensare potest : ita comm. ex c. 2, *De eo qui cognov.*, cujus dispositionem extendi ad cætera impedimenta impedientia declarat consuetudo fere omnium Ecclesiarum, excepto interdicto quod superior episcopo posuit. At in impedimentis de jure naturali impedientibus episcopus dispensare non potest, puta in voto perpetuæ castitatis, religionis et sponsalibus : nam tale votum est Papæ reservatum in extravag. 5, *de Pœnit. int. com.;* jus vero quæsitum ex sponsalibus inferior principe ecclesiastico tollere nequit. Unde stante justa causa, licet episcopus suadere possit ut, v. g. sponsa remittat jus suum, tamen, ea renuente, illud jus ex sponsalibus quæsitum cassare nequit, sed opus est recursu ad Papam. Votum continentiæ imperfectæ, v. g. continendi ad certum tempus, non nubendi, sacros ordines suscipiendi; item votum conditionale et pœnale relaxari potest ab episcopo, cum non sit reservatum, ut dixi lib. III, tit. *de Voto*. Item in casu necessitatis, dum res moram non patitur, potest episcopus dispensare in voto continentiæ perfectæ, ut ex dicendis.

Resp. 2. Episcopus, spectato jure communi, non potest in foro externo dispensare in impedimentis jure ecclesiastico dirimentibus matrimonium : ita comm., nam nullo jure constat talem potestatem episcopis et aliis prælatis Papa inferioribus datam esse. Excipe, nisi adsit speciale privilegium papale ad dispensandum in quibusdam impedimentis dirimentibus; quale obtinere et de quadriennio in quadriennium renovare solent episcopi Germaniæ, ut dispensare valeant, v. g. in impedimento publicæ honestatis, criminis sine machinatione, compaternitatis spiritualis, consanguinitatis, et affinitatis in

tertio aut quarto gradu, cum pauperibus et miserabilibus tantum, cum hæreticis conversis ad perseverandum in matrimonio contracto; dummodo primus gradus nullo modo attingatur, etc. Simile privilegium, imo amplius habere solent Sedis Apost. legati, vi cujus potestatem istam et episcopi et legati exercent, ut delegati pontificii. Porro tali casu, quo episcopi et alii privilegiati dispensant in foro externo in impedimentis dirimentibus, eadem, quæ in Curia Romana, requiritur et sufficit causa ad valorem dispensationis (1).

Resp. 3. Episcopus pro foro interno dispensare potest in impedimentis dirimentibus, in quibus regulariter dispensari solet, dummodo, præter causam sufficientem, occurrat simul casus urgentissimæ necessitatis, moram non patiens, ita ut facile recurri non possit ad Papam : ita comm. sententia contra Sotum et alios paucos; nam pia mater Ecclesia, cujus regimen est suave, pro tali casu necessitatis, saltem tacite talem facultatem concedit episcopis, tanquam pastoribus ordinariis : tum quia quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, reg. II, *In antiq.;* tum quia episcopis conceditur facultas dispensandi in observatione festorum, jejuniorum (cap. 2, *de Observ. jejun.*), irregularitatibus occultis (Trid., sess. 24, cap. 6, *de Reform.*). Ergo ex paritate rationis et interpretatione consuetudinis, etiam pro casu necessitatis eis conceditur facultas dispensandi in foro interno in impedimentis dirimentibus, non tantum ad perseverandum in matrimonio contracto, v. g. quia urget periculum incontinentiæ vel alterius gravis mali; sed etiam ad illud contrahendum, v. g. in articulo mortis, propter legitimandam prolem, vel avertendum scandalum, quia jam omnia parata sunt ad solemnitatem nuptialem, etc.

(Bened. XIV, lib. IX *de Synod. diœc.,* c. II, n. 1, 2 et 3, præter difficultatem recurrendi ad Papam, ex unanimi sententia

(1) Vide indultum quod solet conferri singulis annis, die 15 nov., episcopis Galliæ et quarumdam aliarum regionum. Facultates enumeratæ in illo indulto possunt communicari vicariis generalibus, speciali (non autem generali) delegatione singulis annis renovata. In dispensationibus datis virtute illius indulti (et aliorum omnium) requiritur ut dispensans mentionem faciat delegationis apostolicæ.

Præter illam facultatem singulis annis concessam, plura alia dantur indulta, etiam ordinaria (triennale, quinquennale, præter extraordinaria pro secundo gradu consang., primo gradu affinitatis, etc.

DD. ibid. citatorum, refert alias quinque circumstantias in quibus, *nisi simul concurrant* una cum difficultate recurrendi ad Sedem Apostolicam, episcopus nequit dispensare super impedimentis dirimentibus in matrimonio jam contracto, scilicet: 1° ut idem matrimonium contractum sit in facie Ecclesiæ, omnibusque adhibitis solemnitatibus; 2° ut contractum fuerit bona fide ex juris aut facti ignorantia; 3° ut sit consummatum; 4° ut impedimentum sit occultum; 5° ut non possit fieri separatio sine scandalo; addens super quod « si impedimentum, ante occultum, postea detegatur et deducatur ad forum contentiosum, opus sit nova dispensatione a Summo Pontifice impetranda ». Quoad dispensationem vero dictorum impedimentorum pro matrimonio contrahendo, cum tales urgent circumstantiæ, ut nec Papa consuli, nec matrimonium, ad quod omnia sunt disposita, differri possit sine scandalo et paratorum ad nuptias infamia, licet hanc facultatem asserant episcopo DD. ibidem cumulate relati in impedimentis occultis, illam tamen communi fere calculo eidem denegant in publicis. Imo, sunt verba Benedicti: « Sac. Urbis Congregationes, Concilii videlicet ac supremæ Inquisitionis, non semel proscripserunt, tanquam falsam et temerariam, propositionem asserentem episcopo jus dispensandi super impedimento dirimente publico quod obsistat matrimonio contrahendo, etiamsi gravis urgeat illud contrahendi necessitas; ut videre est apud Joann. Baptist. Rigantium... tomo IV *Commentar. in regul. Cancel.*, in notis ad regul. XLIX, n. 1 et 2, ubi S. Congr. responsa summa diligentia congesta..... referuntur (1). »)

1° Hæc potestas, cum sit jurisdictionis ordinariæ et necessariæ, competit etiam capitulo, sede vacante, non tamen vicario generali episcopi, nisi ei specialiter committatur (argum. Trid., sess. 24, cap. 6, *de Reform.*), quia in generali mandato non veniunt casus speciales et extraordinarii, per reg. LXXXI in 6°. 2° Hæc potestas dispensandi in casu extraordinario et necessitatis potest ab episcopo delegari cuicumque idoneo clerico, ut communis cum praxi tenet contra Bald., Felin. et alios; nam talis dele-

(1) Confirmatur ex declaratione S. Pœnitent. 18 aug. 1872, relata a S. Congr. Conc. *in Ferrarien.* 22 janv. 1881. Notandum est quod omnis consuetudo contraria non valet. (Vide Bened. XIV, *de Syn. diœc.*, l. IX, c. II).

gatio nullo jure prohibetur, sive particularis sit pro uno casu, sive generaliter committatur pro omnibus similibus casibus; sed, ut ante dixi, tantum pro foro conscientiæ; adeoque si postea detegatur impedimentum, recurri debebit ad Papam. Doctrina ista applicatur etiam voto continentiæ perpetuæ occulto, in quo episcopus, vel ejus delegatus, pro casu urgentis necessitatis, dispensare potest. 3° In dubio an opus sit dispensatione, attendi debent motiva et præsumptiones : et quidem si præsumptio stet pro libertate, episcopus declarabit non subesse impedimentum : si vero præsumptio stet pro impedimento, episcopus declarabit illud subesse, neque dispensabit, nisi casus sit occultus et necessitas urgeat. Sic ex coitu præsumitur affinitas, licet alter dicat semen fuisse effusum, etc.

III. An regulares dispensare possint in impedimentis matrimonii ?

Resp. 1° Pro foro externo nullo modo possunt; imo regulariter nec pro foro interno in casu urgentis necessitatis, in quo episcopus dispensare valet : nam talem facultatem regularibus fuisse concessam, ex nullo constat privilegio. An vero in voto continentiæ dispensare possint, vide dicta lib. III, *de Voto*. 2° Privilegium Leonis X, quo Augustinianis per totum orbem existentibus conceditur facultas dispensandi cum his qui in primo gradu affinitatis occultæ contraxerunt scienter vel ignoranter, ut perseverare possint in matrimonio, multi dicunt esse existentiæ dubiæ, vel non usu abolitum, vel intelligi de affinitate superveniente. Quidquid sit de his sententiis doctorum, qui, ut opinor, privilegii tenorem non inspexerunt, alii tamen se illud vidisse et legisse testantur et Pragæ novissime defensum fuit, ad quod impressum te remitto. 3° Regulares ad petendum debitum dispensare possunt in affinitate superveniente ex copula illicita, uti etiam in voto castitatis consequente vel antecedente, cum quo matrimonium illicite contractum est : ita comm. scriptorum Regg., ex variis privilegiis Summorum Pontificum Julii II, Martini V, Pii V, etc.; Sayr., in *Clav. reg.* l. VI, c. II, Sanch., Salmant., etc., nam non dispensatur simpliciter in voto castitatis, sed præcise ad hunc effectum, ut debitum peti possit. Si maritus cum consanguinea uxoris in

primo vel secundo gradu incestum committat et ignoret ex tali delicto sequi privationem juris petendi debitum, in probabili sententia privationem istam non incurrit, quia pœna canonica ab ignorante non incurritur : privatio autem ista videtur esse pœna; si tamen confessarius ea potestate pollet, tutius faciet dispensando cum illo ad petendum debitum : reddere autem debitum tenetur, ne pars innocens delicto alterius prægravetur.

§ II. *De causis dispensationum matrimonalium.*

I. Quæ sint justæ causæ dispensandi in impedimentis matrimonialibus ?

Resp. 1. Præcipuæ seq. : 1° Bonum pacis, quo nomine veniunt, non tantum fœdera inter regna et principes, sed etiam exstinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium, scandalorum et aliorum peccatorum : gravitas autem ista determinanda est ex prudenti arbitrio judicis. 2° Prærogativa dignitatis regum et magnorum principum, quæ causa non pertinet ad acceptionem personarum, sed ad bonum commune regnorum et principatuum, ad quorum felicitatem dispensatio ordinatur. 3° Conservatio illustris familiæ in eodem sanguine. 4° Conservatio splendoris familiæ, ne bona dissipentur, ad extraneos devolvantur, præsertim si femina sit hæres, ut consanguineo potius quam extraneo nubat. 5° Excellentia meritorum Ecclesiæ præstitorum, v. g. per insignes labores, pericula, bella contra infideles et hæreticos ; sive bene meritus pro se sive pro alio dispensationem petat, cum Sedes Apostolica bene meritis gratam se exhibere soleat. 6° Defectus dotis competentis, quæ causa dici solet « propter indotatam ». 7° Ætas virginis, si hæc 24 annum excessit et virum paris conditionis reperire nequeat. Hæc causa cessat in vidua. 8° Angustia loci, quia in tali loco cognatio feminæ nimis propagata est, ut alium parem virum habere nequeat, nisi consanguinem vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum. 9° Copula cum consanguinea vel affine præhabita et per imprægnationem vel alio modo propalata, ut consulatur bono prolis, famæ et honori mulieris, et evitetur pœna forensis tali delicto statuta. Hæc causa est una ex urgentioribus, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio ;

dummodo copula non sit patrata sub spe facilioris dispensationis : quæ circumstantia exprimenda foret in supplicatione. 10° Infamia mulieris ex suspicione orta quod illa, suo consanguineo nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa. 11° Ignorantia impedimenti cum quo matrimonium bona fide et publice, servata forma Tridentini, contractum est; quia dissolutio ejus vix fieri potest sine publico scandalo et gravi damno, præsertim feminæ (cap. 7, *de Consanguin.*). At si mala fide sponsi contraxerunt, gratiam dispensationis non merentur (Trident., sess. 24, c. 5, *de Ref. matr.* (1). 12° Generalis causa quandoque in litteris dispensationis apponi solet et vocatur « ex certis et rationabilibus causis »; nam licet adsit causa sufficiens, tamen nulla in specie exprimitur. 13° Ad dispensandum in voto simplici castitatis, præter impossibilitatem moralem illud servandi, dantur etiam causæ ex parte voventis : ut quia leviter emissum est in tenera ætate vel intuitu certæ religionis amplectendæ, ad quam tamen admissio non speratur; vel quia periculum incontinentiæ imminet, vel bonum commune suadet nuptias, etc. Morbus continuus, cui ex medicorum consilio aliter subveniri nequit, nisi per actus venereos, intellige matrimoniales, videtur sufficiens ad relaxandum votum simplex, non vero solemne castitatis religiosæ (Sanch. et alii).

II. Ex qua causa dispensetur in gradu secundo consanguinitatis lineæ transversæ, vel in primo mixto cum secundo aut tertio?

Resp. 1. Ut dispensetur cum regibus et principibus, sufficit sola prærogativa harum personarum, ut habet stylus Curiæ Rom., quia talis prærogativa, ut ante insinuavi, constituit causam publicam : Trid., sess. 24, c. 5 in fine, *de Ref. matr.*, ubi prohibetur ne in secundo gradu unquam dispensetur, « nisi inter magnos principes, et ob publicam causam ».

Resp. 2. Ut dispensetur in secundo gradu cum aliis personis valde illustribus, requiritur una ex sequentibus causis : 1° conservatio familiæ, vel bonorum; 2° insignia merita in Ecclesiam; 3° evitatio gravium scandalorum aut infamiæ mulieris ; 4° ini-

(1) Adde periculum fidei vel matrimonii mixti (S. Congr. de Propag. Fidei, 17 april. 1820, ad archiep. Quebecens.) et matrimonii civilis.

micitiæ lethales; 5° defectus omnis dotis; 6° matrimonium jam bona fide contractum; vel mala quidem, sed quia ex illo jam proles nata est; 7° si concurrant plures causæ ex supra relatis; nam quæ non prosunt singula, multa juvant (arg. l. V, c. *de Probat.*).

Resp. 3. Ut dispensetur in secundo gradu cum opulentis et præcipuis personis alicujus loci, requiritur aliqua ex seq. causis : 1° ætas mulieris, si ei accedat alia causa; 2° defectus dotis; 3° inimicitiæ lethales; 4° præcedens copula, ut famæ mulieris consulatur; 5° causa publica, cui applicetur taxa extraordinaria pecuniæ a dispensatis solvendæ.

Resp. 4. Ut dispensetur in secundo gradu cum plebeis pauperibus requiritur una ex his causis : 1° matrimonium bona fide contractum, præsertim si proles ex eo suscepta sit; 2° si ex incestu cum consanguinea proles suscepta sit, vel præcessit diffamatio de copula, et timetur grave scandalum vel pœna mortis, aut alia gravis tali delicto apposita. Defectus dotis et carentia perpetua matrimonii adjuvat priores causas.

III. Ex quibus causis dispensetur in gradu secundo mixto cum tertio aut quarto, vel in tertio simplici aut mixto cum quarto?

Resp. Sufficit quælibet causa ex iis quæ sufficiunt ad dispensandum in gradu secundo simplici vel mixto cum primo; item ætas mulieris necdum nuptæ, angustia loci, defectus dotis, exstinctio litis magni momenti, et aliæ similes. Ut vero dispensetur in gradu tertio vel quarto, sufficit quæcumque causa ex relatis; quia quo consanguinitas est remotior, eo minor causa requiritur. Ut hi gradus, scilicet secundus et inferiores, regulariter sunt dispensabiles; primus vero inter fratrem et sororem vix unquam dispensari poterit, uti nec aliquis gradus in linea recta ob defectum causæ sufficientis, quæ talem dispensationem, et matrimonium cohonestare posset.

IV. Ex quibus causis dispensetur in impedimento affinitatis?

Resp. 1° In linea recta, inter vitricum et privignam, novercam et privignum nunquam dispensatur; quia vix eveniet causa cohonestans istam indecentiam. 2° In primo gradu lineæ transversæ, ut quis ducat sororem uxoris suæ, dispensatur cum

principibus, raro cum illustribus, cum aliis rarissime. 3° In gradu secundo dispensatur cum præcipuis personis alicujus loci, vel divitibus ex certis et rationabilibus causis, aucta tamen taxa pecuniari causæ publicæ applicanda. Cum taxa vero communi non dispensatur, nisi accedente justa causa, v. g. si puella dote careat, si matrimonium bona fide sit contractum, vel proles suscepta, etc. Ad dispensationem in tertio aut quarto gradu minor causa sufficit. 4° Si affinitas orta est ex copula illicita, dispensat Papa pro foro interno in primo gradu, v. g. ut quis ducere possit filiam cujus matrem antea cognovit : vel econtra; at pro foro externo vix unquam in hoc gradu obtinetur dispensatio, nisi utrique oratori pœna mortis immineat (1). In secundo gradu, utpote infimo, dispensatur ex quavis rationabili causa.

V. Ex quibus causis dispensetur in cæteris impedimentis juris ecclesiastici?

Resp. 1° In publica honestate facile dispensatur ex quavis rationabili causa, cum hoc impedimentum sit unum ex minoribus. 2° In crimine orto ex conjugicidio, si publicum est, nunquam dispensatur ; si occultum, dispensat Sac. Pœnitentiaria, sed ex causa urgentissima. At si impedimentum criminis oriatur ex adulterio, Papa dispensat pro utroque foro ex causa justa : v. g. si oratrix diffamata et innupta maneret ; si proles suscepta, vel matrimonium contractum est, si gravia scandala timentur, etc. 3° In paternitate et maternitate spirituali et legali non dispensatur, nisi ex urgentissima causa : qualis esset periculum vitæ oratoribus imminens ob delictum carnale. At in compaternitate aut commaternitate facilius dispensatur. 4° In impedimento sac. ordinis, professionis religiosæ, matrimonii rati non dispensatur sine gravissima et publica causa; qualis est conservatio alicujus regni vel familiæ valde illustris, conversio regni ad fidem, vel in ea conservatio et propagatio, exstinctio gravis belli, etc. 5° In impedimento metus non solet dispensari, ne dispensatio tendat ad infelices exitus ; bene vero in raptu ex gravi causa, si rapta constituta in potestate rap-

(1) In foro externo ejusmodi personæ reæ, non attenta dispensatione pontificia, extremo supplicio afficiuntur in territoriis dominio Papæ non subjectis. (Edit. Girald.)

toris sponte in illum consentiat. 6° In impedimento disparis cultus ex causa publica dispensatur, modo absit periculum perversionis.

VI. Quando causa *propter indotatam* sufficiat ad dispensationem ?

Resp. Sufficere in seq. casibus : si femina vel nullam dotem habeat, vel adeo tenuem, ut innupta remanere, vel inæquali nubere deberet ; vel pater legitimam, aut dotem competentem dare non possit salva sua sustentatione ; vel si dos, quæ formosæ feminæ sufficeret, alteri ejusdem conditionis ob deformitatem non sufficit; vel si propter intricatam litem periculum est ne femina bonis suis privetur; vel si dos sufficiat ad nubendum extra patriam, non vero in patria. At contra tenuitas dotis non est causa sufficiens dispensandi, si parentes sint divites, atque ita dotem competentem dare possint et debeant; nisi pater tenacitatis vitio laborans nimis diu differret dotationem, atque ita obesset filiæ, ut alius, præter consanguineum, nollet eam ducere. Cæterum nihil refert an vir consanguineus dicat se velle dotare feminam, an vero alius cum conditione ut huic consanguineo nubat, quia mendacium circa dotantis personam non mutat causam finalem dispensationis.

VII. An veritas causæ finalis requiratur ad valorem dispensationis?

Hic recole dicta lib. I, tit. *de Rescript.*, § 3, et dicenda lib. V, *de Privileg.*, cum hic scitu sint necessaria.

Resp. 1. Ut dispensatio sit valida, causa motiva allegata debet essa vera: nam omnis dispensatio pontificia est expresse vel tacite conditionata, « si preces veritate nitantur » (cap. 2, *de Rescript.*). Si tamen causa impulsiva est falsa et finalis vera, vel si ex duabus causis finalibus, quarum quælibet per se de stylo Curiæ sufficeret ad impetrandam dispensationem, una est vera et altera falsa, subsistit dispensatio, utpote innixa uni causæ finali.

Resp. 2. Valida est dispensatio ex causa quam orator fideliter exposuit, et dispensator bona fide et rationabiliter cogitavit esse sufficientem, licet reipsa non esset sufficiens : ita communior sententia contra Poncium ; nam tales dispensationes sustineri suadet recta et suavis gubernatio fidelium, ut tranquilli-

tati conscientiarum consulatur; tum quia in tali casu vel dispensat Papa, et tunc ratio motiva ab eo cognita sufficienter induxit illum ad dispensandum, ut proinde defectum causæ suppleat ejus voluntas; vel ex commissione Papæ dispensat exsecutor, et tunc Papa et Ecclesia ratum habet quidquid a delegato bona fide et rationabiliter gestum et dispensatum fuerit; ne alioquin actus prælatorum discutiantur, et continuo subsint nullitati; atque ita Ecclesia supplet insufficientiam causæ in hoc negotio arduo, in quo durum est judicare de legitimitate causæ. Hæc doctrina certa mihi videtur in eo casu quo eadem causa proponitur coram Papa et exsecutore : nam si causa ista movere potuit Papam ad dandum mandatum de dispensando, etiam exsecutorem bona fide et circumspecte procedentem movere potest ad faciendam dispensationem.

Dices : 1° Error non debet prodesse actibus; secus validum esset matrimonium quod bona fide contrahitur cum impedimento dirimente. 2° Qui allegant superiorem sine legitima causa dispensasse, audiuntur in Curia Romana. Resp. ad 1. Error in hoc actu circumspecto commissus a prælato suppletur ab Ecclesia ob rationes datas ; non vero error privatorum in matrimonio contrahendo intercedens. Ad 2. Audiuntur quidem, sed ex alia causa, quia forsan dubium est an dispensans recte processerit cum prævia et circumspecta cognitione causæ; imo allegationes istæ plerumque non de necessitate sustinentur, sed ad majorem securitatem hominum scrupulosorum.

Resp. 3. Si dispensatio est *gratiæ factæ*, causa tunc debet esse vera, quando Papa Romæ dispensat, uti fiebat de stylo veteri (c. 20, *de Rescr.*), nam dispensatio ista innititur conditioni causæ : « Dispenso, si causa allegata est vera, » ergo. At de hodierno stylo non solent dispensationes concedi in forma *gratiæ factæ*, sed in forma *gratiæ faciendæ*, hoc est, Papa committit seu dat mandatum exsecutori, ut is, si causam allegatam cognoverit esse veram, dispensationem nomine Papæ impertiatur.

Resp. 4. Ut dispensatio in forma *gratiæ faciendæ* expedita sit valida, requiritur et sufficit adesse veram causam tunc, quando exsecutor a Papa delegatus actu dispensat : ita hodie comm., nam veritas causæ tunc adesse debet, dum fit actualis dispensatio seu ablatio impedimenti; sed ista fit eo tempore

quo exsecutor, sive sit ordinarius, sive confessarius, actu exsequitur mandatum pontificium, prævia cognitione causæ dispensando ; ergo tunc debet esse causa vera, alias dispensatio non erit legitima. Unde 1° non est necesse ut causa sit vera eo tempore quo oratores Romam mittunt supplicationem, sed sufficit si vera sit tempore actualis concessionis (arg. c. 6, *de Consang.*, et c. 9, *de Rescript.*, in 6°), quia clausula, « si preces veritate nitantur, » refertur ad tempus concessionis, seu actualis dispensationis per exsecutorem factæ. 2° Facta per exsecutorem dispensatione, non est necesse ut causa perseveret ad tempus quo oratores gratia dispensationis utuntur et matrimonium contrahunt : ita Sylv., Reiff., Salm. et alii comm. contra Sanch., Hurtado, etc.; nam semel sublato impedimento, istud deinde non reviviscit, sed locus est reg. LXIII in 6° : « Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat a quo non potuit inchoari. » Confir. ab instantiis : si irregularis dispensetur ad ordines et beneficia ex causa paupertatis vel indigentiæ ministrorum, si obstrictus voto religionis amplectendæ dispensetur ex causa debilitatis virium, si conjugata obstricta voto castitatis dispensetur ad usum matrimonii ex causa periculi incontinentiæ, validæ perseverant dispensationes istæ, etsi postea causæ illarum cessent, ut cum comm. notant Salmantic. et alii; ergo etiam valida est dispensatio matrimonii, etsi postea dum matrimonium actu contrahitur, causa ista cesset. Unde si exsecutor calendis maii dispensat ex causa *indotatæ*, seu propter defectum dotis, et interim post factam dispensationem feminæ obveniant insperatæ divitiæ ex donatione, legato, vel alio modo, cessante causa dotis, quæ vera fuit tempore concessionis, valide deinde calendis junii initur matrimonium, cum prius impedimentum non reviviscat.

Dices : 1° Cessante causa, cessat effectus (c. 60, *de Appelat.*); sic enim ex causa debilitatis dispensatus a jejunio quadragesimali, cessante debilitate, tenetur reliquis diebus jejunare. 2° Paria sunt, nullam ab initio causam fuisse et fuisse aliquam, sed desiisse : arg. l. I, § 2, ff. *de Condict.*, fin. caus., ubi datum ex causa, ea cessante, condici potest. Resp. ad 1. Regula ista tunc procedit, quando effectus non est uno actu perfectus et consummatus, sed semper pendet a causa, sicut accidit in dispensationibus tractum successivum habentibus, v. g. in jejunio quadragesimali, ubi virtualiter tot sunt dispensa-

tiones, quot dies, ac proinde causa singulis diebus debet existere; secus redit obligatio jejunandi: econtra in nostro casu effectus dispensationis unico actu est perfectus et consummatus, ac proinde durat, etsi causa cesset, ut patet in exemplis supra relatis. Ad 2. In nostro casu non sunt paria ob rationem mox datam: quia dispensatio in *fieri* tantum, non vero in *conservari*, pendet a veritate causæ; secus, si constante matrimonio causa cessaret, dispensatio esset inutilis. Nec est paritas a condictione sine causa : nam dans ex causa, intentionem suam alligat causæ non tantum præsenti, sed etiam perseveranti: econtra dispensans intentionem suam alligat causæ veræ de præsenti, non vero de futuro perseveranti.

§ III. *De exprimendis in litteris supplicationum.*

Sicut allegatio falsi facit dispensationem obreptitiam, ita omissio veri et necessario exprimendi facit eamdem subreptitiam, ac proinde invalidam. Unde oratores curare debent, ut in supplicatione pro dispensatione omnia exprimant de jure, et hodierno stylo Curiæ Romanæ exprimenda (1).

I. Quæ ex parte impedimentorum exprimenda sint?

Resp. 1. Generaliter exprimi debet impedimentum, desiderium contrahendi matrimonium vel in contracto perseverandi, et una vel altera causa movens ad dandam dispensationem.

Resp. 2. Exprimi debet genus impedimenti, et si plura impedimenta sunt diversæ vel etiam ejusdem rationis, omnia exprimenda sunt probabilius et tutius in eadem supplicatione, non vero unum in una, et alterum in altera, nam concursus plurium impedimentorum reddit dispensationem multo difficiliorem, et aliunde cuique dispensationi tacita inest conditio, « si aliud non obstet; » obstaret autem aliud impedimentum, de quo mentio non est facta: ita Sanchez allegans declarationem S. Congr. et Vinc. de Justis stylum Curiæ Romanæ. Unde 1° exprimi debet consanguinitatis vel affinitatis genus : secus alterum pro altero positum, maxime si affinitas ponatur loco consanguinitatis, invalidam reddit dispensationem. 2° Exprimi debet si sponsus cognovit duas sorores sponsæ, vel si sponsus

(1) In supplici libello pro *foro interno* exponi debent omnia quæ matrimonio obstant, tam publica quam occulta, licet dispensatio petatur super solo occulto; in supplicatione vero pro *foro externo* exprimitur solum impedimentum externum (Corrad., l. VIII, c. VI, n. 78, 79; Van de Burgt, *Disp. matr.*, p. I, c. XXXIII).

ex baptismo suscepit prolem sponsæ, et hæc prolem sponsi, etc. 3° Exprimi debet si concurrunt impedimenta diversæ rationis : ut si oratores sint consanguinei et affines simul, vel laborent impedimento criminis, etc.

Nec obstat quod unum impedimentum tolli possit sine altero, sicut una excommunicatio absque altera; nam ita tolli non solet, quia Papa non intendit dispensare, nisi tota gravitas impedimentorum exprimatur. Secus est in excommunicatione, ad quam tollendam sufficit exponere causam ob quam incursa est.

Resp. 3. Si petatur dispensatio super impedimento consanguinitatis, exprimi debet linea recta vel transversa, gradus æqualis vel inæqualis, an sit secundus, tertius vel quartus mixtus cum primo : nam in gradu propinquiori difficilior est dispensatio, uti etiam in gradu secundo vel tertio mixto cum primo, etc. 1° Si tamen poneretur gradus propinquior loco remotioris, v. g. tertius loco quarti, valeret dispensatio; quia propinquior includit remotiorem. 2° Si gradus quartus concurrat cum primo, exprimendus est, ex const. S. Pii V incip. *Sanctissimus,* 20 augusti 1566, quæ tamen non extenditur ad casum quo gradus quintus concurrit cum primo; quia in tali gradu non est necessaria dispensatio. Si vero gradus tertius concurrat cum secundo, hoc non expresso, valet quidem dispensatio, sed super hoc valore impetrari debent litteræ pontificiæ declaratoriæ hujus valoris, ante quas dispensatio ab exsecutore facta est invalida; ita Corr. cum praxi Curiæ. Opposita sententia Sanch., Gobat., Pontii, Tambur. et aliorum servire potest pro illo casu quo talis declaratio non est necessaria, ut quia nullum timetur scandalum, neque res ista delata est ad forum contentiosum, neque publice constat quod oratores omiserint exprimere gradum tertium mixtum cum secundo; nam, ut ait Engl., litteræ istæ declaratoriæ requiruntur duntaxat ad scandalum tollendum. Nec obstat cit. const. Piana; nam ibi invalidatur dispensatio, si mentio non fiat gradus primi mixti cum secundo, tertio aut quarto. 3° Si copula allegetur pro causa, exprimi debet an habita sit sub spe facilioris impetrationis, et si alia causa allegetur, nihilominus copula publica exprimi debet ex stylo Curiæ, non tamen occulta, quia Ecclesia non videtur velle obligare ad gravem sui diffamationem (San-

chez), Licet autem copula regulariter faciliorem faciat impetrationem, tamen major taxa statuitur ad aliorum terrorem (1).

(Ad majorem claritatem in praxi, notandum quod dispensatio matrimonialis adhuc valida est, licet aliqui conjuncti sint inæqualiter, et expressus fuerit gradus tantum remotior, omisso proximiori, dummodo hic primum non attingat quocumque modo, ex regula ejusdem Pii V in cit. constit. qua declaratoria constit. Pii IV in hac parte derogatum est. In dicta tamen constitutione voluit Pontifex sic dispensatos debere postea obtinere litteras declaratorias super gradu propinquiore reticito, quod scilicet dispensationi non obstat juxta disposita a Greg. XI et Clement. VI, quamvis, his litteris omissis, matrimonium sit validum : conjuges tamen separandi sunt, donec eædem litteræ obtineantur. Ad tramites hujus Pianæ regulæ, ita etiam resolvit Congr. Conc., *in Lucæorien.*, *in Nullit. matrim.*, in *Thes. resolut. ejusdem Congr.* 28 mart. 1722, ubi in calce folii d. diei annectitur eruditissimum votum pro hac validitate Bened. XIV, tunc præfatæ Congr. secret.).

Resp. 4. Si petatur dispensatio super affinitate, exprimenda est linea recta, vel transversa, gradus æqualis, vel mixtus cum primo, ex cit. const. Piana. Cætera servantur sicut in impedimento consanguinitatis. Exprimi etiam debet an affinitas oriatur ex copula licita, quia simul concurrit impedimentum publicæ honestatis. 2° In publica honestate ex matrimonio rato orta exprimi debet gradus : secus si orta sit ex sponsalibus, quia aliunde scitur impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus non porrigi ultra primum gradum (Trid., sess. 24, c. 3, *de Reform. matr.*). 3° In cognatione spirituali exprimi debet an orta sit ex baptismo vel confirmatione, an sit paternitas vel compaternitas. De cæteris impedimentis, præter alias dicta, nihil speciale occurrit adnotandum.

(1) In petitione dispensationis pro *foro externo*, solus incestus *publicus* et sola intentio *publica* exponi debet ; et parochus abstinebit ab interrogandis oratoribus de incestu ejusque intentione, nisi hæc publica, notoria, famosa sint. De necessitate revelandi copulam ad validitatem dispensationis, vide S. Congr. Inq. 1 febr. 1881, quæ decrevit : « Standum decretis S. Offic. 8 aug. 1866 et S. Pœnit. 29 jul. 1869 : Non potest dubitari de invaliditate dispensationis, reticita copula incestuosa. »

II. Ad quod tribunal Papæ dirigenda sit supplicatio (1)?

Resp. 1. Si impedimentum sit publicum, dirigitur ad Datariam, servata consueta forma, vi cujus 1° ponitur salutatio Papæ : « Beatissime Pater. » 2° Per integros characteres, sine abbreviationibus, exprimitur nomen et cognomen oratorum, rejectis diminutivis, v. g. « Joannellus, » etc. Si cognomen in Urbe ignotum sit, per sollicitatorem suppleri potest ex arbore consanguinitatis, v. g. « Exponitur pro parte Joannis nati Francisci, et Annæ natæ Antonii; » ubi etiam omitti potest *natus, nata,* scribendo utrumque nomen per majusculam, v. g. « pro parte Joannis Francisci, Annæ Antonii, » quia si nomen sit continuatum, seu compositum, alterum ex stylo Curiæ scribi debet per minusculam, v. g. « pro parte Joannis Friderici, Annæmariæ. » Si tamen dispensatio petita sit in forma pauperum, defectus cognominum suppleri nequit. Cæterum licet de jure communi error nominis, si de re constet, non noceat, neque vitiet litteras (l. IV, c. *de Testam.*), tamen ex stylo Curiæ Romanæ, ad evitandas multas fraudes, reddit dispensationem obreptitiam, ut notat Corrad., allegato omnium curialium testimonio, nisi exigua mutatio in nomine esset, v. g. Antoninus pro Antonio, Bernardus pro Bernardino. 3° Exprimi debet nomen diœcesis, et si oratores sunt diversarum diœcesium, utriusque diœcesis nomen exprimendum est, quia exsecutio dispensationis plerumque ex stylo Datariæ committitur ordinario, et quidem oratricis. Quod si oratores domicilium distinctum habent a loco originis, et in alia diœcesi habitant, exprimere debent ut litteræ dirigantur ad ordinarium domicilii. Error in nomine diœcesis probabilius ex stylo Curiæ vitiat rescriptum dispensationis, non tamen error in nomine patriæ, cum hæc necessario non sit exprimenda, nisi dispensatio petatur ob angustiam loci, vel ob locum ad littus maris. 4° Exprimitur desiderium contrahendi matrimonium vel in contracto perseverandi, genus impedimenti, causa (2), v. g. :

(1) Vide superius dicta in Prolegomenis de facultatibus tribunalium Datariæ et Pœnitentiariæ.

(2) Taxa seu *componenda* est solvenda occasione dispensationis in impedimento consanguinitatis et affinitatis ex copula matrimoniali. Quoad taxam in cancellariis episcoporum, vide declarat. S. Congr. Conc. 28 jan. 1882.

Beatissime Pater,

Exponitur S. V. pro parte NN. diœc. N. et N. N. diœc. N., quod, cum dicta oratrix (hic ponitur causa) dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, dictus orator, cum dicta dote minus competente oratricem in uxorem ducere intendat. Sed quia tertio gradu æquali a communi stipite proveniente conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt : ideo supplicant quatenus dignetur cum ipsis, ut, impedimento hoc non obstante, matrimonium inter se publice, servata forma concil. Trid., contrahere, ac in eo postmodum remanere libere ac licite valeant, dispensare et proles legitimas exinde suscipiendas declarare.

Hac, vel simili formula utitur Romæ is cui impetranda dispensatio commissa est. Eadem formula servire poterit pro supplicationibus quibus, ab ordinario habente privilegium dispensandi, talis dispensatio petitur. Advertendum tamen est ut ex necessariis nihil omittatur, nec aliquid falsi in causa finali asseratur.

Resp. 2. Si impedimentum est occultum, supplicatio dirigitur ad cardinalem majorem pœnitentiarium, et mandatum dispensationis expeditur in Sac. Pœnitentiaria : et committitur exsecutio magistro in theologia vel sac. canonibus, aut alteri privilegiato. Licet autem dispensatio in Sac. Pœnitentiaria expedita in plerisque substantialibus conveniat cum dispensatione Datariæ, in multis tamen differt : nam 1° dispensatio expedita in Dataria servit pro utroque foro, externo, et interno datur, non tantum ad perseverandum in matrimonio contracto, sed etiam ad illud contrahendum, non obstante etiam secundo gradu consanguinitatis et primo affinitatis ; econtra dispensatio Sac. Pœnitentiariæ servit tantum pro foro interno, ita ut, detecto postea impedimento, non prosit in foro externo ; et si consanguinitas obstet, datur tantum ad perseverandum in matrimonio contracto, et non nisi in gradibus secundo remotioribus. 2° In supplicatione ad Sac. Pœnitentiariam nomina oratorum possunt esse ficta : in fine additur quo responsum, et ad quem dirigendum sit : et si oratores alteri sac. theologiæ vel sac. canonum doctori conscientiam suam pandere renuunt, vel talis in loco non reperitur, addi debet petitio, ut confessarius, cum quo oratores suam habent confidentiam, mandatum seu lit-

teras dispensationis exsequi valeat. Debet autem supplicatio concipi idiomate latino, v. g. :

Eminentissime domine,

Exponitur humiliter E. V. pro parte N. N. laici diœc. N., quod ipse alias vovit se castitatem perpetuo servaturum: quia vero ob carnis infirmitatem prævidet sibi imminere periculum incontinentiæ, nisi uxorem ducat, supplicat sibi votum hoc commutari ad effectum contrahendi matrimonium. Dignetur E. V. responsum dirigere N. N. ad me infrascriptum (Hic ponitur confessarii vel procuratoris nomen) (1).

Si confessarius non est doctor, et orator vult per illum litteras expediri, addat in supplica : « Dignetur E. V. providere ut mandatum dispensationis mihi confessario, cum quo orator habet confidentiam, exsequi liceat. » Foris superinscriptio sine nomine proprio inscribitur :

« Eminent. et reverendiss. D. domino S. R. E. Cardinali majori pœnitentiario Rom. »

Exemplum aliud: Exponitur E. V. quod Titius, qui antea carnaliter cognovit sororem Berthæ, postea hujus impedimenti ignarus (vel *conscius*, sicut res se habet) publica sponsalia contraxit cum Bertha. Quia vero dictum impedimentum est occultum, recessus vero a sponsalibus sine magno scandalo fieri nequit, supplicat dictus orator, ad vitandum scandalum, famæ suæ conservationem et conscientiæ quietem, de præmissis absolvi, et secum dispensari ad contrahendum cum Bertha matrimonium. Dignetur E. V. etc., ut ante.

Aliud : Titius laicus cognovit Bertham sororem Cajæ et ignarus impedimenti, bona fide (vel, si scivit, *conscius impedimenti*) et servata forma conc. Trid., matrimonium contraxit cum Caja, prolesque ex ea suscepit. Jam vero cognito impedimento, statim a copula cessavit (vel *copulam in matrimonio putativo scienter continuavit*, sicut se res habet), et quia circa grave scandalum et prolium incommodum ab ea separari nequit, supplicat quatenus super hoc impedimento occulto, de quo propalando nullus est timor, clementer dispensare E. V. prolesque susceptas et suscipiendas legitimas declarare auctor. apost. dignetur, etc.

III. Quid sit dispensatio in forma pauperum, et quid in ea observandum ?

Resp. 1. Est quæ personis vere pauperibus et miserabilibus gratis datur absque solutione taxæ seu compositionis pecuniariæ in Dataria dari solitæ. Requiritur autem ut personæ istæ sint *vere pauperes*, ita ut ultra sustentationem statui suo competen-

(1) Juxta modernum stylum Pœnitentiariæ Romanæ non admittitur hic modus scribendi : *N. N. manet in periculo incontinentiæ ;* sed scribendum est: *patitur periculum incontinentiæ.*

tem non habeant unde solvere possint taxam pecuniariam. Item, ut sint *vere miserabiles*, hoc est, nulla bona alia habentes, sed præcise *proprio labore* et industria viventes, v. g. ex agricultura, opificio, vel alia arte etiam liberali, ita ut ex hoc suo labore ultra necessariam sustentationem non habeant aliquid superfluum pro taxa solvenda : ita ex decret. Urb. VIII, habet stylus Curiæ, et insinuat consueta clausula : « dummodo ipsi sint pauperes et miserabiles et ex labore, et industria tantum vivant. » Et quia jus istud concipitur in numero plurali, qui in uno non salvatur (l. XII, ff. *de Testib.*), debent esse ambo pauperes et miserabiles, ut communior docet contra Gobat. Tales censentur etiam illi qui fundos ita tenues habent, ut ex iis locatis neque per sextam anni partem, secluso manuum suarum labore, vivere possint : secus, si saltem per sextam anni partem vivere possint absque suo labore, non possunt sperare dispensationem in *forma pauperum,* quia jam non ex labore et industria *tantum* vivunt. Spes de bonis acquirendis, v. g. ex hæreditate, non enervat præsentem paupertatem, quia spes incerta est, neque alit aut vestit hominem.

Resp. 2. Causa paupertatis et miserabilitatis probari debet Curiæ Romanæ attestatione proprii parochi oratorum, et depositionibus duorum vel trium testium, fide dignorum, coram vicario generali episcopi legitime examinatorum, qui dicant oratores esse pauperes et miserabiles, ita ut ex labore et industria sua tantum vivant (Instructio Cur. Rom. 1658, 1671), ne scilicet falso paupertatis prætextu officiales Curiæ pensionibus suis defraudentur (1).

Resp. 3. Motivum dispensationis in forma pauperum est fere unicum, scilicet copula vel rationabilis suspicio copulæ incestuosæ, seu infamia mulieris cum secuturis scandalis conjuncta, nisi matrimonium inter oratores sequatur. De stylo Curiæ Rom. additur, « periculum mortis, » quia pœna ultimi supplicii adhuc alicubi viget contra incestuosos : et licet in loco oratorum non vigeat, tamen S. Sedes illius mentionem facit, quia ab antiquis formulis suis tam facile non recedit.

Resp. 4. Oratores quarto gradu simplici, vel tertio mixto

(1) Utrum paupertas falsa allegata dispensationem irritet? Vide *Le canoniste contemporain*, t. V, p. 57,58; 134-145.

cum quarto conjuncti non tenentur personaliter ad Urbem venire: conjuncti vero tertio gradu simplici, vel secundo mixto cum tertio, si ultra 100 milliaria Italica (quæ faciunt circiter 20 leucas Germanicas) non distent ab Urbe, tenentur personaliter ad eam venire; uti et conjuncti primo gradu mixto cum secundo et tertio, non obstante quacumque distantia et inopia, etsi mendicando illuc ire vel redire deberent: et veniendo Romam tenentur suæ paupertatis testimonium afferre ab ordinario : ita ex praxi et stylo Curiæ docet Corrad., qui tamen addit, Papam ex speciali gratia dispensare cum oratoribus ultramontanis, (hodie cumom nibus) ne personaliter cogantur Urbem accedere.

Resp. 5. Exsecutor litterarum « in forma pauperum » vi clausularum tenetur: 1° oratores, si cohabitent, a se invicem separare (1); 2° imponere eis pœnitentiam publicam, hoc est, talem, quæ facile communitati innotescat ad exemplum et terrorem aliorum; 3° imponere oratori operam personalem ad servitium alicujus ecclesiæ, saltem per tres menses (2), quibus omnibus peractis, tandem dispensabit cum eis; et quidem gratis, alioquin dispensatio erit nulla.

§ IV. *De commissione et exsecutione dispensationum matrimonialium.*

I. Quomodo fiat commissio et exsecutio dispensationis matrimonialis pro foro externo?

Resp. 1. Mandatum, seu litteræ dispensationis regulariter diriguntur ad ordinarium oratorum, seu ad ejus vicarium aut officialem; ita ut alter loco alterius mandatum illud exsequi non possit. Si tamen commissio facta sit sub nomine officii et dignitatis, v. g. « Vener. fratri nostro episcopo Olomucensi, » vel « Dilecto filio nostro (*si non est episcopus*) officiali episcopi Olomucensis committimus, » etc., eam exsequi poterunt successores in illorum officiis. Si autem est personalis sub nomine proprio et exsecutor eam exsequi non valet, ut quia mortuus est

(1) Non a toro tantum, verum etiam ab habitatione (S. Pœnit. 4 jul. 1834), saltem quando separatio quoad tectum est possibilis. Secus sufficeret separatio quoad torum. Violatio illius præscriptionis irritat dispensationem, quæ convalidari deberet (per rescript. *Perinde valere*).

(2) Seu generatim imposita « gravi ac diuturna pœnitentia salutari », juxta statum et necessitatem personæ pœnitentis (Vide Giovine, *de Disp.*, t. II, p. 273, seqq.). Electio pœnitentiæ plerumque relinquitur hodie arbitrio exsecutoris.

vel longe abest, successor in officio eam exsequi non poterit, sed petenda est nova commissio, quæ de stylo Curiæ vocatur *mutatio judicis*. Capitulo, sede vacante, vel ejus vicario non solet fieri commissio, nec ista, utpote vim delegationis habens, transit ad capitulum; sed, vacante sede, viciniori ordinario aut ejus officiali committi solet dispensatio.

Resp. 2. Initium et valor exsecutionis desumitur a tempore *præsentatæ,* seu a tempore quo litteræ exsecutori præsentatæ sunt (arg. c. 12, *de Appell.*), nam delegatus non accipit potestatem, nisi ex litteris præsentatis, visis et recognitis. Unde si ordinarius dispensaret ante præsentatas et visas litteras, etsi sciret eas fuisse ab oratoribus obtentas et expeditas, invalida foret dispensatio : ita ex praxi Curiæ Rom. declaravit Sac. Congr. 12 jan. 1606, conformiter Trid., sess. 22, c. 5, *de Reform.*, ubi dicit dispensationes, etiam in *forma gratiosa*, carere effectu, nisi prius ab ordinario cognoscantur.

Resp. 3. Exsecutor ante omnia diligenter considerabit an litteræ sint conformes stylo Curiæ Rom. solitasque clausulas habeant, quia clausulæ insolitæ plerumque pariunt suspicionem fraudis et doli (t. I, *de Rescript.*). Tum inquiret de veritate causæ : et quidem si inserta est clausula, « si preces veritate niti repereris, » cognitio causæ per modum formæ substantialis, de necessitate, præmittenda est dispensationi : secus ista erit invalida (1). Si vero est clausula, « si preces veritate nitantur, » valebit dispensatio, si causa subsit, etsi exsecutor cognitionem ejus non præmiserit : ista autem cognitio regulariter est extrajudicialis, utpote relicta conscientiæ et arbitrio exsecutoris; nisi adesset contradictor, qui utique citari et acta in scripturam redigi deberent. Porro licet articulus pro capienda informatione necessaria alii subdelegari possit, ipse tamen actus dispensationis non potest subdelegari, sed personaliter ab ipso exsecutore expediendus est : tum quia videtur electa industria personæ, tum maxime quia dispensatio ista videtur esse nudum ministerium, sicut dispensatio super irregulari-

(1) Aliqui minoris notæ putant omissionem informationis non reddere dispensationem nullam, etiamsi reperiatur clausula, « si preces veritate niti repereris » (Apud Tephany, *Disp. matr.*, n. 248). Sed omnino standum est constitutioni *Ad apostolicæ* Bened. XIV, hanc verificationem exigenti.

tate : ac proinde non subdelegabile (c. fin., § *Cæterum de off. deleg.*).

Resp. 4. Absolutio a censuris oratoribus danda fit ad effectum obtinendæ dispensationis, estque *ad reincidentiam*, quia oratores, si qua censura innodati sunt, obtenta ab exsecutore dispensatione, reincidunt in eamdem. Excipe excommunicationem latam per constitut. Gregorii XIV incip. *Sicut antiquitus*, cal. maii 1590, contra incestuosos in primo et secundo gradu consanguinitatis et affinitatis : ab hac enim aliisque pœnis oratores simpliciter absolvi debent.

Resp. 5. Si preces veritate nituntur et aliud non obstat, exsecutor sententiam dispensationis in scriptis conceptam suo nomine subscribet, et juxta formam rescripti dispensans, authenticum sententiæ transumptum tradet partibus, ut, servata forma Tridentini, matrimonium contrahant. Si tamen justa causa adest, poterit ordinarius dispensare in denuntiationibus, quia potestas ista ei non tollitur per rescriptum dispensatorium præcipiens matrimonium contrahi, servata forma Trident. At si exsecutor, causa cognita, repererit aratores laborare alio impedimento non expresso, novæ preces fieri debebunt ad Papam, ut in eo dispenset.

Resp. 6. Si qualitas personæ oratorum ponitur in rescripto, non præcise narrative, ut fieri solet in corpore rescripti, v. g., « ut asserunt, vel asserentes esse nobiles » etc., qualitas ista probanda est coram exsecutore. Ille autem dicitur « nobilis simpliciter », qui abstinet ab his quæ populares tractant; « natus de nobili genere », cujus majores aut saltem parentes nobiles fuerunt; « principalis populi, seu loci », qui in populo, seu loco, auctoritate, potentia et opibus excellit; « honestus », qui honeste et decenter vivit et cujus familia nulla turpitudinis nota laborat.

Resp. 7. Legitimitas prolium post dispensationem suscipiendarum per se sequetur, etsi de illa nulla addatur clausula. At si proles antea natæ sunt ex matrimonio mala fide contracto, regulariter non legitimantur per subsequens matrimonium, nisi Papa expresse deroget dispositioni c. 6, *Qui filii legitim.*, volendo ut spurii per tale matrimonium legitimentur. Secus legitimatio censetur facta in forma rescripti papalis et non vi

matrimonii, proderitque legitimato ad actus spirituales, non vero ad politicos extra territorium temporale Papæ.

Resp. 8. Executor intuitu dispensationis nihil potest petere vel accipere, etiam sponte oblatum, licet essent esculenta et poculenta paucis diebus consumptibilia, sub nullitate dispensationis et pœna excommunicationis latæ sententiæ; nam hoc semper in litteris dispensatoriis exprimitur, ne scil. muneribus excæcatus inique dispenset. Videtur autem pœna ista cessare, si quid, jam expedito actu dispensationis, sponte oblatum accipiatur, quia cessat causa iniquæ dispensationis. Similiter præceptum istud non stringit notarium, cui pro labore in examinandis testibus et in informationibus capiendis licet accipere quartam partem aurei, ut teste Corrado declaravit S. Congr. (1).

Quid præterea exsecutor litterarum *in formam pauperum* facere debeat, dixi supra a n. 28.

II. Quomodo fiat commissio et exsecutio dispensationis matrimonialis pro foro interno?

Resp. 1. Litteræ dispensatoriæ diriguntur a Sac. Pœnitentiaria ad confessarium oratorum cum hac superinscriptione : « Discreto viro confessori, magistro in theologia vel decretorum doctori, ex approbatis ab ordinario per latorem præsentium ad infra scripta specialiter eligendo. » Si qualitas ista adsit, valide aget confessarius observando tenorem litterarum, licet cæteroquin rudis sit; invalide vero confessarius doctus his qualitatibus destitutus, nisi adsit privilegium, quod habent plerique regulares in privilegiis communicantes, ut approbati ab ordinario exsequi possint litteras apostolicas pro foro interno.

Resp. 2. Examen de veritate causæ et tota ista exsecutio de novo stylo fieri debet intra sacramentum pœnitentiæ, et ideo nulli requiruntur testes, sed creditur oratori confitenti de veritate causæ. Si tamen confessarius aliunde quam de confessione sciret preces in litteris allegatas esse falsas, vel aliquid necessarium fuisse omissum, non dispensabit, quia valor dispensationis pendet ex veritate precum, quæ hic deficeret; etsi orator dicat vel opinetur veras esse preces.

(1) 12 aug. 1588.

Resp. 3. Si dispensatur ad remanendum in matrimonio contracto, videri debet an oratores conjuncti sint tantum tertio aut quarto gradu consanguinitatis : nam in primo et secundo gradu nunquam dispensat Sac. Pœnitentiaria ad matrimonium revalidandum; imo si consanguinitas sit occulta, in nullo gradu dispensat ad illud contrahendum, ut patet ex stylo Curiæ. Quod si affinitas sit occulta, ante dispensationem removenda est occasio proxima peccandi : v. g. ut dimittatur consanguinea uxoris putatitiæ, quam orator ante nuptias cognovit carnaliter; vel si dimitti nequit, ita extenuetur periculum peccandi, ut amplius non maneat proximum et formale, neque constituat occasionem proximam peccandi.

Resp. 4. Confessarius, antequam dispenset, præmittet absolutionem a censuris et peccatis in forma consueta : « Dominus noster Jesus Christus, » etc., tum subdet ipsam actualem dispensationem, quæ quibuscumque verbis fieri potest. Consueta sunt ista : « Insuper auctoritate apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento » (hic ponitur genus impedimenti et finis dispensationis ad matrimonium contrahendum vel convalidandum, prolesque legitimandas), v. g. « affinitatis ex copula illicita quamcum sorore tuæ putatæ conjugis antea habuisti, ut, illo non obstante, matrimonium novo consensu contrahere, consummare et in eo remanere licite possis ac valeas. Insuper eadem auctoritate apostol. prolem, si quam suscepisti et susceperis, legitimam fore decerno et declaro. In nomine Patris. »

Resp. 5. Circa pœnitentiam injungendam, si orator pro peccato suo antea in priori confessione non satisfecit, confessarius discrete et prudenter se geret; ita ut, considerata qualitate et frequentia peccati, ac dolore oratoris, eam augere vel minuere possit; confessionem tamen menstruam, dum venit imponenda, non facile sine gravi causa mutabit in bimestrem vel trimestrem. Illa autem dicitur pœnitentia *longa* et *gravis*, quæ durat uno anno, v. g., singulis saltem septimanis per annum recitando rosarium, ut vocant, litanias, septies aut quinquies Pater et Ave, vel eleemosynam dando, aut se flagellando; *diuturna*, quæ simili modo durat saltem per triennium; *gravissima* et *perpetua*, quæ per totam vitam paulo durius premit

pœnitentem, v. g. singulis septimanis semel jejunare, flexis genibus rosarium recitare, etc., in quibus omnibus prudentia opus erit, ut conformiter conditioni personæ opera pœnalia injungantur.

Resp. 6. Factæ dispensationis nulla oratori danda est attestatio, sed litteræ Sac. Pœnitentiariæ statim lacerandæ sunt propter præceptum clausulæ : « præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis ; ita ut nullum earum exemplum exstet. » Notat tamen Reiff. et alii quod confessarius licite possit copiam istarum litterarum transumere pro sua et aliorum instructione; quia verba dictæ clausulæ procedunt de exemplo authentico probationi in foro externo deserviente.

§ V. *De revalidatione matrimonii.*

I. Quomodo, obtenta dispensatione, revalidari possit matrimonium antea invalide contractum ?

Resp. 1. Si impedimentum est notorium, vel per testes probabile, revalidatio fieri debet publice in præsentia parochi et testium secundum formam Trid., sess. 24, c. 1, *de Reform.;* nam nullitas in foro externo nota tolli non potest, neque scandalum averti, nisi per novum contractum publice initum.

Resp. 2. Si impedimentum est occultum et improbabile, revalidatio fieri potest secreto inter ipsum virum et mulierem; quia Trident. dispositio ad hunc casum se non extendit, hoc ipso, quod prius matrimonium in facie Ecclesiæ contractum negari non possit, et conseq. adæquate in his casibus cesset motivum et periculum plura matrimonia contrahendi.

Resp. 3. Ut revalidatio ista fiat legitime, requiritur : 1° consensus verbis vel signis sensibilibus expressus, uti fit in aliis contractibus humanis et in sacramentis novæ legis, quæ sunt signa sensibilia; 2° consensus mutuus utriusque partis, ut comm. docet, quia prior consensus, obstante impedimento, non fuit legitimus et habilis ad constituendum matrimonium, adeoque perseverare non potest, vel sufficere ad illud de novo contrahendum. 3° Requiritur ut saltem aliquo modo utrique conjugi innotescat nullitas prioris matrimonii; non tamen causa nulli-

tatis ab altero manifestanda est : ita respondit Clemens VIII, teste Comitol., Ponc. et aliis. Quod necessarius sit utriusque consensus, « admonito prius marito de nullitate matrimonii : » sic etiam in litteris Sac. Pœnitentiariæ addi solet : « muliere de nullitate prioris consensus certiorata. » Ratio est, quia alter non certioratus de nullitate prioris matrimonii, iterato consentiendo errat et nihil agit, cum intendat renovare priorem consensum de se invalidum ; ergo nisi certioretur aliqualiter de nullitate prioris matrimonii, nunquam valide illud revalidabit. Error autem iste qui hic intercedit, est error totius substantiæ contractus et reducitur ad errorem personæ, quatenus ignarus putat se consentire in suam, quæ tamen non est sua ob latens impedimentum. Hæc sententia, ut tutior, tenenda est in praxi ad tollendos omnes scrupulos (1).

Obj. 1° Matrimonium liberi cum ancilla ratificatur, si ille, cognita conditione servili, renovet consensum, vel eam cognoscat affectu conjugali (c. 2 et fin. *de Conjug. serv.*). 2° Juxta l. XXVII et LXV, *de Ritu nupt.*, ad convalidationem matrimonii sufficit perseverantia in eadem voluntate, ubi impedimentum sublatum est. 3° Prior consensus fuit conjugalis et, sublato impedimento, capax est constituendi matrimonium. 4° Si post sponsalia, remoto impedimento, sequatur copula affectu conjugali, de jure antiquo verum contrahitur matrimonium ; ergo etiam si post matrimonium putativum, remoto obice, sequatur copula affectu conjugali, vere efficietur matrimonium, etsi altera pars non sit certiorata de nullitate prioris matrimonii.

Resp. ad 1. Detecta conditione servili, consensus ab utroque renovandus est verbo aut facto, in quantum copula petitur et redditur animo contrahendi verum matrimonium. Ad 2. Sublato impedimento, requiritur perseverantia in eadem voluntate denuo expressa ad matrimonium de novo contrahendum. Ad 3. Dist. ant. : fuit conjugalis vere, neg. ant. ; putatitie, conc. ant. Ne ergo renovetur consensus putatitius, necesse est ut pars altera nullitatis conscia fiat et ponat consensum ad matrimonium de novo ineundum. Ad 4. Neg. cons., nam copula post sponsalia supponitur fieri animo contrahendi matrimonium ; econtra post matrimonium contractum fieri potest animo illo utendi ; et conseq. ut fiat animo illud revalidandi, debet pars ignara edoceri de nullitate prioris matrimonii.

(1) Si ob aliquam difficultatem non posset alteri parti declarari nullitas matrimonii, delegatus delegantem adire debet ejusque voluntati et consilio acquiescere (Bened. XIV, Inst. 86, n. 80). Hoc casu, Sedes Apost. dispensat ab obligatione certiorandi alteram partem, sive per sanationem in radice, sive per rescriptionem ut perinde valeat prima dispensatio, dempta obligatione certiorandi.

II. An si matrimonium sit invalidum ex defectu consensus, ut quia alter ficte consensit, revalidari possit per solum verum consensum illius qui ficte contraxit?

Affirmat Sylv., Sanch., Laym. et Schmalz., tit. *de Sponsal.*, n. 270 et seq., licet hujus doctrinæ forsan immemor, vel eamdem emendare volens, contrarium teneat tit. XVI, *de Matrim.*, contr. n. 268. Opposita sententia est tutior et suadenda in praxi, juxta quam resp. in tali casu requiri novum utriusque consensum conformiter responso Clementis VIII. Ratio est, quia consensus primo datus fuit sub tacita conditione, « si et alter vere consentiat; » siquidem consensus matrimonalis claudicare nequit, ut partim valeat, partim non valeat ex altera parte; ergo deficiente hac conditione, deficit etiam consensus et conseq., utpote nullus, non sufficit ad revalidandum matrimonium; tum quia, dato quod consensus vere consentientis moraliter perseveret, si non revocetur, tamen non perseverat ad contrahendum matrimonium, sed ad perseverandum in contracto; sed ad revalidandum matrimonium requiritur consensus perseverans, qui sit ad contrahendum matrimonium, sicut est consensus principalis per procuratorem contrahentis; ergo.

Obj. 1° Consensus alterius per se est legitimus et moraliter perseverat; ergo, si non reperiat matrimonium contractum, perseverat ad illud contrahendum; sicut accidit in revalidatione matrimonii metu initi, ubi per spontaneam cohabitationem, vel copulam voluntariam metus purgatur, et accedente consensu spontaneo metum passi, revalidatur matrimonium, etsi metum incutiens novum consensum non ponat (c. 21, *de Sponsalib.*, c. 4, *Qui matrim. accusar.*). 2° Contractus alii perficiuntur, si deinde alterius consensus superveniat; ergo et matrimonium. 3° Professio religiosa, quæ est matrimonium spirituale, ficte emissa, convalidatur solo consensu vero illius qui ficte professus est; ergo a pari. 4° Quod matrimonium, stante impedimento, convalidandum sit mutuo utriusque consensu, id oritur ex eo, quia neutrius consensus habilis fuit ad matrimonium, quæ ratio cessat in nostro casu; ergo non requiritur, nisi ut vere consentiat is qui antea ficte consensit.

Resp. ad 1. Dist. ant.: est legitimus tacite conditionate, si conjungatur alteri vero consensui, c. a.; legitimus absolute, neg. ant. Purgato metu, matrimonium est præsumptum; verum autem fit ex renovato utriusque consensu. Ad 2. Trans. ant. et neg. cons., nam in aliis contractibus consensus potest suppleri a jure, vel fingi intervenisse, quod in matri-

monio non procedit; imo nec in omnibus contractibus (l. I, § 1, ff. *de V. O.*) Ad 3. Neg. conseq. quia consensus religionis suppletur a jure, seu Papa, seu generali prælato omnium ordinum, qui consensu legali loco religionis acceptat ejusmodi revalidationem professionis, saltem post quinquennium (Trid., sess. 25, c. 19, *de Regular.*). Ad 4. Similis ratio currit in nostro casu, quia consensus unius conjunctus ficto consensui alterius non est consensus matrimonialis, adeoque non sufficit ad revalidandum matrimonium. His non obstantibus, fateor oppositam sententiam esse valde probabilem.

III. Quomodo alter conjux certiorari possit de nullitate matrimonii?

Resp. 1° Si ex revelatione nullitatis nullum timetur periculum scandali, diffamationis, dimissionis alterius partis et liberorum, eo quod conjuges tenere se ament, tunc nullitas paulo apertius revelari potest, v. g. : « Puto quod ex aliqua causa connubium inter nos non subsistat, ut ergo quieta conscientia vivamus, rursum accipe me in tuum, sicut et ego te accipio in meam. » Si alter causam roget, rogatus dicat in hac re non esse necessariam responsionem. Si vero dicat : « Placet, consentio, ut semper meus eris, » etc., jam censetur revalidatum matrimonium. 2° Si ex aperta revelatione nullitatis timentur prædicta mala, revalidatio fieri potest modo obscuriore, v. g. : « Casu quo tua conjux non essem, modo tecum contraho et debitum tibi reddo; » tunc enim, si pars altera consentiat et sub hoc modo debitum accipiat, vere de novo consensit in matrimonium, non vero præcise renovat præcedentem contractum. 3° Si nec iste modus securus sit, eo quod maritus in hoc genere loquendi sit doctus et alias libenter vellet a conjuge separari, tunc in hac extrema necessitate servire poterit sententia probabilis, docens sufficere si pars conscia impedimenti, eo sublato, sensibiliter suum consensum renovet absque expressa mentione nullitatis, v. g. : « Carissime, ego te accipio in meum, » et si circumstantia patitur, « reddo vel reddam tibi debitum, ut conjugi meo : » nam necessitas ista cohonestat usum hujus opinionis), Sanch., Palao, Carden., Gobat., Sporer., Innoc., Sot., Henriq., etc. (1)

(1) Non mera minor probabilitas, sed epikia in casu necessitatis circa rem dependentem a liberrima voluntate legislatoris humani in tali casu excusat. (Vide Amort, *Th. mor.*, tr. XV, § 2, q. 19-20.)

Vide notam ad n. 53, 3, et S. Lig., *Theol. mor.*, n. 1117, lib. VI. Oportet

IV. Quid agendum confessario deprehendenti nullitatem matrimonii, ut si conjugata in generali confessione dicat se fornicatam fuisse cum fratre sui sponsi ante nuptias?

Resp. 1. Confessarius subtiliter indaget an persona ista habeat ignorantiam invincibilem hujus impedimenti; si ita, relinquere illam potest in ignorantia ista pro casu quo valde difficilis et periculosa videtur revalidatio matrimonii.

(Ita etiam disponitur in c. *Quia circa,* 6, de bigam. non ord., ubi Innoc. III, consultus super simili facti specie, rescripsit nonis octobr. 1214 Absaloni, archiepisc. Lundensi, Apostol. Sed. legato ibi : « Dissimulare poteris, ut maneat in copula sic contracta, cum ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminere. » Hæc eadem c. pars repetitur a compilatore in c. 6, *de Consang. et affinit.* (1).)

Si vero persona ista dubitat de suo matrimonio vel quamdam

recurrere ad Summum Pontificem ut convalidet nuptias per sanationem *in radice :* duplex enim dispensatio datur post contractum matrimonium : una vocatur dispensatio *simplex*, de qua actum est; altera dispensatio seu *sanatio a radice*, quia unus vel uterque conjux liber est a renovatione consensus. Hæc dispensatio dicitur sanatio in radice, tum quia sanat consensum (*radicem* matrimonii) vitiatum seu efficacia destitutum, tum quia ita tollit impedimentum, ac si ab initio, seu dum matrimonium contractum fuit, non exstitisset illud impedimentum : ideo omnes effectus tollit qui ex matrimonio invalido secuti sunt.

Hinc 1° differt a simplici dispensatione, quia non requirit renovationem consensus ab utraque parte, et habet vim retroactivam quoad effectus secutos ex invalido matrimonio.

2° Petitur generatim, quando renovatio consensus fit impossibilis, ut in casu supra exposito. Igitur sive una tantum pars sit conscia impedimenti, sive utraque pars ignoret invaliditatem matrimonii, potest peti dispensatio in radice; v. g. si culpa parochi vel confessarii dispensatio antea impetrata fuisset invalide applicata.

Conditiones quas requirit sanatio in radice :

1° Ut matrimonium fuerit rite coram Ecclesia exterius celebratum, seu figuram extrinsecam veri matrimonii habuerit;

2° Ut consensus fuerit jure naturali validus et non retractatus;

3° Ut matrimonium, tempore quo contrahebatur, invalidum fuerit impedimento solius juris ecclesiastici, cum Ecclesia non dispenset in impedimentis juris divini;

4° Ut gravissima causa suadeat dispensare in radice, et non tantum simpliciter.

Eadem sunt exprimenda in supplice libello dispensationis in radice, ac in litteris dispensationis simplicis, præter causam quæ exigit dispensationem in radice et conditiones supra recensitas quæ sanationem reddunt possibilem.

(1) Hæc verba Pontificis non habentur in c. 6, *Quia circa*, de bigamis; sed c. 6, *Quia circa,* de consanguinitate, ubi non impedimenti, sed erroris in supplicatione commissi intimationem omitti posse monet.

anxietatem patitur, tunc confessarius, tanquam doctor, aperte manifestare debet nullitatem matrimonii et dicere necessariam esse dispensationem, quam pro quiete conscientiæ illius se procuraturum promittet.

Resp. 2. Interim conjux jam conscia impedimenti, tempore illo abstinere debebit a petitione et redditione debiti, inventa aliqua excusationis causa; imo si aliter per subductionem sui fieri non posset, præstaret millies mori, quam Deum peccato fornicationis offendere.

EXPLICIT LIBER QUARTUS DECRETALIUM.

RECENTIORA

SEDIS APOSTOLICÆ DOCUMENTA

CIRCA MATRIMONIA.

NOTA. Innumera prodierunt decreta ac declarationes Sedis Apostolicæ circa quæstiones matrimoniales. Major pars *Thesauri resolutionum S. Congregationis Concilii* consistit in causis hujusmodi, et hæc collectio in presenti ex 140 voluminibus constat; multæ etiam constitutiones vel allocutiones pontificales, in elapso et in præsenti sæculo, de hac materia valde practica et difficili decreverunt. His de causis collectio decretorum, vel præcipuorum, hic evadit impossibilis, cum in immensum procedere deberet, ut suis non desit numeris. Igitur pauca et recentissima documenta referre contenti erimus, cum alias de præcipuis in nostris annotationibus mentionem fecimus.

SECTIO PRIMA.

DE MATRIMONIIS MIXTIS.

I. Pii VIII breve 25 martii 1830 ad episcopos Rhenanos de matrimoniis mixtis, occasione legis regiæ a. 1825 latæ.

Ignotum vobis non est Ecclesiam ipsam a connubiis hujusmodi, quæ non parum deformitatis et spiritualis periculi præ se ferunt, abhorrere; atque idcirco Apostolicam hanc Sedem summo semper constantique studio curasse, ut canonicæ leges matrimonia eadem prohibentes religiose custodirentur. Quod si Romani Pontifices a sanctissimo illo canonum interdicto nonnunquam dispensasse inveniuntur, id profecto graves ob causas et ægre admodum fecerunt, suisque dispensationibus adjicere consueverunt conditionem expressam de præmittendis matrimonio opportunis cautionibus, non modo ut conjux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus ex eodem matrimonio procreanda in catholicæ religionis sanctitate omnino educaretur. Nostis autem, venerabiles Fratres, ipsas omnes cau-

tiones eo spectare, ut hac in re naturales divinæque leges sartæ tectæ habeantur : quandoquidem exploratum est catholicas personas, seu viros seu mulieres, quæ nuptias cum acatholicis ita contrahunt, ut se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committant, non modo canonicas violare sanctiones, sed directe etiam gravissimeque in naturalem ac divinam legem peccare. Atque exinde jam intelligitis nos quoque gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore, si circa nuptias hujusmodi istis in regionibus contrahendas, illa a vobis aut a parochis vestrarum diœcesium fieri assentiremur, per quæ, si non verbis, factis tamen ipsis, indiscriminatim approbarentur. Quare nos summopere commendantes zelum illum vestrum, quo catholicos vestræ curæ commissos a connubiis mixtis avertere hactenus adlaborastis, enixe in Domino exhortamur, ut posthac pariter in idipsum sedulo incumbatis in omni patientia et doctrina, horum deinde laborum copiosam in cœlis mercedem accepturi. Juxta hæc igitur, quoties præsertim catholica aliqua mulier viro acatholico nubere velit, diligenter ab episcopo seu a parocho edocenda erit, quænam circa hujusmodi nuptias canonum sententia sit, serioque admonenda de gravi scelere quo apud Deum rea fiet, si eos violare præsumat ; et maxime opportunum erit eamdem adhortari ut meminerit firmissimum illud nostræ religionis dogma, quod « extra veram catholicam fidem nemo salvus esse potest ; » proindeque agnoscat se in filios quos a Deo exspectat, jam nunc crudelissime acturam, si tales contraxerit nuptias in quibus sciat illorum educationem in viri acatholici arbitrio futuram. Quæ quidem salubria monita erunt etiam, prout prudentia suggesserit, iteranda, eo præsertim tempore quo nuptiarum dies instare videatur, dumque consuetis proclamationibus disquiritur utrum alia sint quæ illis obstent impedimenta canonica. Quod si nonnullis in casibus paterna hujusmodi sacrorum pastorum studia in irritum cadere contingat, tunc sane abstinendum erit a catholica eadem persona censuris in illam nominatim expressis corripienda, ne tumultus aliquis excitetur, et graviora rei catholicæ mala obveniant ; sed alia ex parte abstinere etiam catholicus pastor debebit, non solum nuptiis quæ deinde fiant, sacro quocumque ritu honestandis, sed etiam a quovis actu quo approbare illas videatur. Quam circa rem illud solummodo in nonnullis locis toleratum est, ut parochi, qui ad graviora rei catholicæ incommoda avertenda præsentiam suam contrahendis his nuptiis præstare cogebantur, paterentur quidem eas ipsis præsentibus confici (si scilicet nullum aliud obstaret canonicum impedimentum), ut, audito utriusque partis consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referrent ; sed caverent semper ab illicitis hujusmodi matrimoniis ullo suo actu approbandis ; multoque magis a sacris precibus et ab ecclesiastico quovis ritu eisdem admiscendo.

Sequitur jam ut de illorum causa respondeamus, qui matrimonia mixta inire ausi fuerint, catholico pastore non præsente. Et hac qui-

dem super re ita nobis censuimus statuendum, ut avertantur, quoad fieri poterit, scandala quæ ex hujusmodi nuptiis oriri denuntiastis; itemque ut catholici illi, qui in conjunctione vivunt eo modo inita, facilius induci possint ad peccatum suum salutaribus pœnitentiæ lacrymis expiandum; denique ut in posterum certa omnibus regula sit, qua de vi matrimoniorum ea ratione contrahendorum dijudicent. Jam vero ad conjunctiones quod attinet, quæ isthic usque ad præsens tempus sine parochi præsentia initæ sunt, Nos brevi delegabimus Fraternitatibus Vestris necessarias facultates, quarum vi malis exinde ortis, magna saltem ex parte, mederi valeatis. Nunc autem per nostras has litteras volumus et mandamus, ut matrimonia mixta, quæ posthac, a die videlicet 28 martii 1830, in vestris diœcesibus contrahi contingat, non servata forma a Tridentino concilio præscripta, si eisdem nullum aliud obstet canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habeantur.

« In instructionead prædictos antistites die 3 mart. 1830 missa, conceduntur facultates ad sananda in radice matrimonia ante dictum terminum sine parocho catholico contracta, additis tamen his monitis: 1° ut delegati in singulis casibus perspiciant an matrimonium instaurari non possit per renovationem consensus; 2° ut partem catholicam de gravitate sceleris sui atque de obligationibus pro futuro moneant, pœnitentiamque injungant; 3° ut abstineant a nuptiis imprudenter confirmandis, quæ brevi per laicum magistratum solvendæ prævidentur. Eorumdem sensuum est instructio ad episcopos Austriacæ ditionis in fœderatis Germaniæ partibus, nisi quod de matrimoniis coram acatholico ministello contractis non agatur.

« Easdem conditiones pro matrimoniis mixtis ineundis jam Pius VII in rescripto ad Jos. de Hommer, vicarium apostolicum in diœcesi Trevirensi, die 31 oct. 1819, exquisierat atque in singulis casibus unice a Sede Apostolica postulandam esse dispensationem enuntiaverat. » (Henr. Dentzig.)

Vide etiam litteras Greg. XVI die 27 maii 1832 et breve 23 maii 1846.

In instructione card. Antonelli 15 nov. 1858, jussu Pii IX edita, legimus: « Si (antistites) cognoverint in aliquibus locis has formas et conditiones impleri non posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum tolerent morem adhibendi ritum legitime præscriptum, exclusa tamen semper missæ celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adjunctis. »

II. Instructio S. Officii sub feria IV 17 februarii 1864 episcopis regni Hanoveriani data.

Non latet quibusdam in locis hæreticum ministrum agere personam magistratus mere civilis, coram quo se sistere solent conjuges aut etiam debent ob finem politicum, nempe ut habeantur civiliter honesti conjuges prolesque censeantur legitimæ. Jam vero urgentibus hære-

ticis aut lege civili imperante, non improbatur quod pars catholica una cum hæretica se sistat, ante vel post contractum ad formam Tridentini matrimonium, etiam coram ministro hæresi addicto, ad actum civilem duntaxat implendum. Etenim ad dubium olim sic expressum : Utrum catholicus coram proprio catholico parocho una cum hæretica contrahens licite possit, urgentibus hæreticis, matrimonium hoc ratificare coram ministro hæretico, si nulla hinc ritus hæretici professio habeatur aut colligatur, et quidquid minister hæreticus in casu peragit, civilis duntaxat et politica gratulatio sit et censeatur; per S. Congregationem responsum fuit : Affirmative. Verum enimvero, quotiescumque minister hæreticus censetur veluti sacris addictus et quasi parochi munere fungens, non licet catholicæ parti una cum hæretica matrimonialem consensum coram tali ministello præstare, eo quod hic adhiberetur ad quamdam religiosam cæremoniam complendam, pars catholica ritui hæretico se consociaret, unde oriretur quædam implicita hæresi adhæsio, ac proinde illicita omnino haberetur cum hæreticis in divinis communicatio. Eapropter etsi perniciosa hæc consuetudo inoleverit, ita ut a clero de facile corrigi non possit, nihilo tamen secius omni adhibito studio ac zelo evellenda erit. Et sane Benedictus XIV aperte docet non licere contrahentibus se sistere coram ministro hæretico, quatenus assistat ut minister addictus sacris, et contrahentes peccare mortaliter et esse monendos. Opportune itaque abs te instructi et commoniti parochi ac missionarii edoceant fideles, qua publicis in ecclesiis catechesibus, qua privatis instructionibus circa constantem Ecclesiæ doctrinam et praxim, ita ut salubriter a mixtis contrahendis nuptiis, quoad fieri possit, avertantur; sin autem abhorreant prorsus a celebrando matrimonio coram hæretico ministro sacris addicto, id quod omnimodo illicitum et sacrilegum est. Ita responsum fuit ordinario Trevirensi sub feria IV die 21 aprilis 1847. Sciant insuper parochi, si interrogentur a contrahentibus vel si certe noverint eos adituros ministrum hæreticum sacris addictum ad consensum matrimonialem præstandum, se silere non posse, sed monere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant et de censuris in quas incurrunt. Verumtamen ad gravia præcavenda mala, si in aliquo peculiari casu parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat nunc adire ministrum hæreticum; et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministro hæretico, prævideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum, ac insuper ex adjunctis in casu concurrentibus prævideat monitionem certo non fore profuturam, imo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum, tunc sileat, remoto tamen scandalo, et dummodo aliæ ab Ecclesia requisitæ conditiones atque cautiones rite positæ sint, præsertim de libero religionis exercitio parti catholicæ concedendo, necnon de universa prole in religione catholica educanda. Quod si tandem consensus coram parocho velit renovari, postquam præstitus jam fuerit coram ministro hæretico, idque publice notum

sit, vel ab ipsis sponsis parocho notificetur, parochus huic matrimonio non intererit, nisi servatis, ut supponitur, cæteroquin servandis, pars catholica facti pœnitens, præviis salutaribus pœnitentiis absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit. Sacra igitur Congregatio plurimum in Domino confidit te, præmissis prudenter ac firmiter inhærentem, effecturum ut inviolabilis doctrinæ sartum tectum servetur depositum, catholicorum mores fidei respondeant, damna apprehensa arceantur, et fideles doctrina et exemplo roborati, incedant per semitas justitiæ.

III. Decretum S. Officii de Benedicti XIV declaratione super matrimoniis hæreticorum et mixtis in Hollandia.

Episcopus Harlemensis in litteris quas ad clerum dedit die 31 octobris 1859 refert, ut sequitur, se Apostolicæ Sede proposuisse nonnullas quæstiones de intelligentia declarationis Benedictinæ, et expetitum accepisse responsum : « Primum dubium, ait, circa matrimonia mixta volvebatur : nimirum an pro intelligentia celebris declarationis Benedicti XIV pro Hollandia comprehendi possint sub nomine hæreticorum quinque sequentes classes : 1° illi qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali in hæresi educantur, ac hæresim profitentur; 2° qui non tam in hæresi quam ab hæreticis educantur, nulla scilicet vel vix ulla hæreticæ doctrinæ instructione accepta, et cultu non frequentato, licet aliquoties participato ; 3° qui adhuc pueri in manus hæreticorum incidentes hæreticæ sectæ adjunguntur ; 4° apostatæ ab Ecclesia catholica ad hæreticam sectam transeuntes ; 5° qui nati et baptizati ab hæreticis adoleverunt quin ullam solemnem hæreseos professionem emiserint, ac veluti nullius religionis, etc. Igitur quid sentiendum, sciscitatur episcopus, de istorum matrimoniis cum parte catholica initis ?... S. C. respondit : Ad effectum matrimonii supranumeratos comprehendi in laudata Ben. XIV declaratione. »

SECTIO II.

DE MATRIMONII VINCULO SOLUTO PER OBITUM INCERTUM.

S. Officii instructio de probando obitu alicujus conjugis (13 maii 1868).

Matrimonii vinculo duos tantummodo, Christo ita docente, copulari et conjungi posse : alterutro vero conjuge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias licitas esse, dogmatica Ecclesiæ catholicæ doctrina est.

Verum ad secundas et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur quæ difficultatibus ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc Sancta Sedes sedulo curavit, modo constitutionibus generalibus, sæpius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut prædicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

Inde constituta sacrorum canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte conjugis certo constet, uti cap. *Dominus, de secundis nuptiis,* vel quod de ipsa morte recipiatur *certum nuncium,* uti in cap. *In præsentia, de sponsalibus et matrimoniis.* Inde etiam ea quæ explanatius traduntur in instructione *Cum alias,* 21 augusti 1670, a Clemente X sancita et in Bullario Romano inserta, super examine testium pro matrimoniis contrahendis in curia Emi vicarii Urbis et cæterorum ordinariorum. Maxime vero quæ propius ad rem facientia ibi habentur n. 12 et 13.

Et hæc quidem abunde sufficerent si, in ejusmodi causis peragendis, omnimoda et absoluta certitudo de alterius conjugis obitu haberi semper posset; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitæ vices (quod sapienter animadversum est in laudata instructione his verbis : *Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo legitimæ sint* et *sufficientes*), sequitur, quod stantibus licet principiis generalibus præstitutis, haud raro casus eveniunt in quibus ecclesiasticorum præsidum judicia hærere solent in vera justaque probatione dignoscenda ac statuenda; imo pro summa illa facilitate quæ ætate nostra facta est remotissimas quasque regiones adeundi, in omnes fere orbis partes homines divagentur, ejusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine parvo partium incommodo, quibus inter informationes atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti, mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

Quapropter Sacra eadem Congregatio hujusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens in dissitis præsertim missionum locis, ecclesiasticos præsides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit uberiorem edere instructionem, in qua, iis, quæ jam tradita sunt, nullo pacto abrogatis, regulæ indigitentur, quas in ejusmodi casibus hæc ipsa S. Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad Sanctam Sedem, possint judicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quæstionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque,

1° Cum de conjugis morte quæstio instituitur, notandum primo loco quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a sacris canonibus minime sufficiens ad justam probationem habetur. Unde s. mem. Pius VI ad archiepisco-

pum Pragensem die 11 julii 1789 rescripsit, solam conjugis absentiam atque omnimodum ejusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam*, ne tum quidem cum edicto regio conjux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit. *Quod enim non comparuerit*, idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potuit, quam ejus contumacia.*

2. Hinc ad præscriptum eorumdem sacrorum canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet, exaratum scilicet ex regestis parœciæ, vel xenodochii, vel militiæ, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit ; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, jurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriæ, vel etiam militiæ, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

4. Interdum unicus tantum testis examinandus reperitur, et licet ab omni jure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne conjux alias nuptias inire peroptans, vitam cœlibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit suprema Congregatio in dirimendis hujusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit præditus, nulli exceptioni obnoxius, ac præterea ejus depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in ejus testimonio reperiri, quod non sit congruum atque omnino verisimile.

5. Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur, se tempore non suspecto mortem conjugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem, vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeant ; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentioribus, respondeant, satis esse censentur pro secutæ mortis prudenti judicio.

6. Verum, haud semel experientia compertum habetur quod nec unus quidem reperiatur testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex conjecturis, præsumptionibus, indiciis et adjunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit; ita nimirum, ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis conjunguntur, inde prudentis viri judicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine permoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex hujusmodi conjecturis simul conjunctis justa probatio,

id prudenti relinquendum est judicis arbitrio; heic tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illæ sive urgentiores, sive etiam leviores colligi et haberi possint.

7. Itaque in primis illæ præsumptiones investigandæ erunt, quæ personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quæque profecto facile haberi poterunt a conjunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque conjugis. In quorum examine requiratur, ex. gr.:

An ille de cujus obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset; pie religioseque viveret; uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset;

An discesserit annuentibus uxore et conjunctis; quæ tunc ejus ætas et valetudo esset;

An aliquando, et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quam primum redeundi aperuerit, aliaque hujus generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adjunctis pro varia absentiæ causa colligi indicia sic poterunt :

Si ob militiam abierit, a duce militum requiratur quid de eo sciat: utrum alicui pugnæ interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit, etc.;

Si negotiationis causa iter susceperit, inquiratur utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus; utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames et pestilentiæ, etc. etc.;

Si maritimum iter fuerit aggressus, sedula investigatio fiat a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis quam conscendit; quis ejusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas quæ navis cautionem forsan dedit, pretium ejus solverit; aliæque circumstantiæ, si quæ sint, diligenter perpendantur.

8. Fama quoque aliis adjuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum quoad : duobus saltem testibus fide dignis et juratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famæ : an eam acceperint a majori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis in quorum commodum inquiritur.

9. Tandem, si opus fuerit, prætereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis directori omnibus necessariis personæ indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

10. Hæc omnia pro opportunitate casuum Sacra hæc Congregatio diligenter expendere solet, cumque de re gravissima agatur, cunctis æqua lance libratis, atque insuper auditis plurium theologorum et juris prudentium suffragiis, denique suum indicium pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

11. Ex his omnibus ecclesiastici præsides certam desumere possunt normam quam in hujusmodi judiciis sequantur. Quod si non obstantibus regulis hucusque notatis res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad Sanctam Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis.

SECTIO III.

DE INDISSOLUBILITATE ET SANCTITATE MATRIMONII.

Leonis divina Providentia Papæ XIII epistola encyclica

Venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis universis catholici orbis gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentibus.

Arcanum divinæ sapientiæ consilium quod Salvator hominum Jesus Christus in terris erat perfecturus eo spectavit, ut mundum, quasi vetustate senescentem, ipse per se et in se divinitus instauraret. Quod splendida et grandi sententia complexus est Paulus Apostolus, cum ad Ephesios ita scriberet: *Sacramentum voluntatis suæ... instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt* (1). Revera cum Christus Dominus mandatum facere instituit quod dederat illi Pater, continuo novam quamdam formam ac speciem rebus omnibus impertiit, vetustate depulsa. Quæ enim vulnera piaculum primi parentis humanæ naturæ imposuerat, Ipse sanavit; homines universos, natura filios iræ, in gratiam cum Deo restituit; diuturnis fatigatos erroribus ad veritatis lumen traduxit; omni impuritate confectos ad omnem virtutem innovavit; redonatisque hæreditati beatitudinis sempiternæ spem certam fecit, ipsum eorum corpus, mortale et caducum, immortalitatis et gloriæ cœlestis particeps aliquando futurum. Quo vero tam singularia beneficia, quandiu essent homines, tandiu in terris permanerent, Ecclesiam constituit vicariam muneris sui, eamque jussit, in futurum prospiciens, si quid esset in hominum societate perturbatum, ordinare; si quid collapsum, restituere.

Quanquam vero divina hæc instauratio, quam diximus, præcipue et directo homines attigit in ordine gratiæ supernaturali constitutos, tamen pretiosi ac salutares ejusdem fructus in ordinem quoque naturalem largiter permanarunt; quamobrem non mediocrem perfectionem in omnes partes acceperunt cum singuli homines, tum humani generis societas universa. Etenim, christiano rerum ordine semel condito, hominibus singulis feliciter contigit, ut ediscerent atque adsuescerent in paterna Dei providentia conquiescere, et spem alere, quæ non con-

(1) Ad Eph., I, 9, 10.

fundit, cœlestium auxiliorum; quibus ex rebus fortitudo, moderatio, constantia, æquabilitas pacati animi, plures denique præclaræ virtutes et egregia facta consequuntur. — Societati vero domesticæ et civili mirum est quantum dignitatis, quantum firmitudinis et honestatis accesserit. Æquior et sanctior effecta principum auctoritas; propensior et facilior populorum obtemperatio; arctior civium conjunctio; tutiora jura domini. Omnino rebus omnibus quæ in civitate habentur utiles, religio christiana consuluit et providit; ita quidem, ut, auctore S. Augustino, plus ipsa afferre momenti ad bene beateque vivendum non potuisse videatur, si esset parandis vel augendis mortalis vitæ commodis et utilitatibus unice nata.

Verum de hoc genere toto non est Nobis propositum modo singula enumerare; volumus autem de convictu domestico eloqui, cujus est in *matrimonio* principium et fundamentum.

Constat inter omnes, venerabiles Fratres, quæ vera sit matrimonii origo. — Quamvis enim fidei christianæ vituperatores perpetuam hac de re doctrinam Ecclesiæ fugiant agnoscere, et memoriam omnium gentium, omnium sæculorum delere jamdiu contendant, vim tamen lucemque veritatis nec exstinguere nec debilitare potuerunt. Nota omnibus et nemini dubia commemoramus : posteaquam sexto creationis die formavit Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, sociam illi voluit adjungere, quam de latere viri ipsius dormientis mirabiliter eduxit. Qua in re hoc voluit providentissimus Deus, ut illud par conjugum esset cunctorum hominum naturale principium ex quo scilicet propagari humanum genus, et, nunquam intermissis procreationibus, conservari in omne tempus oporteret. Atque illa viri et mulieris conjunctio, quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas præ se tulit proprietates, nimirum unitatem et perpetuitatem. — Idque declaratum aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus divina Jesu Christi auctoritate, qui Judæis et apostolis testatus est matrimonium ex ipsa institutione sui duntaxat inter duos esse debere, scilicet virum inter et mulierem; ex duobus unam veluti carnem fieri; et nuptiale vinculum sic esse voluntate intime vehementerque nexum, ut a quopiam inter homines dissolvi aut distrahi nequeat. *Adhærebit* (homo) *uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* (1).

Verum hæc conjugii forma, tam excellens atque præstans, sensim corrumpi et interire apud ethnicos populos cœpit; et benes ipsum Hebræorum genus quasi obnubilari atque obscurari visa. — Nam apud hos de uxoribus susceperat consuetudo communis, ut singulis viris habere plus una liceret; post autem, cum *ad duritiam cordis* (2) eorum indulgenter permisisset Moyses repudiorum potestatem, ad divor-

(1) Matth., XIX, 5, 6. — (2) Ibid., 8.

tium factus est aditus. — In societate vero ethnicorum vix credibile videatur, quantam corruptelam et demutationem nuptiæ contraxerint, quippe quæ objectæ fluctibus essent errorum uniuscujusque populi et cupiditatum turpissimarum. Cunctæ plus minus gentes dediscere notionem germanamque originem matrimonii visæ sunt; eamque ob causam de conjugiis passim tunc ferebantur leges, quæ esse e republica viderentur, non quas natura postularet. Solemnes ritus, arbitrio legumlatorum inventi, efficiebant ut honestum uxoris, aut turpe concubinæ nomen mulieres nanciscerentur; quin eo ventum erat, ut auctoritate principum reipublicæ caveretur, quibus esset permissum inire nuptias, et quibus non esset, multum legibus contra æquitatem contendentibus, multum pro injuria. Præterea polygamia, polyandria, divortium causæ fuerunt quamobrem nuptiale vinculum magnopere relaxaretur. Summa quoque in mutuis conjugum juribus et officiis perturbatio exstitit, cum vir dominium uxoris acquireret, eamque suas sibi res habere, nulla sæpe justa causa, juberet; sibi vero ad effrenatam et indomitam libidinem præcipiti impune liceret *excurrere per lupanaria et ancillas, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas* (1). Exsuperante viri licentia, nihil erat uxore miserius, in tantam humilitatem dejecta, ut instrumentum pene haberetur ad explendam libidinem, vel gignendam sobolem comparatum. Nec pudor fuit collocandas in matrimonium emi, vendi, in rerum corporearum similitudinem (2), data interdum parenti maritoque facultate extremum supplicium de uxore sumendi. Talibus familiam ortam connubiis necesse erat aut in bonis reipublicæ esse, aut in mancipio patrisfamilias (3), cui leges hoc quoque posse dederant, non modo liberorum conficere et dirimere arbitratu suo nuptias, verum etiam in eosdem exercere vitæ necisque immanem potestatem.

Sed tot vitiis, tantisque ignominiis, quibus erant inquinata conjugia, sublevatio tandem et medicina divinitus quæsita est; quandoquidem restitutor dignitatis humanæ legumque Mosaicarum perfector Jesus Christus non exiguam, neque postremam de matrimonio curam adhibuit. Etenim nuptias in Cana Galilææ Ipse præsentia sua nobilitavit, primoque ex prodigiis a se editis fecit memorabiles (4); quibus causis vel ex eo die in hominum conjugia novæ cujusdam sanctitudinis initia videntur esse profecta. Deinde matrimonium revocavit ad primævæ originis nobilitatem, cum Hebræorum mores improbando, quod et multitudine uxorum et repudii facultate abuterentur; tum maxime præcipiendo ne quis dissolvere auderet quod perpetuo conjunctionis vinculo Deus ipse constrinxisset. Quapropter cum difficultates diluisset ab institutis Mosaicis in medium allatas, supremi legislatoris suscepta persona, hæc de conjugibus sanxit : *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur; et qui dimissam duxerit, mœchatur* (5).

(1) Hieronym., *Oper.* tom. I, col. 455. — (2) Arnob., *Adv. Gent.*, IV. — (3) Dionys. Halicar., lib. II, c. XXVI, XXVII. — (4) Joan., II.— (5) Matth., XIX, 9.

Verum quæ auctoritate Dei de conjugiis decreta et constituta sunt, ea nuncii divinarum legum apostoli plenius et enucleatius memoriæ litterisque prodiderunt. Jamvero apostolis magistris accepta referenda sunt quæ *sancti Patres nostri, concilia et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt* (1), nimirum Christum Dominum ad sacramenti dignitatem evexisse matrimonium; simulque effecisse ut conjuges, cœlesti gratia quam merita ejus pepererunt septi ac muniti, sanctitatem in ipso conjugio adipiscerentur, atque in eo, ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia mire conformato, et amorem qui est naturæ consentaneus perfecisse (2), et viri ac mulieris individuam suapte natura societatem divinæ charitatis vinculo validius conjunxisse. *Viri*, Paulus inquit ad Ephesios, *diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua... nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (3). — Similiter apostolis auctoribus didicimus unitatem, perpetuamque firmitatem, quæ ab ipsa requirebatur nuptiarum origine, sanctam esse et nullo tempore violabilem Christum jussisse. *Iis qui matrimonio juncti sunt*, idem Paulus ait, *præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari* (4). Et rursus : *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est* (5). Hisce igitur causis matrimonium exstitit *sacramentum magnum* (6), *honorabile in omnibus* (7), pium, castum, rerum altissimarum imagine et significatione verendum.

Neque iis duntaxat quæ commemorata sunt christiana ejus perfectio absolutioque continetur. Nam primo quidem nuptiali societati excelsius quiddam et nobilius propositum est, quam antea fuisset; ea enim spectare jussa est non modo ad propagandum genus humanum, sed ad ingenerandam Ecclesiæ sobolem, *cives sanctorum et domesticos Dei* (8); *ut* nimirum *populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur* (9). — Secundo loco sua utrique conjugum sunt officia definita, sua jura integre descripta. Eos scilicet ipsos necesse est sic esse animo semper affectos, ut amorem maximum, constantem fidem, solers assiduumque præsidium alteri alterum debere intelligant. — Vir est familiæ princeps, et caput mulieris; quæ tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus ejus, subjiciatur pareatque viro in morem non ancillæ, sed sociæ ; ut scili-

(1) Trid., sess. XXIV, in pr. — (2) Trid., sess. XXIV, cap. I, *de Reform. matr.* — (3) Ad Ephes., v, 25 et seq. — (4) I Cor., VII, 10, 11. — (5) Ibid., v, 39. — (6) Ad Ephes., v, 32. — (7) Ad Hebr., XIII, 4. — (8) Ad Ephes., II, 19. — (9) Catech. Rom., cap. VIII.

cet obedientiæ præstitæ nec honestas, nec dignitas absit. In eo autem qui præest, et in hac quæ paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiæ, divina charitas esto perpetua moderatrix officii. Nam *vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ..... Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus* (1).—Ad liberos quod pertinet, subesse et obtemperare parentibus, hisque honorem adhibere propter conscientiam debent, et vicissim in liberis tuendis atque ad virtutem potissimum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est: *Patres... educate* (filios) *illos in disciplina et correctione Domini* (2). Ex quo intelligitur, nec pauca esse conjugum officia, neque levia; ea tamen conjugibus bonis, ob virtutem quæ sacramento percipitur, non modo tolerabilia fiunt, verum etiam jucunda.

Christus igitur, cum ad talem ac tantam excellentiam matrimonia renovavisset, totam ipsorum disciplinam Ecclesiæ credidit et commendavit. Quæ potestatem in conjugia christianorum omni tum tempore, tum loco exercuit, atque ita exercuit, ut illam propriam ejus esse appareret, nec hominum concessu quæsitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam. — Quot vero et quam vigiles curas in retinenda sanctitate nuptiarum collocarit, ut sua his incolumitas maneret, plus est cognitum quam ut demonstrari debeat. — Et sane improbatos novimus concilii Hierosolymitani sententia amores solutos et liberos (3); civem Corinthium incesti damnatum beati Pauli auctoritate (4); propulsatos ac rejectos eodem semper tenore fortitudinis conatus plurimorum matrimonium christianum hostiliter petentium, videlicet gnosticorum, manichæorum, montanistarum, sub ipsa rei christianæ primordia; nostra autem memoria, mormonum, sansimonianorum, phalansterianorum, communistarum. — Simili modo jus matrimonii æquabile inter omnes atque unum omnibus est constitutum, vetere inter servos et ingenuos sublato discrimine (5); exæquata viri et uxoris jura; etenim, ut aiebat Hieronymus (6), *apud nos quod non licet feminis, æque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur,* atque illa eadem jura ob remunerationem benevolentiæ et vicissitudinem officiorum stabiliter firmata; aserta et vindicata mulierum dignitas; vetitum viro pœnam capitis de adultera sumere (7), juratamque fidem libidinose atque impudice violare. — Atque illud etiam magnum est quod de potestate patrumfamilias Ecclesia, quantum oportuit, limitaverit, ne filiis et filiabus conjugii cupidis quid quam de justa libertate minueretur (8); quod nuptias inter cognatos et affines certis gradibus nullas esse posse decreverit (9), ut nimirum supernaturalis conjugum amor latiore se campo diffunderet; quod errorem et vim et fraudem,

(1) Ad Ephes., v, 23, 24. — (2) Ad Ephes., vi, 4. — (3) Art. xv, 29. — (4) I Cor., v, 5. — (5) Cap. i, *de Conjug. serv.* — (6) *Oper.* t. I, col. 455. — (7) Can. *Interfectores* et can. *Admonere*, quæst. 2. — (8) Cap. xxx, quæst. 3, cap. iii, *de Cognat. spirit.* — (9) Cap. viii, *de Consang. et affin.;* cap. i, *de Cognat. legali.*

quantum potuit, a nuptiis prohibenda curaverit (1); quod sanctam pudicitiam thalami, quod securitatem personarum (2), quod conjugiorum decus (3), quod religionis incolumitatem (4) sarta tecta esse voluerit. Denique tanta vi, tanta providentia legum divinum istud institutum communiit, ut nemo sit rerum æquus existimator, quin intelligat, hoc etiam ex capite quod ad conjugia refertur, optimam esse humani generis custodem ac vindicem Ecclesiam; cujus sapientia et fugam temporum, et injurias hominum, et rerum publicarum vicissitudines innumerabiles victrix evasit.

Sed, adnitente humani generis hoste, non desunt qui, sicut cætera Redemptionis beneficia ingrate repudiant, sic restitutionem perfectionemque matrimonii aut spernunt, aut omnino non agnoscunt. — Flagitium nonnullorum veterum est, inimicos fuisse nuptiis in aliqua ipsarum parte; sed multo ætate nostra peccant perniciosius qui earum naturam, perfectam expletamque omnibus suis numeris et partibus, malunt funditus pervertere. Atque hujus rei causa in eo præcipue sita est, quod imbuti falsæ philosophiæ opinionibus corruptaque consuetudine animi plurimorum, nihil tam moleste ferunt, quam subesse et parere; acerrimeque laborant, ut non modo singuli homines, sed etiam familiæ atque omnis humana societas imperium Dei superbe contemnant. — Cum vero et familiæ et totius humanæ societatis in matrimonio fons et origo consistat, illud ipsum jurisdictioni Ecclesiæ subesse nullo modo patiuntur; imo dejicere ab omni sanctitate contendunt, et in illarum rerum exiguum sane gyrum compellere, quæ auctoribus hominibus institutæ sunt et jure civili populorum reguntur atque administrantur. Unde sequi necesse erat, ut principibus reipublicæ jus in connubia omne tribuerent, nullum Ecclesiæ esse decernerent; quæ, si quando potestatem ejus generis exercuit, id ipsum esse aut indulgentia principum, aut injuria factum. Sed jam tempus esse inquiunt ut qui rempublicam gerunt, iidem sua jura fortiter vindicent, atque omnem conjugiorum rationem arbitrio suo moderari aggrediantur. — Hinc illa nata quæ *matrimonia civilia* vulgo appellantur; hinc scitæ leges de causis quæ conjugiis impedimento sint; hinc judiciales sententiæ de contractibus conjugalibus, jurene initi fuerint, an vitio. Postremo omnem facultatem in hoc genere juris constituendi et dicendi videmus Ecclesiæ catholicæ præreptam tanto studio, ut nulla jam ratio habeatur nec divinæ potestatis ejus, nec providarum legum quibus tandiu vixere gentes, ad quas urbanitatis lumen cum christiana sapientia pervenisset.

Attamen *naturalistæ* iique omnes qui reipublicæ numen se maxime colere profitentes, malis hisce doctrinis totas civitates miscere nituntur, non possunt reprehensionem falsitatis effugere. Etenim cum ma-

(1) Cap. XXVI, *de Sponsal.*; cap. XIII, XV, XXIX, *de Sponsal. et matrim.*, et alibi. — (2) Cap. I, *de Convers. infid.*; cap. V et VI, *De eo qui duxit in matr.* — (3) Cap. III, V et VIII, *de Sponsal. et matr.*; Trid., sess. XXIV, cap. III, *de Reform. matr.* — (4) Cap. VII, *de Divort.*

trimonium habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quædam incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. Quocirca Innocentius III (1) et Honorius III (2), decessores nostri, non injuria nec temere affirmare potuerunt *apud fideles et infideles existere sacramentum conjugii.* Testantur et monumenta antiquitatis, et mores atque instituta populorum qui ad humanitatem magis accesserant et exquisitiore juris et æquitatis cognitione præstiterant: quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate conjunctæ. Hanc ob causam nuptiæ apud illos non sine cæremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri sæpe consueverunt. — Ita magnam in animis cœlesti doctrina carentibus vim habuit natura rerum, memoria originum, conscientia generis humani! — Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiæ, quæ rerum sacrarum sola habet magisterium.

Deinde consideranda sacramenti dignitas est, cujus accessione matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et præcipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam. — Postremo magnum pondus est, magna vis historiæ, qua luculenter docemur potestatem legiferam et judicialem, de qua loquimur, libere constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse iis etiam temporibus, quando principes reipublicæ consentientes fuisse aut conniventes in ea re, inepte et stulte fingeretur. Illud enim quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnasse polygamiæ repudiique inveteratam consuetudinem delegata sibi a procuratore provinciæ vel a principe Judæorum potestate; similiter Paulum Apostolum divortia incestaque nuptias edixisse non licere, cedentibus aut tacite mandantibus Tiberio, Caligula, Nerone! Neque illud unquam homini sanæ mentis potest persuaderi, de sanctitate et firmitudine conjugii (3), de nuptiis servos inter et ingenuas (4), tot esse ab Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab imperatoribus Romanis, inimicissimis nomini christiano, quibus nihil tam fuit propositum, quam vi et cæde religionem Christi opprimere adolescentem; præsertim cum jus illud ab Ecclesia profectum a civili jure interdum adeo dissideret, ut Ignatius Martyr (5), Justinus (6), Athenagoras (7) et Tertullianus (8), tanquam injustas vel adulterinas publice traducerent nonnullorum nuptias, quibus tamen imperatoriæ leges favebant.

Postea vero quum ad christianos imperatores potentatus omnis re-

(1) Cap. VIII, *de Divort.*— (2) Cap. XI, *de Transact.*— (3) Can. *Apost.*, 16, 17, 18. — (4) Philosophum Oxon. 1851. — (5) *Epist. ad Polycarp.*, cap. V. — (6) *Apologet.*, XV. — (7) *Legat. pro christian.*, n. 32, 33. — (8) *De coron. milit.*, cap, XIII.

ciderat, Pontifices maximi et episcopi in concilia congregati eadem semper cum libertate conscientiaque juris sui, de matrimoniis jubere, vetare perseverarunt quod utile esse, quod expedire temporibus censuerunt, utcumque discrepans ab institutis civilibus videretur. Nemo ignorat quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, consanguinitatis, criminis publicæ honestatis in conciliis Illiberitano (1), Arelatensi (2), Chalcedonensi (3), Milevitano II (4) aliisque, fuerint ab Ecclesiæ præsulibus constituta, quæ a decretis jure imperatorio sancitis longe sæpe distarent.

Quin tantum abfuit ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agnoscerent et declararent. Revera Honorius, Theodosius junior, Justinianus (5) fateri non dubitarunt, in iis rebus quæ nuptias attingant, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi esse licere. Et de connubiorum impedimentis si quid per edicta sanxerunt, causam docuerunt non inviti, nimirum id sibi sumpsisse ex Ecclesiæ permissu atque auctoritate (6); cujus ipsius judicium exquirere et reverenter accipere consueverunt in controversiis de honestate natalium (7), de divortiis (8), denique de rebus omnibus cum conjugali vinculo necessitudinem quoquo modo habentibus (9). — Igitur jure optimo in concilio Tridentino definitum est in Ecclesiæ potestate esse *impedimenta matrimonium dirimentia constituere* (10), *et causas matrimoniales ad judices ecclesiasticos spectare* (11).

Nec quemquam moveat illa tantopere a regalistis prædicata distinctio, vi cujus contractum nuptialem a sacramento disjungunt, eo sane consilio, ut, Ecclesiæ reservatis sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. — Etenim non potest hujusmodi distinctio, seu verius distractio, probari; cum exploratum sit in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure. — Huc accedit, quod ob hanc causam matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summæ conjuctionis vinculo, quo vir et mulier inter se colligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet omne inter christianos justum conjugium in se et per se esse sacramentum nihilque magis abhorrere a veritate quam esse sacramentum decus quoddam adjunctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus, quæ a

(1) De Aguirre, *Conc. Hispan.*, tom. I, can. 15, 16, 17, 18. — (2) Harduin., *Acta Conciliorum*, tom. I, can. 11. — (3) Ibid., can. 16. — (4) Ibid., can. 17. — (5) Novel., 137. — (6) Fejer, *Matrim. ex instit. Christi*, Pesth, 1835. — (7) Cap. III, *de Ordin. cognit.* — (8) Cap. III, *de Divort.* — (9) Cap. XIII, *Qui filii sint legit.* — (10) Trid., sess. XXIV, can. 4. — (11) Ibid., can. 12.

contractu disjungi ac disparari hominum arbitratu queat. — Quapropter nec ratione efficitur, nec teste temporum historia comprobatur potestatem in matrimonia christianorum ad principes reipublicæ esse jure traductam. Quod si hac in re alienum violatum jus est, nemo profecto dixerit esse ab Ecclesia violatum.

Utinam vero naturalistarum oracula, ut sunt plena falsitatis et injustitiæ, ita non etiam essent fecunda detrimentorum et calamitatum! Sed facile est pervidere quantam profanata conjugia perniciem attulerint, quantam allatura sint universæ hominum communitati. — Principio quidem lex est provisa divinitus ut quæ Deo et natura auctoribus instituta sunt, ea tanto plus utilia ac salutaria experiamur, quanto magis statu nativo manent integra atque incommutabilia; quandoquidem procreator rerum omnium Deus probe novit quid singularum institutioni et conservationi expediret, cunctasque voluntate et mente sua sic ordinavit, ut suum unaquæque exitum convenienter habitura sit. At si rerum ordinem providentissime constitutum immutare et perturbare hominum temeritas aut improbitas velit, tum vero etiam sapientissime atque utilissime instituta aut obesse incipiunt, aut prodesse desinunt, vel quod vim juvandi mutatione amiserint, vel quod tales Deus ipse pœnas malit de mortalium superbia atque audacia sumere. Jamvero qui sacrum esse matrimonium negant, atque omni despoliatum sanctitate in rerum profanarum conjiciunt genus, ii pervertunt fundamenta naturæ, et divinæ Providentiæ tum consiliis repugnant, tum instituta, quantum potest, demoliuntur. Quapropter mirum esse non debet ex hujusmodi conatibus insanis atque impiis eam generari malorum segetem, qua nihil est saluti animarum incolumitatique reipublicæ perniciosius.

Si consideretur quorsum matrimoniorum pertineat divina institutio, id erit evidentissimum, includere in illis voluisse Deum utilitatis et salutis publicæ uberrimos fontes. Et sane, præter quam quod propagationi generis humani prospiciunt, illuc quoque pertinent, ut meliorem vitam conjugum beatioremque efficiant; idque pluribus causis, nempe mutuo ad necessitates sublevandas adjumento, amore constanti et fideli, communione omnium bonorum, gratia cœlesti quæ a sacramento proficiscitur. Eadem vero plurimum possunt ad familiarum salutem; nam matrimonia quandiu sunt congruentia naturæ, Deique consilio apte conveniunt, firmare profecto valebunt animorum concordiam inter parentes, tueri bonam institutionem liberorum, temperare patriam potestatem proposito divinæ potestatis exemplo, filios parentibus, famulos heris facere obedientes. Ab ejusmodi autem conjugiis exspectare civitates jure possunt genus et sobolem civium qui probe animati sint, Deique reverentia atque amore assueti, sui officii esse ducant juste et legitime imperantibus obtemperare, cunctos diligere, lædere neminem.

Hos fructus tantos ac tam præclaros tandiu matrimonium revera genuit, quandiu munera sanctitatis, unitatis, perpetuitatisque retinuit,

a quibus vim omnem accipit frugiferam et salutarem; neque est dubitandum similes paresque ingeneraturum fuisse, si semper et ubique in potestatem fidemque fuisset Ecclesiæ, quæ illorum munerum est fidissima conservatrix et vindex. — Sed quia modo passim libuit humanum jus in locum naturalis et divini supponere, deleri non solum cœpit matrimonii species ac notio præstantissima quam in animis hominum impresserat et quasi consignaverat natura; sed in ipsis etiam christianorum conjugiis, hominum vitio, multum vis illa debilitata est magnorum bonorum procreatrix. Quid est enim boni quod nuptiales afferre possint societates, unde abscedere christiana religio jubetur, quæ parens est omnium bonorum, maximasque alit virtutes, excitans et impellens ad decus omne generosi animi atque excelsi? Illa igitur semota ac rejecta, redigi nuptias oportet in servitutem vitiosæ hominum naturæ et pessimarum dominarum cupiditatum, honestatis naturalis parum valido defensas patrocinio. Hoc fonte multiplex derivata pernicies, non modo in privatas familias, sed etiam in civitates influxit. Etenim salutari depulso Dei metu, sublataque curarum levatione, qua nusquam alibi est quam in religione christiana major, persæpe fit, quod est factu proclive, ut vix ferenda matrimonii munera et officia videantur, et liberari nimis multi vinculum velint, quod jure humano et sponte nexum putant, si dissimilitudo ingeniorum, aut discordia, aut fides ab alterutro violata, aut utriusque consensus, aliæve causæ liberari suadeant oportere. Et si forte satisfieri procacitati voluntatum lege prohibeatur, tum iniquas clamant esse leges, inhumanas, cum jure civium liberorum pugnantes; quapropter omnino videndum ut, illis antiquatis abrogatisque, licere divortia humaniore lege decernatur.

Nostrorum autem temporum legumlatores, cum eorumdem juris principiorum tenaces se ac studiosos profiteantur, ab illa hominum improbitate, quam diximus, se tueri non possunt, etiamsi maxime velint: quare cedendum temporibus ac divortiorum concedenda facultas. — Quod historia idem ipsa declarat. Ut enim alia prætereamus, exeunte sæculo superiore, in illa non tam perturbatione quam deflagratione Galliarum, cum societas omnis, amoto Deo, profanaretur, tum demum placuit ratas legibus esse conjugum discessiones. Easdem autem leges renovari hoc tempore multi cupiunt, propterea quod Deum et Ecclesiam pelli e medio ac submoveri volunt a societate conjunctionis humanæ; stulte putantes extremum grassanti morum corruptelæ remedium ab ejusmodi legibus esse quærendum.

At vero quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim causa fiunt maritalia fœdera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis præbetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quæ in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. — Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque re-

gnorum opes nihil tam valet quam corruptela morum, facile perspicitur prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quæ a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitæ privatæ et publicæ consuetudines aditum januamque patefaciunt. — Multoque esse graviora hæc mala constabit, si consideretur frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos, limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, major cupiditatum : hisce incitamentis fieri debet ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans.

Hæc certe sunt omnia per se clara; sed renovanda rerum gestarum memoria fiunt clariora. — Simul ac iter divortiis tutum lege præstari cœpit, dissidia, simultates, secessiones plurimum crevere; et tanta est vivendi turpitudo consecuta, ut eos ipsos qui fuerant talium discessionum defensores, facti pœnituerit; qui nisi contraria lege remedium mature quæsissent, timendum erat ne præceps in suam ipsa perniciem respublica dilaberetur. — Romani veteres prima divortiorum exempla dicuntur inhorruisse; sed non longa mora sensus honestatis in animis obstupescere, moderator cupiditatis pudor interire, fidesque nuptialis tanta cum licentia violari cœpit, ut magnam veri similitudinem habere videatur quod a nonnullis scriptum legimus, mulieres non mutatione consulum, sed maritorum enumerare annos consuevisse. — Pari modo apud protestantes principio quidem leges sanxerant ut divortia fieri liceret certis de causis, iisque non sane multis : istas tamen, propter rerum similium affinitatem, compertum est in tantam multitudinem excrevisse apud Germanos, Americanos aliosque, ut qui non stulte sapuissent, magnopere deflendam putarint infinitam morum depravationem atque intolerandam legum temeritatem.

Neque aliter se res habuit in civitatibus catholici nominis : in quibus si quando datus est conjugiorum discidiis locus, incommodorum quæ consecuta sunt multitudo opinionem legislatorum longe vicit. Nam scelus plurimorum fuit, ad omnem malitiam fraudemque versare mentem, ac per sævitiam adhibitam, per injurias, per adulteria fingere causas ad illud impune dissolvendum, cujus pertæsum esset, conjunctionis maritalis vinculum; idque cum tanto publicæ honestatis detrimento, ut operam emendandis legibus quamprimum dari omnes judicaverint oportere. — Et quisquam dubitabit quin exitus æque miseros et calamitosos habituræ sint leges divortiorum fautrices, sicubi forte in usum ætate nostra revocentur? Non est profecto in hominum commentis vel decretis facultas tanta, ut immutare rerum naturalem indolem conformationemque possint; quapropter parum sapienter publicam felicitatem interpretantur, qui germanam matrimonii rationem impune perverti posse putant, et, qualibet sanctitate cum religionis tum sacramenti posthabita, diffingere ac deformare conjugia turpius velle videntur,

quam ipsa ethnicorum instituta consuevissent. Ideoque nisi consilia mutentur, perpetuo sibi metuere familiæ et societas humana debebunt, ne miserrime conjiciantur in illud rerum omnium certamen atque discrimen, quod est socialistarum ac communistarum flagitiosis gregibus jamdiu propositum. — Unde liquet quam absonum et absurdum sit publicam salutem a divortiis exspectare, quæ potius in certam societatis perniciem sunt evasura.

Igitur confitendum est, de communi omnium populorum bono meruisse optime Ecclesiam catholicam, sanctitati et perpetuitati conjugiorum tuendæ semper intentam; nec exiguam ipsi gratiam deberi, quod legibus civicis centum jam annos in hoc genere multa peccantibus palam reclamaverit (1); quod hæresim deterrimam protestantium de divortiis et repudiis anathemate perculerit (2); quod usitatam Græcis diremptionem matrimoniorum multis modis damnaverit (3); quod irritas esse nuptias decreverit ea conditione initas, ut aliquando dissolvantur (4); quod demum vel a prima ætate leges imperatorias repudiarit, quæ divortiis et repudiis perniciose favissent (5). — Pontifices vero maximi quoties restiterunt principibus potentissimis divortia a se facta ut rata Ecclesiæ essent minaciter petentibus, toties existimandi sunt non modo pro incolumitate religionis, sed etiam pro humanitate gentium propugnavisse. Quam ob rem omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium ; ab Urbano II et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum ; a Cœlestino III et Innocentio III adversus Alphonsum a Leone et Philippum II principem Galliarum ; a Clemente VII et Paulo III adversus Enricum VIII; denique a Pio VII, sanctissimo fortissimoque Pontifice, adversus Napoleonem I, secundis rebus et magnitudine imperii exsultantem.

Quæ cum ita sint, omnes gubernatores administratoresque rerum publicarum, si rationem sequi, si sapientiam, si ipsam populorum utilitatem voluissent, malle debuerant sacras de matrimonio leges intactas manere, oblatumque Ecclesiæ adjumentum in tutelam morum prosperitatemque familiarum adhibere, quam ipsam vocare Ecclesiam in suspicionem inimicitiæ, et in falsam atque iniquam violati juris civilis insimulationem.

Eoque magis, quod Ecclesia catholica, ut in re nulla potest ab religione officii et defensione juris sui declinare, ita maxime solet esse ad benignitatem indulgentiamque proclivis in rebus omnibus quæ cum incolumitate jurium et sanctitate officiorum suorum possunt una con-

(1) Pius VI, *Epist. ad episc. Lucien.*, 28 maii 1793 ; Pius VII, *Litter. encycl. die* 17 *febr.* 1809, et *Const. data die* 19 *jul.* 1847; Pius VIII, *Litt. encycl. die* 28 *maii* 1829 ; Gregorius XVI, *Const. data die* 15 *augusti* 1832 ; Pius IX, *Alloc. habita die* 22 *sept.* 1852. — (2) Trid. sess. XXIV, can. 5 et 7. — (3) Concil. Floren. et instr. Eug. IV ad Armenos ; Bened. XIV, *Const.*, Etsi pastoralis, 5 *maii* 1742.— (4) Cap. VII, *de Condit. appos.* — (5) Hieron. *Epist.* 79 *ad Ocean.*; Ambros., lib. VIII, *in cap.* XVI *Lucæ*, n. 5 ; August., *de Nuptiis*, cap. X.

sistere. Quam ob rem nihil unquam de matrimonio statuit, quin respectum habuerit ad statum communitatis, ad conditiones populorum; nec semel suarum ipsa legum præscripta, quoad potuit, mitigavit, quando ut mitigaret causæ justæ et graves impulerunt. — Item non ipsa ignorat neque diffitetur sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanæ dirigatur, connexionem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis quæ matrimonium quidem consequentur, sed in genere civili versantur : de quibus rebus jure decernunt et cognoscunt qui reipublicæ præsunt.

Nemo autem dubitat quin Ecclesiæ conditor Jesus Christus potestatem sacram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas utramque res agendas liberam atque expeditam; hoc tamen adjuncto, quod utrique expedit, et quod interest omnium hominum, ut conjunctio inter eas et concordia intercederet, in iisque rebus quæ sint, diversa licet ratione, communis juris et judicii, altera cui sunt humana tradita opportune et congruenter ab altera penderet cui sunt cœlestia concredita. Hujusmodi autem compositione ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus atque efficacissimus modus juvandi hominum genus in eo quod pertinet ad actionem vitæ et ad spem salutis sempiternæ. Etenim sicut hominum intelligentia, quemadmodum in superioribus encyclicis litteris ostendimus, si cum fide christiana conveniat, multum nobilitatur multoque evadit ad vitandos ac repellendos errores munitior, vicissimque fides non parum præsidii ab intelligentia mutuatur; sic pariter, si cum sacra Ecclesiæ potestate civilis auctoritas amice congruat, magna utrique necesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim amplificatur dignitas, et, religione præeunte, nunquam erit non justum imperium; alteri vero adjumenta tutelæ et defensionis in publicum fidelium bonum suppeditantur.

Nos igitur, harum rerum consideratione permoti, cum studiose alias, tum vehementer in præsenti viros principes in concordiam atque amicitiam jungendam iterum hortamur; iisdemque paterna cum benevolentia veluti dexteram primi porrigimus, oblato supremæ potestatis nostræ auxilio, quod tanto magis est hoc tempore necessarium, quanto jus imperandi plus est in opinione hominum, quasi accepto vulnere, debilitatum. Incensis jam procaci libertate animis et omne imperii, vel maxime legitimi, jugum nefario ausu detrectantibus, salus publica postulat ut vires utriusque potestatis consocientur ad prohibenda damna quæ non modo Ecclesiæ, sed ipsi etiam civili societati impendant.

Sed cum amicam voluntatum conjunctionem valde suademus, precamurque Deum, principem pacis, ut amorem concordiæ in animos cunctorum hominum injiciat, tum temperare Nobis ipsi non possumus, quin vestram industriam, venerabiles Fratres, vestrum studium ac vigilantiam, quæ in vobis summa esse intelligimus, magis ac magis

hortando incitemus. Quantum contentione assequi, quantum auctoritate potestis, date operam, ut apud gentes fidei vestræ commendatas integra atque incorrupta doctrina retineatur, quam Christus Dominus et cœlestis voluntatis interpretes apostoli tradiderunt, quamque Ecclesia catholica religiose ipsa servavit, et a Christi fidelibus servari per omnes ætates jussit.

Præcipuas curas in id insumite, ut populi abundent præceptis sapientiæ christianæ, semperque memoria teneant matrimonium non voluntate hominum, sed auctoritate nutuque Dei fuisse initio constitutum, et hac lege prorsus ut sit unius ad unam : Christum vero novi fœderis auctorem illud ipsum ex officio naturæ in sacramenta transtulisse, et quod ad vinculum spectat, legiferam et judicialem Ecclesiæ suæ attribuisse potestatem. Quo in genere cavendum magnopere est, ne in errorem mentes inducantur a fallacibus conclusionibus adversariorum, qui ejusmodi potestatem ademptam Ecclesiæ vellent. — Similiter omnibus exploratum esse debet, si qua conjunctio viri et mulieris inter Christi fideles citra sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione justi matrimonii carere ; et quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse, quam ritum aut morem jure civili introductum ; jure autem civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efficiunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum causa, scilicet nuptiale vinculum, existat. — Hæc quidem omnia probe cognita habere maxime sponsorum refert, quibus etiam probata esse debent et notata animis, ut sibi liceat hac in re morem legibus gerere ; ipsa non abnuente Ecclesia, quæ vult atque optat ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur.

In tanta autem confusione sententiarum, quæ serpunt quotidie longius, id quoque est cognitu necessarium, solvere vinculum conjugii inter christianos rati et consummati nullius in potestate esse ; ideoque manifesti criminis reos esse, si qui forte conjuges, quæcumque demum causa esse dicatur, novo se matrimonii nexu ante implicare velint quam abrumpi primum morte contigerit. — Quod si res eo devenerint ut convictus ferri diutius non posse videatur, tum vero Ecclesia sinit alterum ab altera seorsum agere, adhibendisque curis ac remediis ad conjugum conditionem accommodatis, lenire studet secessionis incommoda, nec unquam committit ut de reconcilianda concordia aut non laboret aut desperet. — Verum hæc extrema sunt ; quo facile esset non descendere, si sponsi non cupidate acti, sed præsumptis cogitatione tum officiis conjugum, tum causis conjugiorum nobilissimis, ea quæ æquum est mente ad matrimonium accederent, neque nuptias anteverterent continuatione quadam serie flagitiorum, irato Deo. Et ut omnia paucis complectamur, tunc matrimonia placidam quietamque constantiam habitura sunt, si conjuges spiritum vitamque hauriant a virtute religionis, quæ forti invictoque animo esse tribuit ; quæ efficit

ut vitia, si qua sint in personis, ut curarum maternarum pondus, ut comites vitæ labores, ut casus adversi, non solum moderate, sed etiam libenter perferantur.

Illud etiam cavendum est, ne scilicet conjugia facile appetantur cum alienis a catholico nomine: animos enim disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse cætera concordes. Quinimo ab ejusmodi conjugiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem præbent vetitæ societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant conjugis catholici, impedimenta sunt bonæ institutioni liberorum, et persæpe animos impellunt ut cunctarum religionum æquam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine. — Postremo loco, cum probe intelligamus alienum esse a charitate nostra neminem oportere, auctoritati fidei et pietatis vestræ, venerabiles Fratres, illos commendamus, valde quidem miseros, qui æstu cupiditatum abrepti et salutis suæ plane immemores contra fas vivunt, haud legitimi matrimonii vinculo conjuncti. In his ad officium revocandis hominibus vestra solers industria versetur; et cum per vos ipsi, tum interposita virorum bonorum opera, modis omnibus contendite ut sentiant se flagitiose fecisse, agant nequitiæ pœnitentiam, et ad justas nuptias ritu catholico ineundas animum inducant.

Hæc de matrimonio christiano documenta ac præcepta, quæ per has litteras nostras vobiscum, venerabiles Fratres, communicanda censuimus, facile videtis, non minus ad conservationem civilis communitatis, quam ad salutem hominum sempiternam magnopere pertinere. — Faxit igitur Deus ut quanto plus habent illa momenti et ponderis, tanto dociles promptosque magis ad parendum animos ubique nanciscantur! Hujus rei gratia, supplice atque humili prece omnes pariter opem imploremus beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, quæ, excitatis mentibus ad obediendum fidei, matrem se et adjutricem hominibus impertiat. Neque minore studio Petrum et Paulum obsecremus, principes apostolorum, domitores superstitionis, satores veritatis, ut ab eluvione renascentium errorum humanum genus firmissimo patrocinio tueantur.

Interea cœlestium munerum auspicem et singularis benevolentiæ nostræ testem, vobis omnibus, venerabiles Fratres, et populis vigilantiæ vestræ commissis, apostolicam benedictionem ex animo impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 10 februarii an. 1880, pontificatus nostri anno secundo.

LEO PP. XIII.

SECTIO IV.

CIRCUMSTANTIA INCESTUS DECLARANDA IN PETITIONE QUARUMDAM DISPENSATIONUM.

Ex S. Congr. S. R. U. Inquisit. decretum quoad dispensationes matrimoniales feria IV die februarii 1882.

In congregatione generali S. R. et universalis Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis DD. S. R. E. cardinalibus in rebus fidei inquisitoribus generalibus proposito dubio : Utrum ad valorem dispensationum quæ sive directe ab Apostolica Sede, sive ex pontificia delegatione conceduntur super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, necnon publicæ honestatis, necessarium sit exprimere copulam incestuosam a sponsis habitam ante impetrationem vel exsecutionem prædictarum dispensationum, necnon exprimere consilium et intentionem cum qua copulam inierant obtinendæ facilius dispensationis.

Iidem Emi ac Rmi DD., præhabito voto d. consultorum, respondendum decreverunt: Standum decretis S. Officii fer. IV 8 augusti 1866 et S. Pœnitentiariæ 20 julii 1869, nempe :

1. Feria IV 8 augusti 1866:

« Emi Patres decreverunt subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes quæ sive directe ab Apostolica Sede, sive ex pontificia delegatione super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, necnon publicæ honestatis, conceduntur, si sponsi ante earumdem dispensationum exsecutionem, sive ante sive post earum impetrationem, incestus reatum patraverint, et vel interrogati, vel etiam non interrogati, malitiose, vel etiam ignoranter, reticuerint copulam incestuosam inter eos initam, sive publice nota ea sit, sive occulta, et reticuerint consilium et intentionem qua eam copulam inierunt ut dispensationem facilius consequerentur. Sufficere autem ut unus ex sponsis delictum hoc suum, vel nefariam intentionem modo dictam explicaverit. Quod profecto nedum a probatis auctoribus communiter traditur, sed etiam a Summo Pontifice Benedicto XIV confirmatur in constitutione quæ incipit *Pastor bonus.* »

2. Sacra Pœnitentiaria sub die 20 julii 1869 respondit:

« Post constitutionem Benedicti XIV *Pastor bonus*, non posse amplius dubitari de nullitate dispensationis obtentæ, reticita copula incestuosa, vel prava intentione facilius obtinendi dispensationem habita in ea patranda. »

LIBER QUINTUS DECRETALIUM

DE CRIMINIBUS

Nota 1°. In hoc ultimo libro Decretalium agitur de criminibus fori ecclesiastici, eorumque pœnis. Sicut liber II instruxit processum judiciarium *civilem,* ita præsens liber adornat processum judicialem *criminalem,* seu persequitur causas criminales criminaliter, nempe ad vindictam publicam intentatas, coram judice ecclesiastico. — Porro crimina diversis virtutibus opponuntur, et ideo, juxta illam oppositionem partiri possunt. — Hunc ergo librum, post Schmalzgrueber, in quinque partes dividere possumus.

Prima pars, postquam modum statuit quo delicta deducuntur in judicium, nimirum, accusationem, denunciationem et inquisitionem, enarrat ea maxime crimina quæ sunt contra *religionem*, seu in vilipensionem rerum spiritualium et orthodoxæ fidei subversionem tendunt : a titulo I ad titulum IX inclusive.

Secunda subjungit illa quæ sunt contra *proximum* seu quibus proximi vita, fama et fortuna læduntur : a titulo X ad titulum XXIII.

Tertia persequitur delicta reliqua, maxime vero illa quæ perpetrantur ecclesiasticorum ordinum temeraria susceptione et susceptorum usu sacrilego, excessu privilegiatorum, injuriis et damnis illatis : generatim ergo agit de criminibus quæ adversantur rectæ susceptioni rectoque usui potestatis ecclesiasticæ, et complectitur titulos XXIV-XXXVI.

Quarta pœnas criminibus, tum vindicativas, tum medicinales statuit : a titulo XXXVII ad titulum XXXIX. Hisce partibus

Quinta adjungitur, quæ respicit omnes partes nostræ disciplinæ et haberi potest ut epilogus totius juris canonici.

Nota 2°. Licet delictum sæpe confundatur cum crimine, in rigore tamen ab eo differt; nam *crimen* presse acceptum, delicta publica, seu contra bonum publicum; *delictum* vero stricte sumptum sola privata denotat, seu quæ lædunt personas privatas. Tamen in communi usu et in ipso jure sive canonico, sive civili Romano et Gallico, pro synonymis usurpari solent delictum et crimen : v. g. in art. 22, 27, 51, etc. Codicis instr. crim.; verum distinctio inter delicta privata et publica, seu delicta et crimina, aliis in locis ejusdem Codicis, infra citandis, agnoscitur.

Delictum in genere, dum consideratur in ordine ad forum externum, seu prout hic sumitur, definiri potest : *Libera et exterius sensibilis transgressio legis divinæ vel humanæ :* sic etiam in jure Gallico (Cod. pœn., art. 1, 7, 8, 9, 464). Illa violatio legis quæ punitur pœna afflictiva vel infamante, in citato Cod. dicitur *crimen ;* dum punitur pœna correctionali, vocatur *delictum;* si simplici politiæ sit obnoxia, dicitur *contraventio.*

PRIMA PARS

DE CRIMINIBUS OPPOSITIS CULTUI DIVINO ET VERÆ RELIGIONI

Crimina cultui divino et veræ religioni opposita sunt præsertim : simonia, judaismus, paganismus, hæresis, schisma, apostasia et sacrilegium quod iteratione baptismi committitur. — De istis criminibus agitur in tot titulis distinctis. Sed his titulis duo præmittuntur, qui ostendunt quomodo et qua cautione hæc et alia crimina in judicium deduci possint.

TITULUS PRIMUS.

DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS ET DENUNTIATIONIBUS (1).

NOTA. 1° Crimina possunt esse notoria vel non ; in hoc titulo agitur directe et proprie de modis variis quibus in judicium deducuntur crimina non notoria, ac proinde agitur de processu criminali.

Breviter exponemus ordinem illius processus, seu quoad ea quæ vel expresse præcipiuntur in jure canonico, vel proxime dictat æquitas naturalis, quæque proinde sufficiunt pro foro canonico. Modus procedendi in foro civili apud nos traditur in Codice instructionis criminalis, qui in multis discrepat a jure Romano, quod canonistæ communiter tanquam normam receperunt ac tradiderunt, quibusdam tamen demptis aut additis per decreta Sedis Apostolicæ. Sed antequam modum instituendi processum criminalem in delictis non notoriis exponamus, nonnulla sunt prænotanda de criminibus notoriis.

2° Notorium dicitur illud crimen quod, vel de jure, vel ipso facto ita certum est, ut nulla discussione indigeat, vel nulla tergiversatione celari possit. Unde notorium est duplex, scilicet notorietate *juris* et notorietate *facti*. Notorium juris illud est cujus notorietas a jure vel in judicio oritur, puta per spontaneam confessionem rei, per sententiam judicis; notorium facti illud est quod perpetratum est in oculis hominum, ita ut nulla tergiversatione celari possit. Requiruntur ad minus sex testes oculares, ut crimen censeatur notorium.

3° Quando crimen occultum est, judex in ejus cognitione adstringitur ad observantiam ordinis judiciarii qui introductus est ad criminis aut juris dubii veritatem investigandam. Inde in delictis notoriis non requiritur ordo judicialis, sed debet constare de ipsa notorietate, et quidem non tantum in ratione *facti*, sed etiam in ratione *delicti :* v. g. quod homicidium

(1) Agitur de hac materia in Pandect., lib. XLVIII, tit. II; in Codice, lib. IX, tit. I et II; quoad jus Gallic., in toto Cod. instr. crim., sed speciatim, lib. I, c. I-IX; lib. II, t. II, III, IV.

commissum est dolo vel culpa. Generatim, crimen censetur notorium in ratione delicti et malitiæ, quando factum est notorium, et nulla apparet exceptio tollens malitiam.

4° Crimen occultum triplici modo in judicium deducitur: 1° per *accusationem,* dum accusator crimen defert et ad illud probandum se obligat; 2° *inquisitione,* dum crimen ex fama vel aliter innotescit, ita ut judex ipse illud inquirat; 3° *denuntiatione,* dum quis judici crimen alienum denuntiat, ut judex de illo inquirat. Isti tres modi enumerantur in rubrica tituli.

§ I. *De processu per viam accusationis.*

I. De natura et effectibus accusationis.

a) Accusatio est actus solemnis quo quis criminosum defert in judicium ad publicam vindictam. Solemnitas ista a jure præscripta in hoc potissimum consistit ut afferatur libellus, in quo exprimi debent nomen judicis, accusati et accusatoris, species criminis, locus et tempus patrati criminis. — Ex jure Romano et c. 16 hujus tituli, requirebatur subscriptio accusatoris in crimen, seu in pœnam talionis, si in probatione defecisset: sic coercebatur temeritas accusatorum. Sed hæc subscriptio seu inscriptio sublata est, ne metu pœnæ talionis deterreantur probi a deferendis criminosis : huic pœnæ successit satisdatio seu cautio idonea per fidejussores vel pignora, quibus querelans caveat de solvendis expensis et reparandis damnis.

b) Effectus accusatorii libelli, ex parte *judicis,* est quod accusatum citare potest, etiam realiter, per capturam; ex parte *accusati,* quod is referatur in numerum reorum; tandem, ex parte *accusatoris,* quod is obligetur probare delictum secundum formam juris.

II. Quinam accusare vel accusari possint?

a) *Accusatores.* 1° Inutilis hodie videtur hæc quæstio, cum in quocumque delicto judex possit procedere ex officio, et generatim sublata sit accusatio proprie dicta. Si ergo, nemine denuntiante, judex procedere potest, multo magis procedere poterit instante accusatore, etiam inhabili. — Tamen enumeratio in-

habilium ordinem rectum judicii, et simul leges moralitatis, in hac materia ostendit. Itaque,

2° Accusare possunt illi omnes qui specialiter non prohibentur; nam agitur de materia generaliter permissa, utpote tendente ad bonum publicum. Prohibentur autem præsertim : 1° mulieres, propter sexum; 2° impuberes, propter ætatem; 3° propter delictum, infames infamia juris vel facti; 4° propter reverentiam, accusare nequeunt liberi parentes, discipuli magistrum, et, ob conjunctionem sanguinis, fratres fratrem; 5° ob odium, inimicus capitalis, aut alias valde infensus, quia censetur accusare, non zelo justitiæ, sed privatæ vindictæ causa; 6° clerici in processu criminali, præsertim si accusationem sequeretur pœna mortis; tamen possunt delictum civiliter deferre in judicium, facta protestatione quod non agant criminaliter ad pœnam sanguinis, sed præcise ad suum interesse. Tunc si judex a judicio civili transeat ad criminale, accusans nullam irregularitatem incurret. Generatim ergo repelluntur ab accusatione illi omnes qui in judicio admitti nequeunt ut testes (vide superius dicta de testibus, in lib. II, tit. xx).

b) *Qui accusari possint?* 1° Regulariter accusari possunt omnes delinquentes usu rationis præditi, nisi specialiter excipiantur; nam jus naturale exigit ut omnes malefactores puniantur.

2° Excipiuntur : 1° mortui, nisi delicto annexa sit pœna confiscationis bonorum; 2° supremi principes, legati eorum et magistratus, durante eorum officio, nisi contra illud delinquant; 3° pubertati proximi et puberes minores accusari quidem possunt, sed pro defensione dandus est eis curator; secus judicium erit irritum; 4° absens, in causa capitali, vel cui infligenda est pœna major relegatione, accusari quidem potest, non tamen regulariter condemnari; sed annotanda sunt ejus bona, et pœna pecuniaria infligi potest; 5° si delictum exstinctum sit via præscriptionis, transactionis, aut morte accusatoris vel accusati : tamen hodie judex procedere potest via inquisitionis ad vindictam publicam, et ideo morte accusatoris accusatus non subtrahitur judicio criminali, sed sola accusatio tollitur. Jus civile canonicum admittit præscriptionem in re criminali, ita ut lapsu temporis aboleatur quoad vindictam delictum; quoad peculatum et delicta carnis, præscriptio in

jure Rom. et can. erat quinquennalis; quoad alia delicta, vicennalis. In jure nostro (Codex instr. crim.) est etiam vicennalis quoad pœnas a judice competente latas in omni re criminali (art. 635); ipsa actio criminalis quoad graviora crimina decennio præscribitur (art. 637), si intra illud tempus nulla facta sit inquisitio juridica nullusque processus institutus sit; quoad delicta inferiora, seu illa quæ pœna correctionali plectuntur, præscriptio est triennalis (art. 638); tandem diversa statuuntur tempora pro contraventionibus, prout agitur de pœnis jam a judice latis, quo casu biennalis est præscriptio, vel de ipsa actione publica, quæ anno completo præscribitur (art. 638-640); 6° reus semel absolutus non potest iterum de eodem crimine accusari, cum sententia lata contra unum accusatorem pariat exceptionem rei judicatæ contra omnes de populo, et reus, per sententiam absolutus, restituatur suæ innocentiæ. Ita in omnibus jus Rom.

III. Quod sit officium judicis in casu accusationis?

a) Si accusatio est legitima, judex tenetur eam admittere, nam judex tenetur ex officio suo studere bono reipublicæ; sed accusatio legitima ordinatur ad bonum reipublicæ, ne crimina maneant impunita.

b) Si accusator est illegitimus et inhabilis, tenetur eum judex ex officio suo repellere ab accusando, nisi tali casu reus citatus teneatur comparere in judicio; nam sicut bono publico interest crimina non manere impunita, ita ejusdem interest ne per illegitimas accusationes subditi sæpe innocentes fatigentur ex prava passione accusantis, et sic aliquo modo infamentur.

§ II. *De processu per viam denuntiationis.*

I. Quid et quotuplex sit denuntiatio?

a) Denuntiatio est legitima delatio criminis et criminosi superiori facta sine solemnitate. Legitima erit, si fiat secundum jura naturalia, divina et humana.

Communiter dividitur in evangelicam, canonicam et judicialem. Tamen alii rectius illam immediate partiuntur in evangelicam et judicialem, quæ est canonica vel civilis.

b) Denuntiatio *evangelica,* sic dicta quod a Christo tradita sit (Matth., XVIII, 25), est illa per quam aliquis denuntiatur superiori, ut patri, servato correctionis ordine, non ad vindictam publicam, sed ut ad pœnitentiam perducatur denuntiatus et resipiscat.

1° Locum habet hæc denuntiatio in quovis peccato occulto, modo non sit omnino occultum, seu per duos saltem testes probari possit : penitus occulta soli Deo servantur.

2° Quilibet ex præcepto charitatis fraternæ ad hanc denuntiationem, juxta multos, obstringitur, eo quod verba evangelica sint imperativi modi : tamen, juxta alios, non tenentur nisi illi ad quos correctio spectat, ratione curæ vel officii : quoad cæteros, correctio hæc esset tantum de consilio, sicut alia pia opera.

3° Modus in hac denuntiatione adhibendus præscribitur apud S. Matth. (l. c.); corripiendus est delinquens privatim, absque arbitris, et id non tantum semel, sed iterum ac tertio; deinde coram uno vel duobus testibus; tandem, si non resipiscat, ad Ecclesiam seu superiorem, tanquam patrem, corrigendus deferri debet.

4° Hic ordo, jure tam naturali quam divino, regulariter observandus est : lex charitatis jubet ut proximus peccans ad pœnitentiam reducatur quam minimo id fieri potest, ejus damno. Tamen huic ordini renuntiare potest privatus vel communitas, quia quilibet est dominus suæ famæ et honoris ; sic in Societate Jesu, prætermissa monitione, statim fit denuntiatio superiori : hæc denuntiatio, utlaudabilis, celebratur a Suarezio post S. Thomam et alios. — Diximus : « regulariter »; nam varii sunt casus in quibus delinquens statim denuntiari potest, et sæpe debet, superiori. Præcipui casus sunt sequentes : si delictum jam est notorium ; si delictum cedit in damnum publicum aut etiam tertii privati, et id secreta monitione impediri non possit, ut sunt : proditio, conspiratio, hæresis, susurratio, perturbatio pacis et charitatis communis ; si secreta correctio esset nobis damnosa aut peccanti non profutura, cum obligatio dari nequeat ad inutilia aut nociva ; juxta communem sententiam, omittenda est etiam, si delinquens sit certo emendatus, quia hæc denuntiatio est instituta ad emendationem delinquentis.

5° Superior cui facta est denuntiatio evangelica, debet se

accommodare justæ et rationabili intentioni denuntiantis; unde quando delictum est occultum et nemini præjudiciosum, debet ita procedere, ut neque infamiam irroget, neque delictum, si grave sit, manifestet : tamen potest cum uno vel altero consultare de modo correctionis tractandæ. — Si delictum sit notorium, vel occultum quidem, sed damnosum communitati vel tertio, non necesse est ut corrigat delinquentem secreto, sed præcipere potest delatori ut, relicta denuntiatione fraterna, ad judicialem transeat.

Ratio est, quia bonum commune et innocentis tertii præferri debet bono particulari nocentis.

c) Denuntiatio *judicialis* est delicti apud competentem judicem facta manifestatio. Differt ab accusatione, quia accusator se obligat ad crimen, quod opponit reo, probandum, dum denuntiator non tenetur regulariter in judicio proponere probationes.

Subdividitur in civilem et canonicam : civilis seu judicialis specifice est delatio criminosi ad judicem, ad vindictam publicam vel ad privatum proprium interesse et damni reparationem : inde est publica vel privata. Dicitur *civilis*, non quod proponi nequeat ante judicem ecclesiasticum, sed quod originem ducat a jure civili. Dicitur generalis quando quis delictum absque denominatione delinquentis prodit; illa a quocumque institui potest. Specialis est, si delictum simul et delinquens apud judicem denominatur; et hæc institui potest ab illis tantum quorum interest habere bonum prælatum, administratorem : quales sunt subditi, ut v. g. parochiani quoad parochum, religiosi quoad prælatum.

Canonica, a sacris canonibus introducta, est delatio criminis apud superiorem ecclesiasticum, ut per eum crimen illud impediatur. Dicitur generalis vel specialis, prout omnibus permissa est, vel certis tantum personis, seu ratione personarum quæ denuntiare possunt. Locus est denuntiationi in foro canonico, quando is qui denuntiatur est clericus, quando crimen est ecclesiasticum, ut hæresis, simonia, et generatim causa spiritualis vel spirituali annexa; si justitia obtineri nequeat in foro civili, vel si denuntians sit persona miserabilis.

II. Quænam delicta judicialiter denuntiari possint vel non?

a) Denuntiari debent :

1° Delicta notoria, ne scandalum in communitate oriatur. Hoc procedit etiamsi hæc delicta non adversentur bono publico vel tertii; denuntiatio enim exigitur ideo quia talia delicta scandalum generant.

2° Delicta occulta, adversantia bono communi vel tertii, quia bonum commune et tertii innocentis præponderat bono privato famæ delinquentis. Ex articulo 30 Codicis instr. crim., quisque tenetur denuntiare hæc crimina, quando testis fuit patrati criminis; officiales vero publici, statim ac habent notitiam delicti (art. 29 ejusdem cod.). Verumtamen privati qui, vi articuli 30, crimina vel delicta denuntiant, non videntur subjici actioni judiciali in compensationem damnorum, juxta art. 358 ejusdem codicis, ideoque non proprie dicuntur denuntiatores, multo minus subjiciuntur alicui pœnæ, si officium denuntiandi neglexerint.

b) Sub denuntiationem judicialem non cadunt :

1° Delicta mere personalia quæ nulli nocent, nisi delinquenti, ut ebrietas, fractio jejunii, etc. Hæc corrigenda sunt per secretam admonitionem, vel denuntiationem evangelicam.

2° Delicta oculta plene emendata.

c) Socius criminis generatim non admittitur ad denuntiandum socium: ita communior sententia contra plures. Ratio est, quia merito suspicio esse potest hanc denuntiationem fieri ex odio, aut ad impunitatem proprii sceleris, non intuitu boni publici. Dixi : « generatim », nam concurrentibus quibusdam circumstantiis, quæ illam suspicionem tollunt, admitti potest.

III. Forma et effectus denuntiationis civilis.

a) Forma denuntiationis civilis coincidit cum forma accusationis, in cujus locum successit : unde fieri debet in scriptis, expresso denuntiantis et denuntiati nomine ac delicto cum suis circumstantiis : consonat art. 31 Codicis instr. crim., qui huic formæ addit subscriptionem procuratoris reipublicæ, in singulis foliis denuntiationis.

b) Denuntiatione legitime facta, judex tenetur instituere in-

quisitionem specialem contra denuntiatum : ita etiam jus Gallicum (Cod. instr. crim., art. 47). Verum si denuntiatio privata sit, seu facta ad privatum interesse, ei præmitti debet, saltem ex lege charitatis, admonitio prævia, si damnum citra inquisitionem facile inter privatos reparari possit. Tamen lex positiva non adstringit judicem ad hanc præmonitionem (vide art. 63 et 64 Cod. instr. crim.).

Ex altera parte, denuntiatio facta denuntiantem adstringit ut testes nominet, probationes quas habet, judici suggerat, et ea quæ de crimine novit, ostendat. Disputant DD. utrum denuntians possit esse testis in causa denuntiata; cum sententia communi, rejiciendus est in causis gravioribus : ob affectum ad causam, qui in ejusmodi causis censetur magnus, merito arcendus est, ut suspectus.

§ III. *De processu inquisitorio.*

I. Quid et quotuplex sit inquisitio ?

a) Inquisitio, generatim sumpta, est legitima indagatio criminis et criminosi per prælatum vel quemlibet judicem competentem facta, vindictæ publicæ causa. Sequitur ex hac definitione : 1° quod crimen circa quod versatur inquisitio, debeat esse magnum et reipublicæ noxium; 2° quod leviora delicta, quæ modica pœna pecuniaria vel carceris coercentur, regulariter non teneatur judex inquirere; imo, sæpius præstat ea dissimulare.

Ratio introducendi modum inquisitionis justa fuit, ne deficientibus qui reos deferrent ad judices, delicta, etiam gravissima, manerent impunita : quod esset maxime contra bonum publicum.

Olim processus inquisitorius erat remedium extraordinarium, seu introductus est ut suppleat defectum processus accusatorii; sed hodie est remedium ordinarium. Differt a judiciis per accusationem et denuntiationem, quia in inquisitione, fama locum tenet accusationis, testes recipiuntur, etiam lite non contestata, recipiuntur testes minus idonei, ac denique inquisitio fit de criminibus manifestis.

b) Inquisitio est duplex : generalis et specialis.

1° Inquisitio *generalis* est illa qua indeterminate quæritur in delicta, seu qua ex mero officio, nulla certa persona et crimine expresso, judex investigat an in sua ditione crimina quædam vel excessus committantur; quandoque inquirit etiam auctorem ignotum certi delicti.

2° *Specialis* est, qua determinate in hanc personam inquiritur, an patrati delicti sit auctor : hæc ergo tendit ad examinandum et condemnandum reum, si constiterit eum crimen patratum commisisse, dum generalis tendit ad reum investigandum, et ideo est præparatoria ad specialem.

Specialis fit tribus præsertim modis : ex mero officio judicis; ad querelam alicujus qui non vult stare in judicio tanquam accusator; tandem, ad denuntiationem alicujus publici officialis ad denuntianda delicta deputati.

3° Notandum est, quod aliqui doctores sine necessitate dividunt inquisitionem in generalem simpliciter, seu generalissimam, quæ habetur quando judex inquirit, an sint crimina, sine ulla designatione personæ vel criminis; in specialem simpliciter, quæ fit in certam personam de certo crimine jam delato, et tandem in mixtam, qua in certum crimen, nulla certa persona expressa, vel in certam personam, nullo crimine expresso, inquiritur : sed omissa hac divisione, primam bipartitam retinemus, quæ omnes casus complectitur.

II. An processus inquisitorius sit licitus?

a) Inquisitio generalis est omnino licita, imo per se præcepta a concilio Trident., sess. 7, c. 8, *de Ref.*, sess. 25, c. 20, *de Requisitis in visitatione*. Ratio est, quia ex una parte, prælatis incumbit indagare quomodo subditi vivant, an delicta aliqua perpetrentur, et ex altera, nulli fit injuria per inquisitionem generalem, cum nulla exprimatur certa persona.

b) Inquisitio specialis in debitis conditionibus facta, est etiam licita : nam jure civili introducta est, et jure canonico (cap. 21 Clem. h. t.) expresse approbatur. Ratio est, quia ex una parte, reipublicæ interest delicta patrata non relinquere impunita, et ex altera, sæpius deficiunt accusatores in hoc genere odioso. Necesse est ergo ut judex potestatem habeat inquirendi eos quos publica fama delictum perpetrasse clamat.

Ad legitimam inquisitionem contra talem personam, sequentes requiruntur conditiones : 1° Ut certo constet de corpore delicti : quomodo constare debeat de corpore delicti, fuse expendunt canonistæ, qui generatim distinguunt crimina *facti permanentis,* v. g. homicidii, quæ post se vestigia relinquunt, et *facti transeuntis*, ut, v. g. injuria verbalis, quæ indicia non relinquunt. In primo casu per ocularem inspectionem, in secundo per conjecturas et præsumptiones constare potest de corpore delicti. 2° Ut præcesserit infamia seu publica diffamatio rei : hæc conditio, licet respondeat æquitati naturali, non videtur introducta in jure Gallico, sed exigitur in jure can. (cap. 19, 21, 23 h. t.). Ratio ex parte judicis est, quod judex criminaliter nequit procedere contra reum, nisi ex scientia publica; porro talis scientia non habetur, ubi deest publica diffamatio. Deinde ex parte rei, inquisitio reum injuste diffamaret, cujus fama adhuc est integra. At quid intelligatur per diffamationem quæ reddit licitam et justam inquisitionem ? Diffamatio publica habetur, quando rumor de tali homine et commisso ab ipso crimine sparsus est per majorem partem viciniæ, collegii, universitatis in qua inquirendus moratur et originem habet, non a malevolis, sed honestis.

Sunt tamen plures casus in quibus locus est inquisitioni speciali adversus delinquentem infamia non laborantem : si agatur de criminibus gravissimis læsæ majestatis divinæ vel humanæ, latrocinii, etc.; si judex ex mandato principis procedat, quia princeps potest inquirere, non præcedente diffamatione rei; si crimen cum altero est connexum : ut, v. g. de homicidio potest inquiri de spoliatione cadaveris occisi; si sint indicia crimini valde proxima : ut, v. g. si aliquis minas fecit, inventus est in loco criminis, etc.

III. Qui sint effectus inquisitionis specialis ?

Diversus est effectus, prout inquisitio est suscepta tantum vel absoluta.

1° Inquisitio est suscepta, si, præter infamiam, adsit probatio semiplena per unum testem integrum, vel indicia semiplenæ probationi æquivalentia; parit in judice jus et potestatem legitime interrogandi. Sed juri interrogandi respondet obligatio

fatendi veritatem, et ideo personæ inquisitæ tenentur fateri crimen quod commiserunt.

Tamen, si ageretur de pœna mortis vel æquivalente, non tenerentur manifestare suum crimen, quia lex humana non obligat cum tanto detrimento, ut jam dictum est in titulo XVIII libri secundi.

Deficiente probatione semiplena, inquisitus non tenetur respondere, cum judicis interrogatio non sit legitima.

2° Inquisitio absoluta trahit post se sententiam judicis, vel condemnatoriam, si reus convictus crimen haud confessus sit, vel absolutoriam, si reus indicia contra se prolata plene diluit. Tamen, antequam absolvatur, ei defertur juramentum purgationis; quod si denegaret, pro confesso haberetur.

3° Inquisitus, probato crimine, regulariter pœna ordinaria puniendus est; constat ex praxi tribunalium et communiori suffragio doctorum, et æquitate naturali, cum inquisitio sit hodie judicium ordinarium. — Tamen in foro ecclesiastico, ex benignitate, quandoque pro personis alias honestis, temperatur pœna, præsertim si crimen sit detectum per inquisitionem generalem.

TITULUS II.

DE CALUMNIATORIBUS (1).

Nota. In accusationibus delinqui potest, præsertim calumniando : quapropter statim subnectitur titulus de calumniatoribus. Sed calumniæ valde affines sunt prævaricatio et tergiversatio, et ideo de his tribus modis prævaricandi agitur in hoc titulo.

I. De calumniatore.

a) Calumniator in criminalibus dicitur qui falsum crimen in judicio scienter et dolo malo alteri impingit. Calumniator est

(1) Agitur de hac materia in Pandect., l. XLVII, t. XV, l. XLVIII, t. XVI; in Codice, l. IX, t. XLII-XLVI; quoad jus Gall. in Cod. pœnal., lib. III, tit. II, § 2, et in lege 17 maii 1819, 25 mart. 1822, etc.

verus vel præsumptus; *verus* dicitur ille de quo certo constat quod ex malitia et scienter de falso crimine detulerit alterum; *præsumptus* autem, qui deficit in probatione delati criminis, quia debebat probationes habere paratas, dum in judicium aliquem vocabat.

Tamen illa præsumptio calumniæ elidi potest per contrarias probationes, ut constat ex capite finali h. t. : si necessitate vel legitima causa inductus fuit ad accusandum, et semiplene probavit; si minister publicus reum denuntiavit, modo non sit suspectus inimicus, et præcesserint indicia sufficientia, etc.

b) Pœna calumniatoribus in jure statuta, præter solutionem expensarum et reparationem omnis damni illati, est : 1ᵃ pœna talionis, seu ejusdem supplicii quod reus, si convictus fuisset, sustinuisset, secluso tamen ultimo supplicio, juxta communiorem sententiam. Sanctus Pius V, in constitutione *Cum primam,* 6 apr. 1566, innovavit talionis pœnam (jam collapsam in utroque foro) quoad calumniatores veros. Ratio illius pœnæ est, ut accusatorum refrenetur temeritas, et securior sit innocentium vita. Sed pœna talionis hodie est fere ubique abrogata; in jure Gallico, pœnæ consistunt in mulcta pecuniaria et incarceratione (vide Cod. pœn., art. 361, 374, et leges 17 maii 1819, 25 mart. 1822), seclusa distinctione inter calumniatores in judicio vel extra judicium, nisi agatur de falsis testibus (art. 361, 364).

2ᵃ Pœna est infamia juris, saltem quando per sententiam condemnatus est de calumnia accusator ipse. Ita sancitur in utroque jure can. et Rom.; sed in jure Gallico, decernitur tantum pœna privationis jurium civilium et politicorum ad tempus (art. 374 Cod. pœn.), cum modificatione introducta a lege 9 sept. 1835.

3° Clericus calumniator privatur beneficio ecclesiastico (c. 1 h. t.).

4° Calumniose denuntiantes, per se vel per alios, innocentes confessarios de sollicitatione ad turpe, privantur spe absolutionis sacramentalis, quam Rom. Pontifex, excepto mortis articulo, reservat Sedi Apostolicæ, licet huic flagitio nulla sit annexa censura. Ita Bened. XIV in const. *Sacramentum pœnitentiæ.*

II. De prævaricatore et tergiversatore.

a) *Prævaricator* est ille cum qui reo criminis colludit, veras propositiones dissimulando, et falsas exceptiones admittendo, ut reus absolvatur. Duobus modis aliquis efficitur prævaricator :

1° Quando quis, ut advocatus vel procurator, clientem a quo habet mandatum, prodit, secreta causæ illius detegendo ejusdem adversario;

2° Quando quis, se fingens accusatorem vel denuntiatorem criminis, colludit cum reo.

b) *Pœnæ stabilitæ contra prævaricatorem.* Prævaricator colludens cum reo, quando hujus criminis condemnatur, incurrit infamiam juris. In jure Gallico, prævaricatio non videtur constituere delictum diversum a falso testimonio, præsertim per dissimulationem (art. 361 Cod. pœn.)

c) *Tergiversator,* quasi tergum vertens, est ille qui a publici criminis accusatione semel instituta desistit. Si autem negotium accusationis differat, non statim est desertor seu tergiversator, nisi elapsus sit accusationis terminus. Ita jus Romanum, quod varias pœnas statuit contra tergiversatores; sed istæ hodie sunt sublatæ, cum causa ob quam stabilitæ sunt, non remaneat; nam desistente accusatore, judex procedit ex officio, et ideo tergiversatio non reddit crimina impunita.

TITULUS III.

DE SIMONIA ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR VEL PROMITTATUR.

NOTA. Posita sunt in prioribus duobus titulis præliminaria judicii criminalis; in sequentibus vero titulis affertur materia, seu varia delicta recensentur in specie. Hæc crimina, uti monuimus, adversantur, alia religioni et fidei catholicæ, ut simonia, infidelitas, hæresis; alia justitiæ et proximo, uti est homicidium, adulterium; alia sunt propria clericorum, ut venatio, ministratio in excommunicatione, etc. Corpus juris in hoc libro, seu in ma-

teria criminali, initium sumit a simonia, propter ejus gravitatem; non tamen quod simonia ex objecto suo sit omnium delictorum gravissimum, sed quia est maxime perniciosum.

SECTIO PRIMA.

De natura et varietate simoniæ.

I. De natura simoniæ.

a) Simoniæ nomen venit a celebri mago Simone, qui pecunia emere voluit Spiritum sanctum; sed delictum emendi spiritualia pro temporalibus, etiam antiquioribus temporibus commissum fuit, ut constat Num., XXII, ubi legitur Balaam prophetiam vendidisse; IV Reg., V, ubi Giezi pretium accepit pro sanitate restituta Naaman Syro, etc.

Quoad rem, definiri potest : *Studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum.*

Dicitur: *studiosa voluntas,* hoc est, actus deliberatus voluntatis pacisci seu se obligare valentis.

Dicitur: *emendi aut vendendi,* quæ verba sunt late accipienda pro quovis contractu oneroso, expresso vel tacito, quo res spiritualis datur pro temporali; igitur materia simoniæ est res spiritualis vel spirituali annexa tanquam merx, et res temporalis tanquam pretium; hoc pretium satis indicatur in definitione per verba *emendi aut vendendi.* Tria ergo ad simoniam constituendam requiruntur: pactum onerosum, pretium quod consistit in re temporali, et merx quæ est res spiritualis. De his tribus successive agemus.

b) Sequitur 1° quod malitia simoniæ consistat in eo quod res sacra ac spiritualis indigne ac irreligiose tractetur, dum in commutationem trahitur pro re temporali, et sic instar rerum temporalium venalis proponitur. Quare,

2° Opponitur per se et principaliter virtuti religionis, quia est injuriosa tractatio rei spiritualis, ac proinde quædam species sacrilegii. Videtur etiam opponi tum fidei, cum in SS. canonibus appelletur hæresis, tum justitiæ, eo quod venditor non sit dominus spiritualium. Ex hoc duplici corollario etiam sequitur,

3° Quod in simonia juris divini et naturalis nulla admittatur parvitas materiæ : nam res sacra, quantumvis parva sit in suo

genere, remanet in altiori ordine, et ideo ordo spiritualis vilipenditur per æquiparationem cum re temporali : sic fit injuria tum dono Dei, tum ipsi Deo. Sed ob actus imperfectionem et agentis ignorantiam, peccatum potest esse veniale. Tamen in simonia juris ecclesiastici, probabiliter (S. Lig., l. III, n. 50) dari potest parvitas materiæ, quia per hanc simoniam non fit proprie injuria rei sacræ, sed tantum violatur præceptum Ecclesiæ, quæ præsertim avaritiam et alia incommoda intendit.

II. De variis speciebus simoniæ.

a) Dividitur in eam quæ est juris divini, seu proprie dictam, et eam quæ est juris ecclesiastici, seu minus proprie talis. Prima est, qua temporale datur pro spirituali, nempe pro re de se vere spirituali, uti est gratia sanctificans, sacramenti benedictio, ecclesiastica jurisdictio ; altera habetur, dum contra prohibitionem Ecclesiæ datur spirituale pro spirituali, ut in permutatione beneficii pro beneficio propria auctoritate facta, vel quando datur temporale pro temporali, ut si quis emat officium œconomi, thesaurarii, advocati ecclesiæ, etc. Ex natura rei non repugnant ejusmodi permutationes, spiritualis pro spirituali, vel temporalis pro temporali, ac proinde simonia est juris positivi ecclesiastici.

1° Divisio illa a quibusdam impugnatur ut inepta et DD. antiquis incognita ; sed retinenda est, nam expresse indicatur in sacris canonibus, scilicet, simonia juris divini in hoc titulo, simonia juris ecclesiastici in c. 5, 7, *de Rer. permut.*, et cap. fin., *de Pactis*.

2° Sub nomine *juris divini* venit jus mentibus nostris a Deo insitum, seu naturale ; jus divinum positivum non exstat circa simoniam ; sed jus naturale vetat rem sacram et spiritualem inhonorare et indigne tractare.

3° Simonia *juris ecclesiastici*, licet minus proprie simonia sit, venire tamen potest sub nomine simoniæ : quia pacta illa relationem habent ad spiritualia, et dum ab Ecclesia præcipitur res indifferens ex motivo religionis vel alterius virtutis, res illa fit objectum illius virtutis, et subtrahitur permutationibus humanis.

b) Utraque subdividitur in *internam*, quæ in solo animo, sive

interno animi proposito consummatur, et *externam*, quæ prorumpit in actum exteriorem. Externa iterum partitur in *mentalem, conventionalem* et *realem*.

1° *Mentalis* seu inchoata est, in qua datur temporale cum animo obligandi ad reddendum spirituale aut e converso, sed nullo interveniente pacto expresso vel tacito; attamen dans animo suo intendit alterum obligare. Dicitur ergo mentalis, non quasi mente retineatur, sed quod temporale ea mente datur, ut alter obligetur tanquam ex justitia dare spirituale, vel econtra : v. g. simoniacus mentalis efficitur, qui inservit episcopo, nulla quidem conventione facta, sed ea mente ut pro mercede ei conferat beneficium.

2° *Conventionalis* est, in qua intervenit pactum seu conventio expressa aut tacita de dando spirituali pro temporali; non sufficit ergo sola promissio rei spiritualis pro temporali, aut vicissim, sed ea promissio debet esse a promissario acceptata, secus simonia esset mentalis tantum. Est conventionalis, quia adest vera conventio et pactum.

Conventionalis duplex est : *pura,* cum traditio ex neutra parte secuta est; *mixta,* cum facta est traditio ex alterutra parte : aliquid ei admiscetur ex reali.

3° *Realis* est, in qua pactum completur mutua traditione rei spiritualis et temporalis, sive totum pretium semel tradatur, sive pars illius; et, juxta communiorem sententiam, pœna illius simoniæ non incurritur, nisi facta sit traditio aliqua ex utraque parte, ac proinde remanet distinctio inter simoniam realem et conventionalem mixtam.

c) Circa beneficium, committi potest simonia juris communis, seu *simplex*, et potest committi simonia *qualificata,* jure speciali ecclesiastico introducta, quæ confidentialis dicitur.

Simonia *confidentialis* ea est qua quis beneficium ecclesiasticum alicui quocumque modo, v. g. eligendo, præsentando, conferendo, vel in ejus favorem resignando, procurat, cum expresso vel tacito pacto, ut is cui id procurat, quidpiam circa beneficii fructus vel circa ipsum beneficium det : ut, v. g. post aliquod tempus, idem beneficium ipsi procuranti vel alteri resignet, aut pensionem vel fructus ex eo præstet. Requiritur *pactum,* secus esset simonia mentalis, non autem confiden-

tialis : tamen expressus recipientis beneficium consensus non requiritur. Ob confidentiam quam unus præstat alteri, dicitur confidentialis. Dicitur *qualificata*, quia fit cum speciali qualitate et facto, et insuper specialem habet qualitatem pœnarum.

SECTIO II.

De pacto simoniaco.

I. Pactum simoniacum.

Nomine pactionis simoniacæ venit, ut antea diximus, quicumque contractus onerosus et reciprocus et omnis conventio, tam tacita quam expressa, vi cujus spirituale pro temporali, tanquam pretio, datur vel promittitur. Nihil ergo refert ad simoniam qualecumque nomen tali pacto imponatur, quia non agitur de verbis, sed de rebus.

De contractu mutui disputant DD. : utrum ergo mutui exactio pro re spirituali sit simoniaca? Multi negant simpliciter, quia mutuatio, quæ gratuita esse debet, non potest æquiparari pretio, et censeri quid temporale; alii affirmant, quia usus pecuniæ alicui concessus est quid pretio æstimabile, et ideo si mutuum exigatur *ex pacto* pro re spirituali, est simonia. Docta iniquitas varios modos excogitavit quibus turpitudo simoniæ tegeretur; sed istæ fictiones facile deteguntur et ex dictis removentur.

Itaque 1° pacta expressa quibus datur vel promittitur temporale, ut pretium, pro spirituali, sunt manifeste simoniaca : ut si detur pecunia pro collatione ordinum, pro electione, nominatione, etc. ad beneficium; pro ipso ingressu ad religionem, pro ipsis sacris reliquiis.

2° Dare temporale pro spirituali, non ut pretium, sed ut motivum adæquatum aut saltem primarium conferendi spirituale, vel ut spirituale conferatur ex compensatione gratuita, est simoniacum. Est hodie certa sententia, ex damnatione contrariæ sententiæ per Inn. XI : « Dare temporale pro spirituali non est simoniacum, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale fit solum gratuita compensatio pro spirituali aut econtra » (prop. XLV inter damnatas

ab Inn. XI). Constat etiam ex c. 34 h. tit., ubi receptio clerici in canonicum dicitur esse simoniaca, si ille bona sua obtulit pro præbenda sua cum conditione ut ipse recipiatur in canonicum. Sic bona dantur, non ut pretium, sed ut motivum conferendi ex justitia. Tamen si intentio primaria sit dandi gratis temporale, dans excusaretur a labe simoniæ, cum nulla fiat comparatio immediata inter temporale et spirituale (S. Lig., n. 54). Sed si obligatio antidoralis deducatur in pactum, erit simonia, saltem quando pactum novam addit obligationem (S. Lig., n. 53); etenim titulus justitiæ substituitur titulo gratitudinis.

3° Dare vel facere spirituale, v. g. absolvere a peccatis, censuris, impedimentis, etc., ex principali motivo seu fine acquirendi temporale, est simoniacum, juxta communem sententiam (S. Lig., n. 54). Constat etiam ex damnatione sententiæ oppositæ ab Inn. XI : « Id quoque locum habet (quod non sit simoniacum) etiamsi temporale sit motivum principale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quam res spiritualis » (prop. XLVI inter damnatas). Ratio est, quia dans vel faciens spirituale principaliter propter temporale, censetur dare vel vendere spirituale pro temporali, tanquam pretio, quod est omnino simoniacum. Motivum hic non differt a pretio, seu, ut ait S. Lig., motivum virtualiter convertitur in pretium (*l. c.*). Hoc habetur etiam, saltem juxta multos, in canonico qui choro assistit principaliter propter distributiones, vel in sacerdote qui concionatur, missam celebrat, etc., primario propter stipendium; sed si ejusmodi actus exercentur principaliter propter finem suum intrinsecum, scilicet honorem Dei, nulla simonia erit secundario intendere commodum temporale. In dubio, fructus temporalis præsumitur finis secundarius. Diximus : *juxta multos,* quia probabilior sententia eosdem excusat, quum stipendium non detur ut pretium rei sacræ, sed ad honestam personæ sustentationem, et intentio agentis conformis sit naturæ rei (S. Lig., n. 55, quæst. 5). Ob eamdem rationem, a simonia multi excusant sacerdotem qui pro missa stipendium supra taxam legalem exegerit, licet contra justitiam peccet; sed sententia opposita a gravibus DD. propugnatur.

4° Conventio qua duo beneficiati sine consensu superioris permutant inter se beneficia, est simonia simplex juris eccle-

siastici (c. 5 et 7, *de Rer. permut.*); sed non est simonia juris naturalis, quia non datur temporale pro spirituali, sed spirituale pro spirituali.

5° Simonia *confidentialis,* juxta definitionem superius datam, est altera species pacti simoniaci, saltem de jure ecclesiastico. Tribus potissimum modis contingit, scilicet per reservationem accessus, ingressus et regressus, quibus additur stipulatio pensionis reservanti vel alii dandæ ex fructibus beneficii.

1. *Accessus* reservatur, quando quis alteri procurat beneficium sub pacto ut is tertio, hic et nunc impedito, defectu ætatis, ordinis, etc., istud beneficium relinquat statim ac is erit capax; ille tertius habet accessum, h. e. propria auctoritate illud beneficium apprehendere potest.

2. *Ingressus* reservatur, quando quis beneficium sibi collatum, cujus tamen possessionem nunquam adiit, alteri cedit eo pacto ut cedens, si per mortem cessionarii vel alio modo vacare contigerit hoc beneficium, illud ingredi et possessionem capere valeat.

3. *Regressus* reservatur, quando quis beneficium a se jam possessum cedit vel resignat alteri, eo pacto ut si resignatarius præmortuus fuerit, vel aliter beneficium dimiserit, ipse resignans idem beneficium recuperet.

6° Tandem conventio pretio facta ut alter omittat actum potestatis spiritualis, est simonia, et omissio talis simoniaca : ut si quis pecunia corruptus omitteret jurisdictionem spiritualem concedere, vel dispensare, eligere, etc. Constat ex c. 14 h. tit. Si tamen actus spiritualis qui omittitur, dependeret a libertate, qualis esset omissio orandi, celebrandi, saltem in iis qui ad hos actus non tenerentur ex justitia, nulla esset simonia (S. Lig., n. 97).

Cætera omnia pacta simoniaca ad hæc sex revocari possunt.

II. Pacta analoga pactioni simoniacæ, sed non simoniaca.

Ad distinctiorem explicationem pactionum simoniacarum, oportet considerare pacta vel actus qui, licet analogiam habeant cum actibus simoniacis, sunt tamen liberi a labe simoniæ; quare spectato antea positive pacto simoniaco, nunc negative consideratur.

a) Pactum quod facit clericus ante susceptionem sacri minis-

terii super congrua sustentatione aut stipendio, non est simoniacum. Ratio est, quia pactum super eo quod ex justitia debetur, est licitum, ut scilicet quantitas determinetur, si lege vel consuetudine non est determinata ; nam congrua sustentatio jure naturali debetur clerico ministranti spiritualia. Sed hæc determinatio commensuranda est, non rei spirituali, sed conditioni personæ congruenter sustentandæ ; tamen hæc determinatio immunis esse debet ab avaritia.

b) Pactum quod prælatus facit cum professuro vel parentibus ejus, ut aliquid detur titulo dotis, item titulo legitimæ, et, si monasterium sit inops, titulo sustentationis, non est per se simoniacum. Ratio generalis est quod, stantibus his titulis, temporale datur pro temporali, non pro spirituali seu pro ipso ingressu religionis : quo casu esset simonia, ut supra dictum est.

Prima pars præsertim constat ex speciali indulto Inn. VIII, qui concessit monialibus ordinis Minorum, ut ab ingressuris dotem congruam petere possent; deinde ex pluribus decretis S. Congr. Episc. et Reg. et S. Congr. Conc., constat moniales posse dotem a legitima potestate, seu S. Congr. Reg., statutam exigere, etiamsi monasterium sit opulentum, dummodo illa dos non detur pro ipso ingressu, ut si ob dotem admitteretur inhabilis. Ratio hujus indulgentiæ est, quia monasteria monialium sunt obnoxia diversis infortuniis, quas non patiuntur monasteria virorum (S. Lig., n. 92). Deinde tollitur ratio vagandi et communicandi cum sæcularibus ut necessaria habeantur.

Quoad *secundam* partem, licet non debeatur legitima ante mortem parentum, tamen jus radicale ad eam existit, et hoc jus devolvitur ad religionem, quæ proinde super eo potest pacisci.

Tertia pars constat ex conc. Trid., s. 2, c. 16, *de Reg.*, ubi permittitur religioni aliquid petere et accipere pro victu et vestitu novitii; ergo si monasterium sit inops, aliquid exigere potest titulo sustentationis, etiam pro tempore professionis. At si monasterium sit dives, magna est controversia apud DD. quoad professos : juxta communiorem sententiam, nihil petere potest titulo sustentationis. In hoc casu committeretur simonia non juris naturalis, ut docent plures, cum detur temporale pro

temporali, sed duntaxat juris ecclesiastici, juxta c. 40 h. tit. Notandum est tamen quod generatim monasterium aliquid pro sustentatione novitiorum exigere potest, quia isti adhuc non pertinent ad religionem et pro libitu discedere possunt; sed retinenda est praxis nihil exigendi, ubi erit introducta, etsi conc. Trid. loquatur generatim de sustentatione novitiorum, nullo facto discrimine inter monasterium dives vel inops. Tamen attendendum est ne dos vel sustentatio indiscriminatim petatur; secus multis pauperibus magis idoneis præcluderetur via ad statum religiosum; item ne inhabilis suscipiatur propter pecuniam.

c) Pensiones quas clerici divites a fidelibus exigunt ratione ministeriorum spiritualium, ut funerum, matrimoniorum, baptismatum, etc., non sunt simoniacæ, etsi agatur de modo ordinario agendi, seu absque pompa speciali, et qui officia illa peragit sit parochus: nam c. 62 h. tit., Trid. s. 24, c. 14, *de Ref.*, et Rit. Rom., *de Exsequiis,* approbantur, et servari præcipiuntur consuetudines piæ et laudabiles in receptione sacramentorum aliorumque spiritualium administratione fieri solitæ; porro solvere funeralia, baptismalia et aliæ hujusmodi pertinet ad pias et laudabiles consuetudines (1). Ergo. Idem dicendum de pecunia quæ solvitur occasione dispensationum, etc. juxta taxam a S. Sede statutam, quia hæc datur titulo eleemosynæ vel sustentationis onerum pontificatus. Ratio est, quia pensiones istæ non exiguntur ut pretium pro ipso sacro ministerio, sed alio titulo per consuetudinem approbato; et quidem clerici *pauperes* jam exigunt istas pensiones titulo sustentationis; deinde tam divitibus quam pauperibus clericis debentur titulo oblationum ex consuetudine debitarum et titulo decimarum personalium, in quarum locum videntur successisse istæ pensiones. Ab initio erant voluntariæ oblationes, quæ postea, vi consuetudinis vel decretorum episcopalium, actæ sunt obligatoriæ.

Tamen 1° si clericus ex justitia tenetur certum ministerium præstare, nec adsit consuetudo legitima et ab Ecclesia probata, non potest pro eo pecuniam accipere: sic, v. g. parochus qui ex

(1) Aliqui, apud Bouix (*De paroch.*, p. 499), contrarium sentientes, olim impugnarunt illas consuetudines aliquid recipiendi pro illis functionibus.

justitia tenetur diebus dominicis et festivis offerre missam pro suis ovibus, non potest aliud stipendium pro eadem missa accipere, citra injustitiam et simoniam.

2° Si exactio esset violenta, immoderata seu excedens summam lege aut consuetudine taxatam, non careret labe simoniæ; quia reapse aliquid exigeretur pro re spirituali, non autem vi legis aut consuetudinis.

3° Item si exactio fieret cum protestatione non faciendi spirituale, nisi numeretur pecunia; quo casu ministerium spirituale manifesto præstaretur propter pecuniam, ut finem principalem.

d) Conventio conditionalis, qua aliquid datur vel legatur sub conditione aut modo ut quid ponatur spirituale, non est simoniaca : constat ex c. fin., *de Testam.*, et c. 12, *de Restit. spol.*, etc. Ratio est, quia id quod datur vel promittitur sub conditione, non est absolute obligatorium, sed tantum invitat ad faciendum spirituale; quo posito, temporale datur ex mera liberalitate aut gratitudine : v. g. aliquis potest promittere officium infideli, si ad fidem conversus fuerit; benefactor potest offerre pauperibus pecuniam, si quasdam preces recitent, etc. : non fit contractus onerosus ac bilateralis.

Tandem considerari potest donatio gratuita, tam ex parte dantis temporale, quam ex parte donantis spirituale : 1° donatio gratuita absque voluntate alterius obligandi ex justitia ad dandum spirituale, per se non est simoniaca, licet fiat sub spe et intentione conciliandi animum, v. g. collatoris, ad dandum beneficium : colligitur ex cap. 30 huj. tit. Tamen in praxi hæc doctrina, licet speculative vera, est valde periculosa, quia hæc munera ante collationem beneficii facta, vix unquam dantur sine simonia mentali, et in foro externo præsumuntur simonia ex pacto ; deinde talia munera potenter inclinant et excæcant animos. Hactenus dicta præscindunt ab omni intentione, etiam virtualiter simoniaca, commutandi spirituale cum temporali : sic, ut supra dictum est, qui episcopo inserviret cum animo obligandi ad retribuendum beneficium ex gratitudine, non excusaretur a simonia mentali (S. Lig., n. 55).

Et animadvertendum est quod sunt quædam materiæ in quibus jus prohibet hæc dona, ac proinde donatio esset simoniaca :

ita in ordinationibus, examinibus, in concursu pro parochia, expeditionibus litterarum indulgentiarum, etc.

2° Conferre spirituale ex obligatione pure antidorali seu gratitudinis, non est simonia : ut si episcopus conferat alicui beneficium, quia vult ei esse gratus pro obsequiis vel gratiis temporalibus ab eo acceptis : ita communior sententia contra plures (S. Lig., n. 51). Ratio est, quia gratitudo non habet opus determinatum, nec respicit æqualitatem cum re accepta ergo exhiberi potest etiam per opus nobilius re accepta, ideoque per rem spiritualem, secluso omni pacto. Idem dicendum de casu quo quis conferret beneficium propter consanguinitatem, vel amicitiam, vel indigentiam alterius sublevandam. Tamen si hoc pacto intenderet se eximere ab onere sustentandi eleemosynis sive consanguineum sive indigentem, posset peccare, licet non sit simoniacus.

SECTIO III.

De merce et pretio simoniæ.

§ I. *De merce simoniæ.*

I. Variæ species.

a) Materia adæquata simoniæ est *res spiritualis* per modum *mercis* venalis, et *res temporalis* per modum *pretii.* Nomine *rei spiritualis* hic intelligitur res aliquo modo supernaturalis, a Deo vel Ecclesia ordinata ad cultum divinum et salutem animarum. Ejusmodi res spirituales sunt quadruplicis generis : 1° Aliquæ sunt *spirituales formaliter*, ut habitus supernaturalis gratiæ, fidei, etc. 2° Aliquæ sunt *spirituales causaliter,* ut sacramenta, sacramentalia, etc. 3° Aliquæ sunt *spirituales effective,* per modum operationis, ut absolvere a censuris, judicare in causis spiritualibus, etc. Tandem 4° aliquæ sunt *spirituales connexivè*, quæ licet sint in se temporales, tamen propter connexionem cum spirituali evadunt spirituales et ad finem supernaturalem ordinantur. Hæc connexio fit sive antecedenter, quia ordinem dicunt ad spirituale, ut calices, vestes sacræ, etc. ; sive concomitanter, ut labor corporeus in sacrificando, concionando, etc.; sive consequenter, quatenus ad jus spirituale sequitur aliquid temporale tanquam accessorium :

v. g. jus præbendæ annectitur officio spirituali. — De singulis istis speciebus rei spiritualis agendum est.

Res formaliter spirituales sunt materia simoniæ, sive emantur in abstracto, sicut Simon Magus voluit emere Spiritum sanctum seu gratias gratis datas, sive in concreto.

Res causaliter spirituales, ut sacramenta, sacramentalia, sive transeuntia, ut exorcismi Ecclesiæ et variæ benedictiones, sive permanentia, ut res consecratæ et benedictæ; item officia ecclesiastica, ut officium episcopi, parochi, etc., sunt materia simoniæ, saltem prout accipiuntur cum suo spirituali. Constat ex variis juribus, ut c. 9 h. tit., etc. Excipe materias remotas sacramentorum et sacramentalium, quæ emi possunt, ut panis pro Eucharistia, calices, etc.

Res spirituales effective per modum actionis sunt materia simoniæ; nam istæ actiones ordinantur ad salutem animarum, adeoque excedunt omne pretium temporale.

b) Hujusmodi sunt : 1° actus a gratiis gratis datis proficiscentes, ut prophetia, patratio miraculorum, etc. ; 2° actus ordinum clericalium, ut consecrare, ordinare, sacrificare (c. 1, 8, 9, etc. h. tit.); 3° actus officii seu jurisdictionis spiritualis, ut conferre beneficia ecclesiastica, approbare ad curam animarum, concedere jurisdictionem pro foro interno, absolvere a censuris, dispensare in votis, juramentis, impedimentis matrimoniorum vel ordinum, et legibus (conc. Trid., sess. 24, c. 5, *de Ref. matr.*, sess. 25, c. 18, *de Ref.*), admittere ad novitiatum et professionem religiosam, seu generatim omnes actus jurisdictionis ecclesiasticæ, sive voluntariæ, sive contentiosæ.

Adnotandum est: 1° actus ordinum minorum, etiam ut a laicis exercentur, sunt materia simoniæ, ut advertunt multi canonistæ. Ratio est, quia actus isti, licet in laicis non procedant ex potestate spirituali, tamen ex fine suo sunt spirituales; ergo gratis exerceri debent : tamen pretium peti potest ex altero titulo, v. g. sustentationis, laboris extrinseci, etc.

2° Pro collatione quorumcumque ordinum, etiam primæ tonsuræ, ordinans nihil potest recipere, nisi cereum; item pro litteris dimissoriis aut testimonialibus, aut pro sigillo, episcopi et eorum ministri, præcedente pacto aut exactione, nihil recipere possunt citra vitium simoniæ (c. 1 h. tit.); imo nec

sponte oblatum : ita jure novo Trid., sess. 24, c. 1, *de Reform.*, Bened. XIII, const. *Commissi*, 1725. Tamen ex ipso Trid. (*l. c.*), excipiuntur notarii in iis tantum locis in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, ut decimam partem aurei accipere possint ob dimissorias aut testimoniales, dummodo nullum salarium sit eis constitutum, nec episcopus inde aliquid accipiat directe vel indirecte. Cancellarius, ex taxa Innoc. XI, decem julios recipere potest pro conficiendis instrumentis collationis beneficiorum.

c) Sunt tamen quædam taxæ quæ ex variis titulis cohonestantur.

1° In curia apostolica statutæ sunt taxæ pro confirmatione episcoporum, pro dispensationibus et aliis expeditionibus spiritualibus : nam isti actus gratis reapse expediuntur, et hæ taxæ exiguntur, sive titulo commutationis, dum vota commutantur in alia opera pia; sive titulo coercitionis, per modum pœnitentiæ, dum ob præcedens delictum petitur dispensatio; sive titulo sustentationis pro officialibus Papæ.

2° In curiis episcopalibus, aliquando taxæ præscriptæ sunt pro dispensationibus, investituris, aliisque negotiis spiritualibus. Utrum istæ taxæ sint immunes a labe simoniæ, magna est controversia inter DD. Conc. Trid., sess. 24, c. 5, *de Ref. matr.*, et sess. 25, c. 28, *de Ref.*, videtur penitus damnare ejusmodi taxationes et istas consuetudines, etiam immemoriales, « quæ potius abusus et corruptelæ, simoniacæ pravitati faventes, nuncupari possunt ». Juxta hoc decretum judicat S. Congr. Conc. Tamen nonnulli DD. putant illas taxas non dari pro actu spiritualis jurisdictionis, sed titulo sustentationis pro officialibus curiæ episcopalis, et ideo esse immunes a labe simoniæ, si petantur facto discrimine inter divites et pauperes clericos et fideles, et officiales non recusent dispensare, etc., si pecunia non numeretur. (Vide quoad dispensationes matrim. causam in S. Congreg. Concilii die 28 jan. 1882 agitatam, et generatim, quoad taxationes cancellariæ, decretum S. Congreg. Concilii 8 oct. 1678, editum jussu Innocent. XI, quod vocari solet *taxa Innocentiana.*)

II. Res spirituales connexive.

NOTA. Istæ res sunt etiam materia simoniæ : tamen opus est distinctione.

a) Calices consecrati, paramenta sacra, loca auctoritate ecclesiastica deputata ad cultum divinum, ut accipiuntur adæquate cum sua benedictione et ordine ad finem supernaturalem, sunt materia simoniæ : nam res istæ, hoc modo acceptæ, sunt omnino sacræ et nulli temporali pretio adæquabiles. Verumtamen,

Calices et aliæ res habentes materiam pretio æstimabilem, secundum illam vendi possunt absque ulla simonia : ita communis sententia contra quosdam docentes vasa sacra vendi non posse, nisi prius per confractionem exsecrentur. Hoc colligitur ex can. 2, *Ea*, 10, q. 3, et can. 70, *Aurum*, 12, q. 2. Ratio est, quia res sacræ per consecrationem non amiserunt suum valorem naturalem, ac proinde secundum materiam vendi possunt.

Tamen istæ res, si integræ sint, vendi non possunt nisi pro aliqua ecclesia; sed confractæ, ad quemcumque usum vendi queunt : ita S. Thom., 2ª 2ᵉ, q. 100, a. 1, 2, 3.

b) Notandum est, 1° quod res benedictæ exigui valoris, ut oleum et chrisma, vel pretiosæ in quibus oriri posset suspicio de auctione pretii intuitu benedictionis, prohibentur vendi (can. 105, *Dictum*, 1, q. 2, et c. 8 h. tit.); tamen aliqui excusant a labe simoniæ illam praxim qua ecclesiæ cathedrales aliquid ab ecclesiis particularibus accipiunt pro compensandis sumptibus factis in comparanda materia olei benedicti vel sacri chrismatis (Gury-Ball., t. 1, n. 189, post Scavin.).

2° Ex pluribus decretis S. Congr. Indulg., interdictum est ne rosaria, cruces et numismata benedicta venditioni exponantur. Tamen non videntur committere simoniam qui ratione pretii temporalis venderent ejusmodi res, vel etiam sacras reliquias capsulis pretiosis inclusas, modo ob benedictionem vel reliquias res majori pretio non vendatur.

3° Ecclesia et cœmeterium etiam excipiuntur (c. 15, 41 h. tit., et c. 13, *de Sepult.*), quia hæc duo non solent esse in commercio humano; tamen probabile est proprietatem materialem ecclesiæ et sepulcri proprii vendi posse, servatis debitis solemnita-

tibus juris ; textus supra notati respiciunt potius beneficia vel cœmeterium commune fidelium, quam ecclesiam materialem, vel sepulcrum proprium, seu jus sepulturæ.

c) Præbenda seu beneficium, ut est jus percipiendi fructus temporales, non potest vendi citra simoniam juris naturalis : ita communis sententia contra quosdam volentes esse simoniam tantum juris ecclesiastici. Constat ex variis juribus (can. 8, causa 1, q. 3, can. 9 ejusdem causæ, etc.). Ratio est, quia simonia juris naturalis est violatio rei sacræ per venditionem; porro præbenda est res sacra connexive, siquidem auctoritate papali annexa est officio spirituali, cujus proinde est accessorium.

Idem dicendum est de jure patronatus.

§ II. *De pretio simoniaco.*

a) Alterum constitutivum simoniæ est pretium, quod in jure canonico appellari solet munus; unde munus hic non accipitur pro dono liberali, sed pro aliquo ex justitia commutativa debito.

Hoc sensu munus est triplex, juxta cap. *Sunt nonnulli*, 24, causa 1, q. 1 : 1° *Munus a manu*, per quod intelligitur pecunia late sumpta pro omni re mobili vel immobili pretio æstimabili et in alterum transferibili : ad hoc ergo revocantur etiam debiti solutio vel solutionis dilatio aut anticipatio. 2° *Munus ab obsequio,* quod est ministerium quodcumque seu servitium temporale ex justitia præstandum, ut famulari, negotia gerere, scribere, etc. 3° *Munus a lingua,* quod est omne genus precum temporalium, laudum, commendationum, quatenus ex obligatione fiunt ad obtinendum spirituale, vel ad compensationem pro illo obtento. Necesse est ergo ut collator pacto quopiam expresso vel tacito intendat obligare alium ad preces pro se fundendas, vel commendationes, etc.; non sufficit proinde ut quis moveatur precibus ad dandum spirituale. Minime ambiguum est quin munus a manu constituat pretium simoniacum. De aliis ergo speciebus superest agendum.

b) *Munus a lingua et obsequio* constituit materiam seu pretium simoniæ, dummodo munus illud præstetur ex debito seu ex obligatione justitiæ, ut dum intuitu illius detur spirituale vel

quia datum est spirituale pro tali munere præstito, vi pacti expressi vel taciti; nam hoc munus est temporale et pretio æstimabile; ergo si flat *ex pacto*, vim habere potest pretii simoniaci.

Sequitur 1° simoniacum esse servire episcopo sine salario, vel cum modico salario, si ex pacto expresso vel tacito, beneficium servienti conferatur loco salarii; sed si adest solummodo spes obtinendi beneficium, quin interveniat pactum, per se loquendo non est simonia; sed hoc est periculosum, quia excæcat, et alias scandalum semper generat.

2° Emere preces, commendationes vel operam a tertio, ut is apud collatorem persuadeat collationem beneficii, est simoniacum: colligitur ex can. 207, *Statuimus*, 1, q. 1, et ex can. fin. 1, q. 5, ubi Urbanus II dispensat cum eo pro cujus ordinatione pecunia data fuit, non quidem episcopo, sed alicui ex suis familiaribus. Ratio est, quia emens causam virtualiter emit effectum. Tamen si pecunia fuisset data, non pro ipsa mediatione, sed pro labore suscipiendo vel pro officio omittendo, etc. ab ipso mediatore, et pecunia illis sit proportionata, non erit simonia (S. Lig., n. 64).

3° Dare spirituale propter causam temporalem, nulla intercedente obligatione justitiæ, non est simonia: constat ex supra data definitione simoniæ. Unde non est simonia, si quis alicui conferat beneficium intuitu consanguinitatis, amicitiæ, familiaritatis, quia confert gratis. Item, si quis pro se interponat preces, adulationes, etc., ut obtineat beneficium; nam collatio semper remanet gratuita, non vero fit ex justitia compensativa precum, etc. Item, qui dat beneficium debitori, metu amittendi debitum, modo non apponat pactum securitatis, seu conditionem ut beneficiatus debitum solvat: est gratuita collatio.

c) *Quid si pretium consistat in re spirituali?* 1° Generatim non habet rationem pretii simoniaci, nisi beneficium commutetur pro beneficio absque consensu superioris: quo casu est simonia juris ecclesiastici, ut dictum est antea, sect. IV, I, 5°.

2° Si imponatur onus quod de jure inest, non est simonia: v. g. Confero tibi beneficium, ut alterum incompatibile resignes; at si imponatur onus quod de jure non inest, erit simonia, propter novam obligationem pretio æstimabilem: v. g. Confero tibi beneficium, ut alterum resignes compatibile.

d) An redemptio injustæ vexationis quam quis pateretur in jure speciali, sit simoniaca, si fieret per dationem temporalis? 1° Si vexatio superveniat juri jam plene quæsito in prælatura aut beneficio, nulla erit simonia vexationem istam pecunia redimere (c. 28 h. tit.). Ratio est, quia in tali casu non datur temporale pro spirituali, sed pro temporali, seu pro tollenda injusta vexatione : v. g. si quis episcopum confirmatum injuste vellet vexare, poterit ei dari pecunia ut removeatur impedimentum injustæ vexationis. At si vexatio est justa, v. g. propter dubium legitimæ electionis, non licet eam pecunia redimere, nam per pecuniam reapse ascenderetur ad prælaturam vel beneficium.

2° Si vexatio obstet juri speciali nondum quæsito, sed adhuc acquirendo, seu, v. g. antecedat electionem seu acquisitionem prælaturæ vel beneficii, regulariter non licet eam pecunia redimere : nam sic per pecuniam quis pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Tamen opus distinctione : plures affirmant quempiam posse universim se redimere ab injusta vexatione; S. Lig. (n. 161) melius distinguit inter vexantes qui prodesse possunt, vel non; in primo casu, seu quando agitur de aliquibus electoribus vel collatoribus beneficii aut præsentantibus ad illud, redemptio esset simoniaca, quia reipsa datur temporale pro acquirendo spirituali; si vero vexatio proveniat ab illo qui solum nocere potest, non autem prodesse, nulla erit simonia, cum in tali casu non detur temporale pro acquirendo spirituali. Unde in specie,

Si vexatio immineat ab extraneo, ut quia is vult redimenti nocere per sinistras relationes et persuasiones malignas, redemptio vexationis potest fieri citra simoniam, quia sic removetur tantum difficultas injuste causanda, et non proprie efficitur via planior ad electionem vel beneficium.

Dicitur in quæstione « injusta » vexatio; nam si justa esset vexatio, nemo posset se redimere, etiamsi vexans non possit prodesse : illa enim redemptio pararet viam ad acquirendum spirituale, vel ad retinendum acquisitum.

SECTIO IV.

De pœnis simoniacorum.

Nota 1°. Agitur de pœnis a jure latis contra simoniam; porro sola simonia realis et confidentialis habet pœnas a jure statutas ipso facto incurrendas: constat tum ex jure antiquo (c. 8, 34, 40, etc. h. tit., etc.), tum ex const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX. Per simoniam mentalem nulla incurritur juris pœna (c. 32, 34, *de Sent.*), cum Ecclesia non judicet de internis; neque probabilius per simoniam conventionalem, sive puram, sive mixtam, quia nullibi in jure reperitur pœna clare expressa. Tamen exceptio datur : nam simonia, etiam mere conventionalis, in electione Romani Pontificis plectitur pœna excommunicationis, ex const. *Cum tam divino* Julii II ; et hæc pœna in suo vigore nunc etiam videtur manere, post const. *Apostolicæ Sedis,* et vi art. 6, inter specialiter reservatas.

Notandum est etiam, quod jus pœnas statuit contra reos simoniæ realis, non in omni materia, sed tantum in ingressu religionis et provisione beneficiorum.

Nota 2°. Constitutio *Apostolicæ Sedis,* quæ hodie est totus codex pœnalis Ecclesiæ ad censuras latæ sententiæ quod spectat, nihil innovavit quoad alias pœnas canonicas, quæ proprie non sunt censuræ ; quapropter remanet totum jus pœnale antiquum quoad privationes, inhabilitates, etc.

I. Varia genera pœnarum contra simoniacos.

a) Pœnæ in jure expressæ contra simoniacos in ingressu religionis.

1° Dantes et recipientes, si personæ sunt singulares, excommunicantur : constat ex extrav. 1 h. t., inter comm., et const. *Apostolicæ Sedis,* sub n. 10, inter excomm. S. Pontifici generali modo reservatas. Olim ex ead. extrav., tum capitulum tum omnes religiosi capitulariter congregati suspendebantur ab officio jurisdictionem vel administrationem involvente, non tamen ab ordine : sed hæc pœna non reperitur expresse renovata sive in const. *Apostolicæ Sedis,* sive in conc. Trid., et ideo videtur abrogata : etenim art. 10 const. *Apostolicæ Sedis,* qui non

potest intelligi, nisi de personis singularibus, non attingeret capitulum, ut sic; sed extrav. citata 5 ferit etiam capitulares, et ideo art. prædictus interpretari posset ad normam illius antiquioris juris. Hæc pœna non extenditur ad complices seu cooperatores formales, nisi quoad provisionem beneficiorum : quod expresse declaratur etiam in const. *Apostolicæ Sedis*, art. 8.

2° Illi simoniaci incurrunt infamiam juris, saltem in crimine notorio notorietate juris aut facti, ex eadem extrav., et consequenter fiunt irregulares : omnes enim infames sunt irregulares. Pœnæ illæ incurruntur, secuta professione, non ante professionem, quia pactio illa est ordinata ad professionem.

3° Simoniace professus detrudendus est in arctius monasterium, nisi cum illo episcopus dispenset ab hac pœna particulari, ex ead. extrav. et c. 25, 40 h. tit. —Notandum est tamen, quod pœnæ istæ rarissime incurruntur, quia plerumque exactiones cohonestantur aliquo titulo ex supra enumeratis, præsertim quando agitur de monialibus; imo, juxta Ferraris (v. *Simonia,* a. 3, n. 9 et alias), moniales pœnas juris nunquam incurrunt, quia pœnæ illæ fuerunt revocatæ respectu monialium.

b) *Pœnæ in collatione simoniaca ordinum* olim erant sequentes :

1° Ordinans vel ad ordines præsentans excommunicabatur ipso facto (c. 2 h. tit., extrav. 1 h. tit. et const. *Sanctum* Sixti V, *Romanum* Clem. VIII). Tamen excusabatur episcopus qui reciperet aliquid sponte oblatum.

2° Ordinans suspendebatur a collatione cujuslibet ordinis, ab administratione ecclesiæ et exsecutione omnium munerum pontificalium.

3° Interdicebatur ab ingressu ecclesiæ, ex eadem const. Sixti V.

Easdem pœnas excommunicationis, suspensionis ab exsecutione ordinis simoniace suscepti incurrebat simoniace ordinatus, qui præterea subibat privationem officiorum et beneficiorum. Excusabantur tamen ab illis pœnis qui ignorabant suam ordinationem esse simoniacam. Sed istæ pœnæ non fuerunt renovatæ in const. *Apostol. Sedis ;* ex altera parte, in conc. Trid. indirecte tantum feruntur (sess. 21, c. 1), seu ex jure antiquiori accipiuntur « Qui secus fecerint, ait conc., tum dantes quam accipientes

(ordines simoniace), ultra divinam ultionem, pœnas a jure inflictas ipso facto incurrant; » itaque istæ censuræ contra simoniacas ordinationes hodie non vigent. S. Pontifex Pius IX, in sua const. *Apostolicæ Sedis,* illas pœnas non renovavit, quia vitium simoniæ hodie aut vix reperitur aut potius nunquam invenitur in ordinationibus, et ideo supervacaneum fuisset minari gladium Ecclesiæ simoniacis in ordinationibus. Sed pœna privationis, cum non sit censura, non fuit sublata per laudatam constitutionem.

4° Ordinatus etiam incurrebat suspensionem a spe ascendendi ad superiores ordines; porro hæc pœna est potius irregularitas quam censura, et ideo non videtur sublata per const. *Apostolicæ Sedis.* Est proinde pœna speciali modo reservata Romano Pontifici, ex const. *Sanctum* Sixti V, qui derogavit facultati Tridentinæ, juxta quam episcopi dispensabant in irregularitatibus ob crimen occultum reservatis.

c) *Pœnæ ob simoniam realem in provisione beneficiorum.*

1° Obtinentes, dantes et cooperantes formaliter ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ generali modo reservatam, ex extrav. 2 h. tit., ex const. *Quam primum* Pii V: hæc pœna renovatur in const. *Apostolicæ Sedis,* n. 10. Ab hac excommunicatione absolvere potest episcopus vi facultatis Tridentinæ, si casus sit occultus: nam illa pœna non pertinet ad censuras speciali modo reservatas.

2° Provisio, electio, confirmatio, institutio ipso jure est nulla, ita ut nullum jus, neque titulus coloratus proviso acquiratur: ex ead. const. Pii V et extrav. cit. Tamen si præsentatio vel electio fuerit legitima, et sola institutio simoniaca, valeret prior actus, et sola institutio esset irrita; sed si electio seu prior actus esset simoniacus, omnes actus subsequentes qui in hoc priore fundantur, essent etiam irriti. Reus proinde nullum jus acquireret per triennalem possessionem; tamen, juxta plures, valeret hæc possessio quoad fructus et quoad beneficium, si provisio simoniaca facta fuisset, ignorante beneficiario et in bona fide remanente per totum triennium (Schmalz., l. V h. tit., n. 267).

3° Ita provisus tenetur omnes fructus ex beneficio perceptos restituere « sub animæ suæ periculo », adeoque ante ullam sententiam judicis, ex iisdem juribus: quod intelligi debet univer-

sim in materia beneficiali ; quia retentio fructuum esset contra justitiam, cum sine ullo titulo fructus retinerentur. Non tenetur tamen restituere fructus stolæ, qui presse non sunt fructus beneficii, sed stipendia officii.

4° Ita provisus, juxta plures, fieret inhabilis ad idem beneficium pro hac tantum vice; sed post constit. *Cum primum* Pii V, est perpetuo inhabilis ad hoc idem beneficium, etiamsi eo ignorante simonia commissa sit (c. 17 h. tit. et c. 59, *de Elect.*). Tamen si per intermediam personam vitium simoniæ in fraudem purgaretur, tolleretur hæc inhabilitas ; deinde si esset beneficium simplex, episcopus posset cum ignaro dispensare, juxta communem sententiam. Si vero esset duplex, et collatio non fuisset per sententiam judicis declarata vitiosa, episcopus posset etiam dispensare ; at non valeret tollere hanc inhabilitatem, si beneficiarius non fuisset ignarus simoniæ, etiamsi casus sit occultus : ita S. Congr. Conc., juxta Palavic., *de Simon.*, p. 28, n. 3.

Tandem adnotandum est quod simonia, ignorante proviso, commissa in fraudem ejus, ut scilicet provisio ejus cassetur, ei non obest ; imo sic provisus facit fructus suos, donec bona fides resolvatur per notitiam simoniæ. Imo si commissa fuisset, non quidem in fraudem beneficiati, sed eo ignorante, hic fructus lucraretur quandiu in bona fide manet ; teneretur tantum restituere fructus qui exstant tempore quo cessat ignorantia, quia non pactus est nisi dominium fructuum revocabile, saltem antequam pertingat ad possessionem triennalem.

d) Pœnæ simoniæ confidentialis sunt :

1° Excommunicatio latæ sententiæ Romano Pontifici reservata, ex const. *Apostolicæ Sedis*, n. 9, post. const. *Intolerabilis* S. Pii V, etc. Sed hæc pœna non extenditur ad mediatores seu procuratores simoniæ confidentialis, cum non exprimantur in jure antiquo vel novo ; secus si concurreret simul simonia realis, dato et accepto completa.

2° Olim ex ead. const. Pii V, prælati subjiciebantur interdicto ab ingressu ecclesiæ ; sed hæc pœna non reperitur in const. *Apostolicæ Sedis.*

3° Privatio omnium pensionum et beneficiorum prius obtentorum. Hæc pœna, cum sit vindicativa, non incurritur ipso facto, sed requirit sententiam declaratoriam criminis.

4° Inhabilitas ad idem et alia beneficia; et beneficium simoniace collatum reservatur Sedi Apostolicæ, nisi aliter in concordatis aliquibus statuatur. Fructus male percepti applicantur Cameræ apostolicæ, et hæc pœna incurritur ipso facto, ex const. *Romanum* Pii IV et *Intolerabilis* Pii V.

II. De judicio et dispensatione in crimine simoniæ.

a) *Quis sit judex et accusator in crimine simoniæ?* 1° Solus ecclesiasticus privative, etiamsi simonia commissa sit a laico; nam simonia est crimen mere ecclesiasticum, et ideo ex jure divino et canonico judicandum. Tamen exsecutio punitiva committi potest judici laico.

2° Quilibet accusare et testem agere in hoc delicto potest, etsi alias sit inhabilis (c. 3 et 7 h. tit.). Excluduntur tamen tum capitalis inimicus, ex c. 31 h. tit., quia ipsa æquitas naturalis hoc exigit, tum paganus vel hæreticus, quia agitur de simoniaca hæresi, seu de re ad fidem et religionem spectante.

Quum hoc crimen plerumque sit occultum atque difficilis probationis, sufficiunt probationes per signa, conjecturas et alia indicia præsumptionem vehementem facientia; sed necesse est ut hæc indicia plene probentur.

b) *De dispensatione in crimine simoniæ.* 1° In simonia juris naturalis quoad peccatum, nulla valet dispensatio; nam simonia est intrinsece mala, et stat sub præcepto negativo, cujus materia in nullis circumstantiis cohonestari potest. Itaque S. Pontifex, licet pœnas non incurrat, potest tamen peccatum simoniæ committere.

2° Si Papa dispenset, separando jus temporale, v. g. a jure spirituali, dispensatio excusat a peccato, quia, tali separatione facta, remanet purum temporale pretio æstimabile. Sed ante separationem, res annexæ spirituali sunt de jure naturali subtractæ commercio humano, seu invendibiles.

3° Generatim dispensatio et consuetudo excusant a pœnis et a peccato in his solum quæ jus ecclesiasticum prohibet dare vel accipere, v. g. gratis oblatum post ordinationem, redditus stolæ, etc. Ratio est, quia dispensatio et legitima consuetudo relaxare possunt jus humanum.

4° In pœnis simoniæ non dispensat Papa, nisi ex causis gra-

vissimis, quia Ecclesia semper detestata est hoc crimen, utpote maxime noxium reipublicæ christianæ ejusque spirituali regimini. Si simonia sit publica, recurritur ad Datariam ; si vero sit occulta, recurritur ad S. Pœnitentiariam. Bened. XIV, in const. *Pastor bonus*, 1744, distincte tradit, quoad modum dispensandi, et conditiones et clausulas sub quibus dispensatio conceditur. In exsecutione litterarum dispensationis, observandus est earum tenor, juxta regulas et praxim omnium dispensationum.

SECTIO V.

De restitutione rerum simoniace acceptarum.

I. Obligatio restituendi res simoniace acceptas.

1° In materia beneficiali, datum et acceptum restitui debent ante omnem sententiam, cum jus impediat translationem juris (c. 11 h. tit.). Itaque cum irrita sit beneficii acceptatio, eo ipso nec fructuum dominium acquiritur; ergo hi quoque sunt restituendi. Ex altera parte et consequenter, pretii accepti dominium nullo modo acquiri potest. Ad materiam beneficialem revocantur pensiones, saltem illæ quæ dicuntur *simpliciter spirituales,* non vero *mixtæ.*

2° In materia extra beneficiali, spirituale non est restituendum per se, quia licet peccetur contra religionem, non tamen contra justitiam commutativam. Deinde quædam restitui non possunt, v. g. sacer ordo. At judex potest, in pœnam delicti, restitutionem injungere. Hæc dicuntur per modum principii generalis, quod applicatur tam ipsi rei spirituali simoniace acceptæ quam ejus pretio. Verumtamen pretium temporale de jure naturali restitui debet, quia id exigit justitia commutativa, saltem si pretium illud acceptum fuerit pro re spirituali nullum temporale commodum habente.

At si res spiritualis habeat commodum temporale adæquans datum pretium, hoc non est restituendum de jure naturali, dummodo ratione spiritualitatis non sit plus acceptum : v. g. si pro ingressu religionis aliquid accipiatur, quod sit conversum in bonum communitatis. Tamen judex potest, etiam in hoc casu, præscribere restitutionem in pœnam commissi delicti. Si vero auctum fuerit pretium ratione spiritualitatis rei acceptæ,

excessus de jure naturali restitui debet, ac proinde ante omnem sententiam judicis.

II. Cui facienda sit hæc restitutio ?

1° Attento jure naturali, acceptum simoniace restitui debet parti læsæ, cum hæc damnificetur. Tamen per sententiam judicis, illud acceptum adjudicari potest Ecclesiæ (c. 11 h. tit.). Ratio est, quia emptor rei spiritualis, ob tam grave scelus, meretur privari pretio dato.

Hæc procedunt etiam in simonia mentali, si quid injuste acceptum sit; si vero nulla injustitia commissa sit in facto simoniaco, nihil erit restituendum (c. fin. h. tit.).

2° In causa beneficiali, quando utrinque secuta est traditio, pretium simoniacum debet, saltem de jure ecclesiastico (c. 11 h. tit.), restitui ecclesiæ in qua situm est beneficium, vel, si superior illius ecclesiæ velit, ipsis pauperibus. Tamen juxta Reiffenst. (n. 296 h. tit.) et alios, etiam in hoc casu retinendus esset ordo præscriptus a jure naturali, nempe ante sententiam judicis restitutio fieri posset illi qui dedit.

---

* TITULUS IV.

NE PRÆLATI VICES SUAS, VEL ECCLESIAS SUB ANNUO CENSU CONCEDANT.

Nota. Post tractationem generalem de simonia, jus in hoc et sequenti titulo agit de duplici specie particulari : prima illa est quæ committi potest in concessione prælaturarum, dignitatum, etc.; altera respicit id quod peteretur pro licentia docendi.

I. Simonia est sub annuo censu seu pretio concedere :

1° Jurisdictionem *spiritualem* dignitatibus, officiis et beneficiis annexam. Constat ex rubrica et c. 1, 2, 3 h. tit. et ex conc. Trid., sess. 25, c. 11, *de Ref.* Ratio est, quia in hoc casu venditur spirituale pro pretio temporali locationis. Nec obstat quod olim viguit praxis qua clerici Cameræ apostolicæ et auditores

Rotæ solebant vendere suum officium : nam emolumentum temporale a Papæ auctoritate separatum erat ab officio spirituali, et ideo licite vendebatur emolumentum, non vero jus spirituale.

2° Quoad jurisdictionem *temporalem,* distinguendum est : si jurisdictio ista ab Ecclesia habetur tanquam jus annexum officio spirituali, non potest vendi aut locari absque simonia, quia per connexionem evadit spiritualis. Si vero aliunde quam ab Ecclesia habeatur, locari potest citra simoniam, quia temporale non datur pro spirituali, sed pro temporali; verumtamen locatio ista plerumque est turpis et illicita Ecclesiæque noxia, cum tales conductores solliciti esse soleant, non ut recte judicent et agant, sed ut pecuniam accipiant, et ideo legitime suspecti sunt in suis judiciis et actibus.

3° Sed *fructus prælaturæ* vel parochiæ ex legitima causa licite locantur, servatis servandis, ut dictum est tit. *de Reb. Eccl. non alienandis.*

4° Rector principalis ecclesiæ potest vicario omnes fructus cedere et nomine eorum, seu ut vocant, titulo absentiæ, annuam pensionem petere, nam pensio ista non datur pro officio vicariatus, sed pro fructibus vicario concessis, qui temporali pretio sunt æstimabiles et locabiles.

II. Pœnæ latæ contra illam speciem simoniæ.

1° Dans et accipiens excluduntur ab ecclesia in cujus contumeliam res data et accepta est (c. 38, *de Sim.*).

2° Qui dat pecuniam pro officio aut jurisdictione spirituali, tale officium perdit; male autem ita conferens amittit conferendi illius potestatem (c. 1 h. tit.).

3° Dans pecuniam removetur a clero; episcopus vero pro illa conferens spiritualem jurisdictionem, quandoque deponitur, quandoque suspenditur ad tempus, pro qualitate delicti (c. 2 h. tit.).

TITULUS V.

DE MAGISTRIS ET NE ALIQUID EXIGATUR PRO LICENTIA DOCENDI (1).

NOTA. Duo enuntiantur in rubrica huj. tit., scilicet : 1° tractatus de magistris ; 2° prohibitio recipiendi aliquid pro facultate docendi. Hoc secundum est principalis intentio rubricæ, sed nonnulla præsupponit de magistrorum creatione, juribus, etc., itaque præsens titulus partiri debet in duas sectiones.

SECTIO PRIMA.

De gradibus et honoribus litterariis.

I. Quot sint ordines graduatorum ?

Tres inveniuntur, videlicet : *baccalaurei*, *licenciati* et *doctores*.

a) Infimum locum inter graduatos obtinent *baccalaurei*.

1° Quoad nomen illorum graduatorum, variæ dantur etymologiæ. Videntur dici baccalaurei a *bacca lauri*, seu frondibus lauri baccatis, ob spem fructuum in scientiis afferendorum ; sicut in baccis spes fructus est, ita gradus iste iis tantum confertur de quibus spes concipitur eos merituros aliquando laurum seu coronam lauream, quæ olim imponebatur in promotione doctorum : hinc nomen *laureati*.

Ab aliis dicuntur baccalaurei, seu potius *bacularii*, ob licitum usum baculi in templo et in ludo litterario. Juxta alios, nomen veniret a voce gallica *bachelier*, quæ initio significabat militem tironem aut inferioris ordinis nobilitatem (Schmalzgr., n. 1 h. tit.).

2° Quoad rem nomine baccalaureorum veniunt illi qui sui in scientia profectus primum testimonium publicum sunt consecuti.

3° In plerisque universitatibus catholicis, confertur in philo-

(1) Nonnullæ præsciptiones juris Rom. in Codice, l. X, t. LII, et innumeræ leges in jure Gall.

sophia ad finem primi anni, in theologia ad finem secundi vel initium tertii. In facultate juridica, ubi non exolevit, confertur ad finem primi anni; in facultate medica, ut plurimum, deest. Olim non conferebatur speciatim in litteris et scientiis, sed tantum in philosophia; præsupponebat sufficientem peritiam in litteris et scientiis : et hic modus agendi est certo præferendus, cum hi gradus in litteris et scientiis, relicta vera et solida philosophia, sunt plerumque tituli vanæ garrulitatis ac mentis distorte vagantis.

b) Medio ordine sunt *licentiati*, ita dicti a *licentia*, quæ in hoc gradu promoto conceditur, non quidem docendi, sed ut possit ascendere ad gradum doctoris vel magistri : unde a quibusdam dicuntur *mellodidascali*, seu magistris appropinquantes, cum sint quasi futuri magistri.

Illi ergo dicuntur licentiati, quibus collata est, post experimentum publicum, facultas capessendi supremum gradum. In multis universitatibus, v. g. olim in Salmanticensi, antequam licentia hæc concedatur, candidatus jurare debet se non accepturum esse gradum doctoratus in alia academia. In academiis Thomistarum, ut in facultate S. Mariæ supra Minervam, non conceditur nisi gradus magistri in S. theologia, et exoleverunt gradus inferiores licentiatus et baccalaureatus. In Hispania, olim licentia seu licentiatura erat gradus supremus in utroque jure.

c) In supremo ordine sunt *magistri* seu *doctores*.

1° Sic dicuntur, quia ab aliqua universitate publicum scientiæ testimonium habent quod apti sunt ad docendum : unde sic proponuntur « ut ab omnibus consuli queant, eorumque judicio fidatur, et scientiæ ab eis dictatæ ab auditoribus accipiantur, quasi a docentibus cum approbatione summa » (Schmalz., *l. c.*, n. 3). Tamen in pluribus universitatibus, ita relaxata est vetus disciplina quoad rigorem experimenti publici, ut distinctio inter doctoratos et doctores vulgata sit.

2° Aliqui distinguunt inter *magistros* et *doctores*, quatenus magistri dicerentur qui in philosophia vel theologia, doctores vero qui in jure, medica vel alia facultate supremum gradum adepti sunt. Alii tamen utrumque nomen confundunt, et sub eo comprehendunt quosvis e quavis facultate ad supremum in ea

litterarium gradum promotos. In Germania, nomen magistri solis philosophis dabatur, et doctoris titulus omnibus qui in aliis facultatibus supremos honores erant consecuti.

Hic gradus confertur in omnibus facultatibus, ac proinde olim in S. theologia, utroque jure, medicina et philosophia; nam quatuor tantum erant facultates.

II. Quis sit ordo præcedentiæ inter graduatos, speciatim inter doctores variarum facultatum ?

1° Hic ordo plurimum pendet a consuetudine. Tamen plerumque primus locus debetur theologo, secundus canonistæ, tertius civilistæ, quartus medico, quintus philosopho, sumpta præcedentia ex objecto, fine et utilitate scientiarum. Theologia enim confert ad salutem animarum supernaturalem, jurisprudentia ad salutem et bonum publicum, medicina ad incolumitatem corporis humani; philosophia denique auditores suos disponit ad altiores disciplinas, et ideo subservit omnibus. Ubi admittuntur facultates litterarum et scientiarum, doctores in illis ultimo loco post philosophos venirent, quia litteræ et scientiæ tam physicæ quam mathematicæ subjiciuntur philosophiæ.

2° Potest hic ordo mutari, primo consuetudine, ut diximus: sic v. g. in Salmanticensi universitate, doctores theologiæ et juris locum sumunt juxta antecessionem in ipsa inauguratione doctoratus. Mutatur secundo, quando is qui inferioris gradus est doctor, munus excellentius habet: is præfertur doctori gradus superioris. Tandem mutatur, quando alicui inferioris gradus doctori conceditur præeminentia, ratione singularis excellentiæ, doctrinæ, experientiæ, meritorum, etc.

3° Quoad præeminentiam inter doctores ejusdem gradus, præfertur ille qui pluribus gradibus ornatus est: ratio est, quia ille est geminata dignitate conspicuus. Sed nunquam præfertur doctori gradus superioris, ille qui ornatur pluribus gradibus in facultatibus inferioribus. Inter omnino pares in gradu, præcedit ille qui prius obtinuit gradum academicum : ex reg. juris LIV, *in sexto*.

III. Quæ sint privilegia doctorum ?

a) Aliqua privilegia sunt communia doctoribus theologiæ,

juris et medicinæ ; quædam autem particularia. Inter communia sunt sequentia :

1° Dignitas late sumpta, ex cap. 3 h. tit. et communi sententia canonistarum ; ideo fiunt apti ad exsequendas litteras apostolicas.

2° Vera nobilitas, ita ut doctores nobilibus adnumerentur : colligitur ex jure Rom., l. II, § fin. et l. IV, § 1, ff. *de Exc. tut.* Consentiunt communiter DD. ; imo nobilitas morum plus ornat quam genitorum (c. 3, dist. 40). Hinc etiam gaudent nobilium prærogativis ; sine speciali imperatoris permissu insignia nobilium deferebant ; una cum nobilibus in capitulares ecclesiarum cathedralium eligebantur, etc. (Vide Schmalzgrueber, v., n. 5 huj. tit.)

3° Pro doctoribus stat virtutis et integritatis præsumptio, et ideo præ aliis admovendi sunt ad officia et dignitates ; stat etiam scientiæ præsumptio, ita ut interpretatio legis dubiæ a doctoribus tradita, donec error inveniatur, sit observanda. In judiciis, testis doctor prævalet alteri testi non habenti dignitatem. Ita etiam communiter DD. (Apud Schmalzgr., v, et *l. c.*, n. 6).

4° Doctores eximebantur a muneribus, tum realibus tum personalibus, v. g. ab onere hospitandi milites, a gabellis et vectigalibus dum res transferunt ad suæ habitationis locum (const. l. *Medicos*, 6, et l. finali, *de Medic. et prof.*).

5° Si criminosi, mitius puniebantur quam plebeii ; nec erant afficiendi pœna triremium, laquei, vel alio ignominioso supplicii genere : imo non poterant pœna mortis affici, nisi prius solemniter degradati. (Vide auctor. apud Schmalzgr., *l. c.*, n. 9.)

b) Specialia professorum privilegia sunt : 1° ut præferantur doctoribus non professoribus, etiam senioribus.

2° Pro professoribus militat singularis peritiæ præsumptio, ut constat ex ord. Cam., p. I, tit. IV, ubi jurisconsulti qui in academiis legerunt, in Cameræ assessores præ aliis jubentur eligi.

3° Doctor qui publice alicubi profitetur, ejusdem loci civis esse judicatur, atque ideo fruitur cunctis privilegiis ac commodis reliquorum civium (Mend., *de Jure academ.*, l. I, n. 308).

4° Qui S. theologiæ lectores sunt, præter alia a conc. Later., c. fin. huj. tit. et conc. Trid., sess. 5, c. 1, *de Ref.*, concessa, habent

hoc privilegium, ut quandiu illam docuerunt, etsi absint a suis ecclesiis, percipiant fructus integros suarum præbendarum, imo etiam distributiones pro illo die quo legunt, ex privilegio indulto a Greg. XIII. Hoc extenditur etiam ad eos qui publice tradunt jus canonicum : ita declaravit S. Congr. Conc. (Apud Fagnanum, c. fin. huj. tit., n. 4).

5° Professoribus, si, superveniente senectute vel morbo, docere non amplius valeant, integrum debet stipendium solvi, ac si viribus integri essent. Imo si professor intra annum post inchoatas a se lectiones moriatur, totius anni salarium ipsi debetur, et transmittitur ad hæredes etiam extraneos; et hæc regula sequenda est, etiamsi præstatio salarii per menses fieret. Ita communiter doctores (Apud Schmalzgr., *l. c.*, n. 14). Tamen in hoc servanda est consuetudo locorum.

6° Qui per viginti annos publice docuerunt jura, illustribus annumerantur : ita jus Rom. et communis DD. sententia. (Vide Schmalzgr., n. 15.)

c) Dubium est, an religiosi qui a religione sua doctrinæ theologicæ et canonicæ testimonium habent, æquiparentur doctoribus graduatis ? Respondetur per distinctionem : æquiparantur in ordine ad dignitates ecclesiasticas et alia officia doctoratum requirentia : constat ex conc. Trid., s. 22, c. 2, *de Ref.* Ratio est, quia testimonium religionis fidem facit de doctrina religiosi. Quoad reliqua privilegia, non æquiparantur, cum reapse non habeant gradum academicum.

IV. Qui doctores creare possint, et quomodo ?

I. Hæc *potestas jure proprio et originario* competit Romano Pontifici et principibus superiorem non recognoscentibus ; et quidem doctores creare possunt : Papa, in theologia et jure canonico, cum istæ scientiæ ex suo fine sint spirituales ; principes vero sæculares, in jure civili, medicina et philosophia, seu in scientiis naturalibus. Ratio est, quia solus princeps supremus, jure originario, potest illa approbare et decernere quæ respiciunt bonum publicum, cum solus curam habeat ordinis publici. Itaque Summus Pontifex approbat pro universa Ecclesia et quoad solas scientias supernaturales seu ecclesiasticas, vel illis coordinatas ; princeps politicus, pro suo regno tantum et

quoad solas scientias naturales. Tamen magistri, auctoritate principis sæcularis instituti, nequeunt admitti ad suum officium exercendum, nisi prius de fide et moribus examinati fuerint ab episcopo. Ita communiter DD. et colligitur ex art. 45 et 47 Syllabi :

« Totum scholarum publicarum regimen in quibus juventus christiana alicujus reipublicæ instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum. »

«Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur, ad imperantium placita et ad communium ætatis opinionum amussim. »

Ratio est, quia illi magistri docere debent etiam ea quæ ad religionem spectant. Porro sola Ecclesia potest concedere facultatem docendi quæ ad christianam disciplinam spectant. Præterea scientiæ naturales seu inferiores connexæ sunt cum scientia suprema seu theologia; atqui sola Ecclesia de nexu illo judicare potest.

b) Inde sequitur 1° quod totum scholarum regimen apud christianos subjaceat potestati Ecclesiæ, cum ex una parte instructio et educatio juventutis non possit præscindi ab eis quæ spectant ad religionem christianam, et ex altera soli Ecclesiæ competat potestas docendi veritates revelatas et informandi mores christianorum. Contraria sententia damnata fuit a Pio IX in Syllabo, art. 45, 47 supra memoratis, et art. 46, 48 sequentibus :

« Imo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur. »

« Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum duntaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectet. »

Sequitur 2° quod Ecclesia tolerare nequeat illas scholas quas *neutras* vocant, nempe cujuslibet religionis expertes, quæque suapte natura illuc tandem evadunt, ut Deum prorsus non agnoscant; neque unquam passa est ejusmodi scholas a juventute catholica celebrari, nisi certis casibus, cum tempus et necessitas cogeret, cautoque prius ne præsens esset pravæ contagionis periculum (Allocut. consist. Leonis XIII, 20 aug. 1880, post epist. *Quum non sine* Pii IX ad episc. Friburg., etc.). Verum istæ prohibitiones, ut absolutæ, intelligi debent de illis scholis quæ proprie, seu vere ac *positive* « neutræ » essent, seu excluderent doctrinam christianam; etenim magistri scientiarum naturalium non videntur teneri, saltem de jure naturali et divino ac sub gravi, ad docendam doctrinam christianam etiam pueros ac rudes scholares, nisi in defectu illorum qui ab Ecclesia accipiunt facultatem et munus catechizandi; sed Ecclesia speciale facere valet præceptum et de facto hanc imposuit obligationem Leo X in const. *Supernæ,* 5 maii 1514. Vide etiam declarationem S. Congreg. Conc. *in Spoletan.*, *Doctrinæ catholicæ,* 17 jul. 1688 (apud Girald., *Expositio jur. can.*, s. 786), et speciatim declar. S. Offic. 30 jun. 1875.

Sequitur 3° quod universitas civilis, prout nunc existit in Gallia seu constituta fuit a Napoleone I, non potest valide conferre gradus, nisi quoad scientias ordinis naturalis, seu jus civile, medicinam, scientias et litteras. In hac universitate, theologia perperam recensetur inter facultates, cum gubernium civile non possit conferre gradus in theologia et jure canonico, seu in scientiis quocumque modo supernaturalibus.

c) Jure derivato seu delegato creare possunt doctores : 1° universitates studiorum generalium, quæ hanc facultatem habent a S. Pontifice et supremis principibus sibi concessam. Potestas conferendi gradus litterarios, quæ proprie residet penes Pontificem et principes supremos, transmitti potest per viam communicationis : quæ communicatio facta est præsertim universitatibus. In his universitatibus, actus promotionis annexus est certo officio ; sic Bononiæ archidiaconus, Parisiis cancellarius olim doctores creabant, præmisso examine ac judicio doctorum seu eorum quibus cura examinandi committebatur. Per universitatem intelligitur collegium legitime institutum in

quo docentur omnes scientiæ : vocabantur etiam olim universitates, quia erant scholæ ad totius Ecclesiæ universitatem destinatæ. Initio universitas constabat duplici tantum facultate, theologiæ scilicet et artium ; hæc ultima complectebatur septem artes liberales, nempe 1° grammaticam, rhetoricam et dialecticam, quæ constituebant trivium ; deinde 2° arithmeticam, musicam, geometriam et astronomiam, quæ appellabantur quadrivium. Istis facultatibus postea adjectæ fuerunt facultas juris tam canonici quam civilis et facultas medicinæ seu, ut dicebatur, physicæ.

2° Ex privilegio speciali S. Pontificis, comites Palatini, rectores certorum collegiorum, v. g. collegii Romani et Germanici, generalis ordinis Prædicatorum doctores, in S. theologia creare possunt.

4° Sixtus V concessit collegio protonotariorum facultatem creandi doctores in S. theologia et jure canonico ; sed ex litteris S. Pontificis Pii IX (9 febr. 1853), protonotarii nequeunt hanc facultatem exercere nisi quoad quatuor personas per annum in utraque facultate. Sequitur episcopos jure proprio nullum posse conferre gradum academicum, multo minus approbare universitates aut facultates.

II. *Forma* promovendi doctores sive magistros : 1° Præmittendum est rigorosum examen, quo exploretur candidati scientia et eruditio. Tamen, si aliunde professoribus seu examinatoribus satis constaret de idoneitate, isti examen remittere possent : ita plures apud Schmalzgr., n. 28. 2° Præmittenda est professio fidei juxta bullam Pii IV, alioquin irrita est promotio seu collatio gradus. 3° In ipsa promotione tradi debent candidato insignia doctoralia.

Jus cavet ut sumptus impendendi in solemnitate inaugurationis doctoralis non excedant summam determinatam, seu sint moderati.

Notandum est quod creari non possunt doctores : 1° feminæ, ex can. *Mulierem*, 17, causa 33, et l. *Feminæ*, 2, ff. *de Reg. j.;* 2° spurii et illegitimi, nisi dispensentur ; 3° judæi et alii infideles, cum doctoratus sit dignitas, cujus sunt incapaces ; 4° criminosi, infames, propter eamdem rationem ; 5° scientia sufficiente destituti.

SECTIO II.

De magistris constituendis in ecclesiis et de pretii exactione pro licentia docendi.

I. An in ecclesiis constituendi sint magistri pro clericis et aliis juvenibus instruendis?

a) Obligatio constituendi. 1° In ecclesia metropolitana, præter grammaticum, constitui debet magister theologus ad clericos et alios in sacra Scriptura docendos: loco Scripturæ sacræ potest etiam theologiam scholasticam explanare; imo, de consensu episcopi, theologiam moralem legere posset. Plures tamen negant, inter quos Ferraris, v. *Canonicatus*, a. 9, n. 15. Greg. XVI, per suam encycl. *Inter præcipuos* anni 1842, jubet ut episcopi strictius inhæreant verbis decreti conc. Trid., seu exigit explanationem S. Script., contra Biblicos tunc Ecclesiæ maxime infensos. S. Congr. C., die 2 sept. 1876, distincte expendit hanc quæstionem de materia lectionum theologi. Istæ lectiones S. Scripturæ vel theologiæ converti nequeunt in sermones morales ad populum (Bened. XIV, *de Syn.*, l. XIII, c. IX, et S. C. C. 26 jun. 1847). Ratio est, quia instructio populi parochis injuncta est, dum canonicus theologus ad cleri institutionem destinatus est (Bened. XIV, *de Syn. diœc.*, l. XIII, c. IX, n. 17). Debet etiam suos auditores in his informare quæ ad curam animarum spectant (c. 1, 4 huj. tit. et conc. Trid., sess. 5, c. 1, *de Reform.*).

2° In ecclesiis collegiatis et cathedralibus inferioribus, si propter tenues redditus sustentari nequeat theologus, saltem magister grammaticæ alendus est, qui clericos et alios scholares pauperes grammaticæ præceptis gratis erudi: constat ex c. 1, 4 huj. tit. Sed,

3° Concilium Tridentinum (*l. c.*) auxit illam obligationem, et voluit magistrum theologum constitui in quavis ecclesia cathedrali et collegiata, si existat in aliquo insigni oppido, nisi penitus obstaret reddituum tenuitas; voluit etiam S. synodus lectionem S. Scriptuæ vel theologiæ habendam, etiam in monasteriis et conventibus regularium, in quibus id fieri commode potest.

4° Ex eodem Tridentino (*l. c.*), *grammatico* assignandi sunt fructus beneficii simplicis vel alia congrua merces; theologo

vero præbenda, beneficio vel stipendio, alio onere incompatibili non gravata, quæ eo ipso fit et dicitur *præbenda theologalis;* hæc manet perpetuo deputata ad eum usum, et qui eam obtinet evadit verus canonicus. Ille canonicus qui grammaticam docet dicitur scholasticus, magister scholæ, dum ille qui explicat Scripturas vel theologiam scholasticam, vocatur theologus.

5° Concilium Trid. soli episcopo contulit facultatem eligendi canonicum theologum, ut inter alia jura constat ex declarat. S. Congreg. Conc. 23 april. 1761. Ad episcopum etiam spectat determinare canonicatum vel præbendam quæ in posterum ac immutabiliter constituet præbendam theologalem. Notandum est quod obligatio instituendi theologum nullo modo sublata fuit in Gallia per concordatum anni 1801, siquidem card. Caprara in suis decretis ad exsecutionem concordati, 10 april. 1802, et Pius VII, bulla *Commissa divinitus*, etc., urgent exsecutionem legis Tridentinæ, quoad erectionem theologalis in omnibus capitulis cathedralibus, et quoad officium theologalis exercendum.

b) *Obligatio illorum magistrorum constitutorum.* 1° Lectiones grammatici vel scholastici fieri debent, vel in loco privato ab episcopo designato, non longe ab ecclesia cathedrali aut collegiata, vel in ipsa ecclesia. De consensu episcopi, potest etiam designari seminarium tanquam locus lectionum (S. Congr. Conc. 23 mart. 1839, 9 sept. 1843). Episcopus determinat etiam materiam, locum et modum lectionum S. Scripturæ vel theologiæ, quæ ad minus 40 esse debent per annum, juxta conc. Rom. 1725. Conc. Lat. V antea constituerat, ut theologus bis aut semel ad minus per singulas hebdomades legat. Hæc omnia renovata reperiuntur in nonnullis recentioribus declarationibus S. Congr. Conc. 25 aug. 1848, 29 apr. 1854. Tamen per illa decreta non videtur sublata potestas episcopi determinandi numerum lectionum juxta speciales conditiones diœcesis, etc.

2° An prædicti magistri a suo munere obeundo excusentur, quando invaluit consuetudo non legendi? Jam veteres CC. (Schmalzgr., in h. t., n. 39; Maschat, in h. t., n. 12, etc.) animadvertunt hodie huic obligationi satisfieri per academias et gymnasia in multis locis erecta. Reapse, si in ipsis civitatibus episcopalibus essent academiæ et gymnasia catholica, ipsæ ecclesiæ cathedrales liberarentur a curis et impensis magistros

theologiæ et grammaticæ constituendi; sed pro locis ubi deficiunt ejusmodi academiæ, videtur remanere obligatio : nam S. Congr. C., « facto verbo cum Sanctissimo », utique dispensat ad quinquennium ab obligatione docendi, quando consuetudo non legendi non videtur irrationabilis, seu quando nulla est necessitas legendi (3 maii 1637, 20 aug. 1854). Sed, ex hac ratione dispensandi et circumstantiis dispensationum, constat consuetudinem non docnedi minime præscribere contra jus Tridentinum.

c) Nunc dubium proponitur circa ipsam præbendam theologalem, et quæritur utrum doctor in jure canonico possit ab episcopo admitti ad hanc præbendam?

Ex conc. Lat. et Trid., pro ista præbenda requiritur theologus seu doctor in theologia, et ideo responsio videretur negativa, præsertim quando explanatur Scriptura sacra vel theologia scholastica. Tamen ad eam potest admitti canonista seu doctor in jure canonico, præsértim si consuetudine introductum sit ut loco S. Scripturæ et theologiæ scholasticæ, legatur theologia moralis. Pignatellus pro hac sententia affert plures declarationes S. C. C. Ratio est, quia SS. canones præcipuas et fere omnes regulas theologiæ moralis suppeditant : quapropter eas explanando, canonista officium theologi implet; deinde, a nonnullis jus canonicum non immerito appellatur theologia practica.

d) Disputari etiam expediret de obligationibus magistrorum, ut scilicet profectum discipulorum sedulo promoveant; ut satis studeant ipsi atque suo officio satisfaciant; ut vi, fraude, mendaciis, criminationibus, cum aliorum præjudicio, non curent ad se trahere discipulos aliorum, in quo faciendo graviter peccarent et ad restitutionem tenerentur, etc. De his omnibus agunt moralistæ. « Væ, ait Lugo, væ magistris et concionatoribus qui omnibus artibus et mediis utuntur, ut scholares vel auditores sibi accumulent, etiam cum præjudicio omnium concurrentium! » (*De Just. et jur.*, d. 18, n. 109). Istiusmodi gloriam qua aliqui ad se discipulos trahere nituntur ac laudes sibi comparare, ethica christiana detestatur.

II. De pretii exactione pro licentia et actu docendi.

a) Pro *licentia docendi*. 1° Nullum exigi potest pretium pro

licentia docendi aut gradu litterario, ex rubrica et c. 1 huj. tit., non obstante contraria consuetudine, quæ reprobatur c. 3 ejusd. tit. Etenim turpe est a viris doctis aliquod pretium exigere, sive pro publico scientiæ testimonio quod datur per graduationem, sive pro facultate docendi scientias et artes reipublicæ christianæ necessarias, cum potius viri docti præmiis et honoribus allici deberent ad docendum. Quare ex cap. 1 et 2 huj. tit., accipiens privandus est dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis.

Tamen multi non reprobant praxim qua, pro labore qui subitur in candidatis examinandis, approbandis et inaugurandis in doctores, aliquid per modum stipendii petatur : hoc enim non petitur pro ipsa licentia docendi aut gradu litterario. Sed quæritur,

2° Utrum aliquid accipiendo committatur simonia? Respondetur, quod etsi accipientes illicite agant, per hoc tamen simoniam revera nullam committunt. Etenim licentia ista, sicut et gradus litterarii, sunt mere quid temporale : ideo nihil est in hac materia quod mercem simoniæ constituat.

Secus tamen, si licentia ista descenderet a potestate spiritualis jurisdictionis; nam tunc illam pretio vendere, est simoniacum : v. g. prælatus ecclesiasticus cui ex officio incumbit conferre professuram aliquam cum beneficio ecclesiastico quod ei professuræ annexum est, simoniace ageret, si pro concessione illius professuræ aliquid præsumeret exigere vel accipere.

b) Pro ipso *actu docendi*. 1° Si ageretur de scientiis naturalibus, ut sunt philosophia, jus civile, etc., dare et accipere pecuniam non esset simonia, nam istæ scientiæ pertinent ad ordinem naturalem, ideoque datur temporale pro temporali.

2° Controversia est de S. theologia et jure canonico; sed opus est distinctione : certum est quod pro theologia naturali docenda, quæ de Deo ut auctore naturæ agit, peti aliquid temporale potest, cum sit scientia naturalis.

Quoad theologiam supernaturalem, si de illa quæ est per se infusa, quæque in S. Litteris dicitur *interpretatio sermonum*, ageretur, evidens est quod simoniaca esset ejusdem pro pretio communicatio, si fieri posset : esset ipsum donum Spiritus S. pecuniæ æquiparari.

Quoad theologiam supernaturalem acquisitam, si ordinaretur ad finem supernaturalem, v. g. ad infideles et hæreticos convertendos, ad fideles excitandos ad amorem Dei, prout illam tradunt catechistæ, concionatores, exactio pretii simonia non careret, cum talis scientia ex suo objecto et fine sit supernaturalis. Aliquid tamen accipi posset titulo sustentationis.

Tandem si professio theologiæ aut juris canonici, vel etiam consilium seu responsum theologicum aut canonicum, ordinaretur præcise ad illustrandum intellectum audientium, sicut communiter fit in scholis, pecuniam pro illis accipere non est simonia. Ratio est, quia ejusmodi traditio sacræ doctrinæ non ordinatur per se ad salutem animarum seu ad finem supernaturalem, et ideo non videtur esse aliud quam labor naturalis, qui proinde est pretio æstimabilis. Etsi discursus theologici sint entitative supernaturales, traduntur tamen modo naturali.

TITULUS VI.

DE JUDÆIS, SARRACENIS EORUMQUE SERVIS (1).

NOTA. Simoniam sequitur infidelitas, quæ magis quam simonia opponitur religioni : subvertit enim ipsa fundamenta veri cultus divini, cum tollat fidem, quæ est radix veræ religionis.

§ I. *De natura et varietate infidelitatis.*

a) Infidelitas, juxta vim nominis, idem est ac carentia fidei.

Quando sumitur in genere, trifariam dici potest : *negative,* quando scilicet aliquis inculpabiliter ignorat fidem nostram, cum fides ei nunquam annuntiata fuit ; *contrarie,* si reperitur penes illos qui sibi sufficienter propositam vel contemnunt vel ei contradicunt pertinaciter, quales sunt hæretici ; *privative,*

(1) Vide Codicem, l. 1, t. VII, art. 9-12.

quando ita opponitur fidei, ut sit culpabilis ejusdem ignorantia vel error circa res fidei.

b) Infidelitas *contraria*, ex modo repugnandi fidei, subdividitur in paganismum, judaismum et hæresim, et hæc divisio est adæquata : nam peccatum infidelitatis seu contra revelationem fit sive negando ex toto vel ex parte utrumque Testamentum, sive admittendo Vetus et negando Novum, sive tandem admittendo utrumque, sed non integre. De duabus prioribus infidelitatis speciebus agitur in hoc titulo. Itaque 1° paganismus est error vel secta repugnans fidei scriptæ, sive negans mysteria et veritates a Deo revelatas, tum in Vetere, tum in Novo Testamento : qui hanc sequuntur, pagani et gentiles appellantur. Hujus species est secta Sarracenorum, sic a Sarraca Arabiæ civitate nuncupatorum, non vero a Sara uxore Abrahæ, a qua se originem trahere mentiuntur: isti utrumque Testamentum ex parte admittunt, et Mahumetis Alcorano adhærent.

2° Judaismus est error hominum legem duntaxat Mosaicam sectantium : in hoc peccant, quod legem novam, cujus Mosaica erat umbra et figura, rejiciant. Judæi ergo hic dicuntur qui adhærent soli Veteri Testamento absque fide in Christum tanquam verum Messiam. Vox *Judæi* aliquando accipitur ad significandam gentem, sic dictam a tribu Juda, cum prius appellarentur Hebræi ab Heber, cujus familia cultum veri Dei semper tenuit.

c) Ex definitionibus sequitur quod paganismus sit, ratione exclusionis, gravior judaismo, nam plures articulos fidei negat quam judaismus; sed *absolute loquendo*, judaismus est gravior paganismo, quia judæi majorem Dei et Scripturarum cognitionem habent quam gentiles, et ideo eorum peccatum magis est voluntarium et inexcusabile.

§ II. *De communicatione fidelium cum judæis.*

I. Tolerantia Ecclesiæ ergà judæos.

a) Licite tolerantur judæi inter christianos, ut constat ex c. 9 huj. tit., et hoc est conforme Apostolo, ad Romanos, XI, 25, ubi docet judæos ante finem mundi ad Christum convertendos. Ratio est, quia judæi dant fidei christianæ perpetuum testimo-

nium, ut ex figura videamus figuratum. Confirmatur exemplo SS. Pontificum, qui judæos in ipsa Urbe semper toleraverunt. Secus de paganis et hæreticis, qui nihil afferunt christianis, nisi perniciem et periculum perversionis, et ideo isti minime tolerandi sunt, nisi necessitas aliud exposcat.

At circa judæos aliqua sunt observanda.

1° Ut non facile recipiantur in locis ubi antea non erant; nam hæc gens perfida ob fraudes et fallacias quibus assueta est, non exiguo detrimento esse solet populo christiano ; quare olim jus recipiendi judæos in imperio Romano erat reservatum soli imperatori.

2° Ut novæ synagogæ non erigantur, neque antiquæ jam collapsæ et funditus eversæ excitentur vel ruinosæ seu collabentes in nobiliorem formam restaurentur, licet ad pristinam reintegrari possint : ita c. 3, 7 huj. tituli. Quare catholici qui auctoritate publica potiti sunt, nequeunt hac potestate uti ad erectionem vel reædificationem synagogarum.

Sequitur, quod principes christiani non possunt permittere judæis et paganis aut hæreticis libertatem conscientiæ, ut aiunt, nisi ob bonum religionis christianæ et ob spem conversionis, minime vero ob temporale emolumentum. Ita Salmanticens., tr. XXI, c. III, n. 5.

3° Imo fabri et architecti christiani nequeunt ædificare vel restaurare judæis synagogas ; nam istæ per se ordinantur ad ritus illicitos; ergo sicut citra peccatum nequeunt fabricare idolas, ita neque synagogas : ita S. Thom. 2ª 2ᵉ, q. 169, a 2, ad 4. Præterea non licet etiam eis vendere ligna, lapides, vel alias res quibus erigantur vel restaurentur synagogæ.

II. De communicatione prohibita fidelibus cum judæis et paganis.

a) Prohibetur cum judæis communicatio religiosa seu in sacris, v. g. in sacramentis, sacrificio missæ, in actibus orationum, etc. Quare, christiani 1° nequeunt vesci azymis judæorum, etiam separatim ab eis (can. 13, *Nullus*, 28, q. 1); et hoc censetur grave, cum prohibitio facta sit sub pœna depositionis pro clerico et excommunicationis ferendæ sententiæ pro laico. 2° Non possunt ingredi et invisere judæorum aut paganorum templa, saltem eo tempore quo suos superstitiosos ritus exercent. Ratio est,

quia tali ingressu catholicis præbetur grave scandalum, et ipse ingrediens sæpe incurrit periculum perversionis. Diximus : « saltem tempore celebrationis superstitiosorum rituum », nam extra illud tempus, si absit scandalum et periculum perversionis, non erit mortale ea invisere : sed ingressus ex mera curiositate factus non videtur excedere veniale ; imo si finis esset bonus, sic ingrediens vacaret culpa.

b) Prohibetur communicatio in humanis seu profanis in sequentibus casibus : 1° Non debent christiani cohabitari judæis, multo minus contrahere matrimonium, nec eodem convivio vel balneo cum eis uti (c. 5 huj. tit., etc.). Ratio est, quia secus cum eis contraherent familiaritatem, et sic exsurgeret periculum perversionis, vel læderetur dignitas religionis christianæ. Tamen prohibitio cohabitationis intelligi debet de infirmis quorum subversio timeri possit ; sed semper vitanda est familiaritas, nisi agatur de personis quæ sunt in fide firmissimæ et quibus commissum est munus convertendi judæos ; illis prædicatoribus non prohibentur etiam convivia et alia communicatio politica. Prohibitio communis balnei debet etiam intelligi de casu quo familiaritas contrahi posset, non proprie de casu quo reperiretur christianus cum judæo in balneo publico ubi multæ sunt personæ. 2° Non debent uti medico judæo vel medicinis a judæo confectis, nisi necessitas aliud suadeat (c. 5 huj. tit.). Habetur necessitas, quando v. g. nullus alius medicus æque peritus haberi potest, vel si morbi gravitas multis medicis indigeret. 3° Non debent eis famulari, maxime intra domos eorum vel in synagoga (c. 5, 8 huj. tit.). Possunt tamen eis locare operas, v. g. ad colendos agros, domum exstruendam, ex c. 2 huj. tit. 4° Christiani non debent habere judæum famulum qui sit domesticus familiaris (can. 12 et seq., 28 huj. tit.) ; secus si non fiat domesticus. Ratio prohibitionis est, quia judæi dolosi sunt et periculum perversionis afferunt : quæ ratio cum non procedat de Sarracenis et aliis infidelibus, potest christianus habere servum Sarracenum. 5° Mulieres christianæ non debent nutrire et lactare liberos judæorum, nisi in casu gravis necessitatis : secus mulieres excommunicandæ sunt (c. 5, 8 huj. tit. et const. *Cum enim* Pauli IV). Benedictus XIV, in *Syn. diœc.*, l. VI, c. IV, n. 2, hæc confirmat variis juribus, præter citata.

c) Cum paganis communicatio politica non videtur prohibita, nisi subsit periculum subversionis. Tamen : 1° christiani non possunt paganis cohabitare et conviviis cum eis uti, ex cap. 5 huj. tit. Ratio est, quia hæc communicatio est intimior, ac causa scandali vel perversionis esse potest. 2° Non debent paganis arma et alia instrumenta bellica subministrare. In bulla *Cœnæ* pœna excommunicationis latæ sententiæ puniebantur tales subministrantes. Sed hæc pœna non renovatur in const. *Apostolicæ Sedis,* et hodie societas christiana non amplius subjacet perpetuo periculo invasionis Sarracenorum. Eodem modo prohibetur ne quis infidelibus revelet secreta christianorum, vel tempore belli quasvis merces eisdem deferat (c. 12 huj. tit.). 3° Princeps christianus, generatim loquendo, illicite agit ineundo fœdus cum infidelibus auxilii causa contra fideles : nam talia fœdera, de se impia et christianis periculosa, severe prohibentur in Scripturis (II Cor., VI, 14 ; Deut., VII, 2). Dixi : « generatim loquendo », quia si fideles haberi non possunt in bello justo defensivo, licebit opera auxiliari infidelium uti ; nam ex reg. IV in antiq. : « Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. » Confirmatur etiam exemplo Abrahami cum Asser, Davidis cum Hiram, etc.

§ III. *Quæ judæis inter christianos viventibus sint concessa vel prohibita ?*

I. Generatim concessa vel prohibita judæis.

a) Concessa sunt sequentia : 1° jus civitatis quoad dominia rerum, testamenta et contractus : a multis tamen locis olim judæi cogebantur perpetuo exsulare ; sed hodie sine justa causa expelli nequeunt. Causas illas enumerat Ferraris, v. *Hæbræus,* n. 30-36.

2° Publica protectio, ne turbentur in suis festivitatibus et ritibus et cœmeteria eorum violentur : quæ prohibentur sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ, ex c. 9 h. t. : securitatem habent, ne eis noceatur in vita, membris et fortuna (c. 9 huj. tit.). Si vero delinquant, regulariter puniendi sunt a magistratu civili, sicut cæteri cives ; si vero delicta redundarent in religionem, subjicerentur judici ecclesiastico, ex const.

Gregorii XIII incipiente *Antiqua*, in qua enumerantur casus in quibus inquisitores procedere possunt contra judæos. Sed hodie ex invidia guberniorum politicorum, episcopi nullam de facto possunt exercere actionem coercitivam contra judæos.

3° Judæi vel Sarraceni conversi ad fidem rebus suis non sunt spoliandi (c. 5 huj. tit.). Deinde ex const. *Propagandæ* Clem. XI, filii conversi tam Hebræorum quam infidelium a patria potestate subtrahuntur, et legitima esset eis restituenda, si retenta fuisset. Si tamen revertuntur ad vomitum, subsunt Inquisitioni, non secus ac christiani in apostasiam lapsi. Hæc omnia intelligi debent de jure, nam quoad factum nullus processus criminalis institui potest contra judæos et apostatas in plerisque regionibus orbis.

b) Prohibita sunt : 1° ne judæi fungantur aliquo officio publico (c. 16 huj. tit.), et ideo christianus non sequitur forum judæi rei, sed cum eo convenit coram magistratu christiano, ut lis decidatur secundum jura civilia (c. 14 huj. tit.); 2° ne a clericis vel laicis instituantur hæredes (can. 6, *Sane*, 24, q. 2); 3° ne hebdomade majori in publicum prodeant, et in die Parasceves ostia vel fenestas apertas habeant (c. 4 huj. tit.); hoc jus nullibi nunc observatur, cum leges civiles atheismum redolentes fere ubique regant politiam externam; 4° ne habeant nutrices, obstetrices et famulos christianos, ut antea dictum est.

II. An judæi et pagani cogi possint ad suscipiendum baptismum et fidem christianam ?

a) Judæi et pagani *directe* cogi non possunt ad suscipiendum baptismum et fidem christianam. Constat ex variis juribus : can. 3, 5, d. 45, et c. 9 huj. tit. ac c. 3, *de Bapt.;* et talis fuit constans praxis et usus Ecclesiæ, qui sufficienter ostendunt voluntatem Christi esse, ut cuique libera sit conversio ad fidem, juxta illud (Marc., c. ult., 16) : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. » Ratio ex parte *fidei* est, ut docet D. Thomas (2ª 2ª, q. 10, a. 8), quia credere est liberæ voluntatis; porro ad actum internum liberum voluntas cogi non potest. Ratio ex parte *jurisdictionis* est, quia princeps christianus, vi jurisdictionis temporalis, non potest cogere ad spiritualia, quæ non cadunt sub potestatem spiritualem temporalem. Ex altera parte,

Ecclesia non habet jurisdictionem in extraneos seu in eos qui non sunt baptizati. Itaque Summus Pontifex nequit cogere judæos et infideles ad suscipiendam fidem christianam et baptismum.

b) At *indirecte* invitari possunt ad fidem, 1° propositis præmiis temporalibus, honoribus, relaxatione tributorum. Imo possunt compelli ad audiendas conciones de rebus fidei: statuit Gregorius XIII ut certo die concio ad judæos pro eorum conversione habeatur, et hæc præscriptio observata fuit Romæ usque ad hodierna tempora.

2° Princeps christianus posset etiam prohibere cultum superstitiosum et sic indirecte invitare infideles ad veram fidem suscipiendam.

3° Minime dubium est quin infideles et judæi possint directe impeti et puniri, si lædant jura Ecclesiæ, v. g. impediendo liberam prædicationem fidei christianæ, non permittendo ejus professionem, quovis modo vexando christianos.

III. An aliquando liceat baptizari infantes et impuberes judæorum et infidelium, invitis parentibus.

a) Generatim non licet baptizare infantes, invitis parentibus, quia violaretur jus naturale parentum, et sacramentum exponeretur periculo profanationis in filiis. Sed ex epistola Benedicti XIV ad archiepiscopum Tarsensem vices gerentem Urbis, 28 febr. 1747, et variis declarationibus S. Congr., sequentia stabiliri possunt in specie :

1° Filii infantes et impuberes judæorum et infidelium, invitis parentibus, baptizari possunt, si in extremo mortis periculo constituuntur (S. Congr. Inq. 2 nov. 1678, 18 febr. 1706).

In hoc casu secreto baptizantur; sed cavendum est ne excitetur perturbatio, seu clamores blasphemiæ ex parte parentum. Ratio est, quia ex una parte nulla fit injuria parentum, quibus non auferuntur filii mox decessuri, et ex altera urget præceptum charitatis, et nullum timetur periculum profanationis baptismi. Itaque procuratur bonum infantium sine ulla injuria sive parentibus sive baptismo facta.

Juxta plures, possint etiam baptizari amentes, quando nulla est spes ad rationis usum eos pervenire posse : nam maximum eis bonum procuratur, sine ullo periculo perversionis.

2° Si filii judæorum et infidelium a parentibus projecti sint atque derelicti; nam in hoc casu subducti dicuntur a patria potestate. Etenim relicto a parentibus officio pietatis, amittitur jus paternum. Sed quandonam censeantur prorsus derelicti ac projecti? Non consentiunt omnes in determinandis casibus particularibus, cum aliquando parentes repetant projectos.

3° Si afferantur a parentibus etiam neophytis, imo ethnicis et judæis in infidelitate et judaismo permanentibus, dummodo bona fide ab eis id fiat et infantes baptizati apud christianos remaneant: Bened. XIV, in ep. ad Petrum Guill. Si afferantur ad baptismum a parte conversa, etiam altera invita: constat ex c. *Ex litteris, de convers. inf.* Ob favorem fidei et bonum prolis, pars afferens semper auditur, sive hæc pars sit mater sive sit pater. In patre universim est jus prævalens; in matre autem favor fidei plurimum valet, quam jus naturale prævalens patris.

4° Difficultas esse posset de ascendentibus in linea paterna vel materna. Sed ex decreto Greg. XIII aliisque juribus constat, si offerantur ab avo paterno, etiam reluctante utroque genitore; deinde ex responsis Bened. XIV, epist. 15 dec. 1741, etiam constat baptismum conferri posse, si avia paterna conversa nepotes ex filio converso afferat, etiam contradicente matre. Tandem ex paritate rationis, ob favorem nempe religionis, aliqui affirmant hoc etiam licitum esse, si avia materna afferat, reluctante patre; sed hoc censeri debet illicitum, et non habetur paritas rationis, quia avia materna censetur magis extranea familiæ quam avia paterna.

5° Si, parentibus defunctis, afferantur a tutoribus: ita communis sententia. Ratio est quia in hoc casu tutores repræsentant parentes, quorum jura sortiuntur.

6° Si ipsimet judæorum et infidelium filii, statim ac ad usum rationis pervenerint, baptismum ultro postulaverint: Benedictus XIV, in cit. ep. Rationis usus regulariter censetur inchoatus ab anno septimo, ex decreto S. Congr. Conc. 16 jul. 1639; sed in dubio de perfecto rationis usu, baptismus protrahi debet. Illi censentur sui juris quoad baptismum, statim ac habent usum rationis.

b) Circa illicite vel licite baptizatos in articulo mortis, si ad

sanitatem redeunt : 1° Sic baptizati, id est, neque a parentibus neque ab aliis jus habentibus oblati, non sunt restituendi parentibus, etiamsi hi, cautione aut fidejussione data, ingenue spondeant eos, vixdum ad convenientem ætatem pervenerint, Christi fidelibus restituendos, nec quidquam contra fidem catholicam docendos : idem Benedict. XIV. Generatim ergo filii quacumque ex causa baptizati subtrahendi sunt parentibus infidelibus, ne ab istis pervertantur et injuria fiat characteri baptismali, atque baptizati damnum spirituale patiantur.

2° Baptizati, invito alterutro parente, seu in casibus supra enumeratis, vel etiam illicite baptizati, si postquam adoleverint parentum ritibus adhæserint et fuerint de hoc confessi aut convicti, tractari debent ut hæretici; contra eos igitur proceditur tanquam contra hæreticos.

TITULUS VII.

DE HÆRETICIS (1).

SECTIO PRIMA.

De crimine hæresis.

I. Quid sit hæresis?

Hæresis est altera quædam species criminis contra religionem. Quoad nomen, hæresis idem est ac *electio;* significat etiam scholam seu sectam quam quis sibi elegit sequendam; unde disciplina, opinio, sententia electa dicitur hæresis. Sed ex usu Ecclesiæ, in deterius sonat, et malæ ac erroneæ sententiæ in rebus fidei electionem significat. Quoad rem, hæresis est voluntarius ac pertinax error contra aliquem articulum fidei ab Ecclesia propositum, elicitus ab eo qui fidem Christi suscepit. Duo ergo generatim requiruntur ad hæresim constituendam, scilicet *error dogmaticus in intellectu,* seu judicium internum et non tantum externa negatio; deinde ex parte *voluntatis*, ut hic

(1) Vide Codic., l. I, t. V; Novell. 132.

error sit voluntarius et pertinax. Sed ad hujus definitionis explicationem sequentia sunt notanda :

1° Ignorans mysteria fidei vel ignoranter aliquid contrarium fidei docens, non est hæreticus, quia in illo deficit pertinacia : nam, ut diximus, ad hæresim duo requiruntur, nimirum error in intellectu, qui est quasi materiale, et pertinacia in voluntate, quæ est quasi formale. Tamen non omnis ignorantia excusat. Certum est non reputandum esse hæreticum qui errat in fide per ignorantiam invincibilem. Sed an excuset ignorantia affectata? Affirmant verius plures, contra alios negantes ; ratio est, quia deest contumacia, cum sic ignorans auctoritati Ecclesiæ non audeat se opponere. Si vero ignorantia est crassa et vincibilis, peccat quidem contra præceptum diligentiæ necessariæ in rebus fidei; proprie tamen non est hæreticus.

Si quis tamen profiteretur fidem diversam ab ea quam tenet catholica Rom. Ecclesia, ut si teneret fidem Lutheranam, Calvinianam, veterum catholicorum, etc., haberetur ut hæreticus, et ignorantia crassa eum non excusaret ab hæresi formali; imo pœnis hæreticorum subjiceretur; etenim est inobediens Ecclesiæ et in eam contumax.

2° Qui pertinaciter tuentur errorem, sunt formales hæretici, nec ad hoc necessarium est ut novæ sectæ moliantur initium, ut hæresiarchæ, vel ut sectam aliquam ab Ecclesia damnatam sequantur; sed pro hæretico etiam habendus est ille qui privatim in aliquo, etiam minimo et unico articulo fidei, v. g. infallibilitate Rom. Pontificis, a veritate catholica deviat, quantumvis de cætero se ut catholicum gerat. Tenet pertinaciter errorem contra fidem.

3° Pro hæretico habendus est etiam *probabilius* ille qui de aliquo fidei articulo dubitat positive, pertinaciter affirmando illud dubium; ratio est, quia quilibet articulus est certus et infallibilis, et ideo sic dubitans errat contra aliquam fidei catholicæ veritatem. Dixi : *probabilius,* quia plures DD. negant talem esse hæreticum, licet graviter peccet contra fidem ; ratio eorum est, quia sic dubitans non eligit sententiam fidei contrariam, sed dubitando suspendit suum assensum. Non est error elicitus contra aliquem articulum fidei. Tamen si dubitat positive, juxta hypothesim, et non tantum negative, et agatur de articulo

sufficienter ab Ecclesia proposito, tenenda est prima sententia (S. Lig., l. VII, n. 302).

4° Qui negat propositionem theologicam, deductam ex una propositione naturaliter evidente et altera revelata, non est hæreticus, licet Canus, Valent. cum aliis pluribus affirment. Ratio est, quia talis negatio divinæ revelationi mediate tantum opponitur, et sic deest « modus » quo hæresis se habet ad auctoritatem revelationis. Ex altera parte, conclusio theologica non est articulus fidei ab Ecclesia propositus, et ideo talis negatio, etiam ratione « objecti », non est hæresis ; tandem « habitus » apprehendens conclusiones theologicas, ut sic, non est habitus fidei. Imo,

5° Qui negat propositionem ex se revelatam, non tamen ab Ecclesia dogmatice definitam, non est proprie, seu coram Ecclesia, hæreticus, quia hæresis est error contra veritatem revelatam ab Ecclesia propositam : hæc definitio Ecclesiæ indixit omnibus veritatem illam esse revelatam, ac proinde contumaces efficit omnes negantes.

6° Error pertinax in fide a catechumeno elicitus, licet coram Deo et quoad substantiam sit hæresis, tamen in foro externo et quoad pœnas non habetur pro hæresi. Ratio est, quia per baptismum in Ecclesiam quis ingreditur et ejus jurisdictioni subditur. Quare in definitione dictum est, « ab eo qui fidem Christi suscepit ».

7° Illa pertinacia ad constituendam hæresim requisita non respicit aut requirit formaliter durationem temporis, aut firmam persistentiam in errore, quidquid sit de foro externo ; sed sufficit ut mens cognoscat contrarium teneri ab Ecclesia. Statim ac quis judicium suum præfert definitioni Ecclesiæ et suum errorem retinet, non obstante hac definitione fidei, pertinax esse censendus est, ac proinde formalis hæreticus.

II. Quotuplex sit hæresis ?

Hæresis dividitur *a*) in *internam* et *externam*. *Interna* est quæ sola mente consummatur et solius Dei judicio subest : igitur pœna vacat, quia Ecclesia, sicut non judicat de internis, ita et pœnas non fert pro internis ; unde absolutio illius hæresis datur in foro sacramentali pœnitentiæ a quocumque confes-

sario. *Externa* est illa quæ prorumpit in actum externum, sive facto sive verbo indicente internam hæresim. Sequitur,

1° Quod externa hæresis, sola expressione per signum externum facta, nempe solo signo externo, a mentali differt; nam in substantiali malitia cum illa convenit : unde peccatum est ejusdem speciei.

2° Ad hæresim in foro externo requiri imprimis ut quis ponat actum externum de se et in ratione actus externi mortaliter peccaminosum; deinde ut actus ille, consideratis circumstantiis in quibus elicitur, procedat ex intentione profitendi hæresim, et determinate significet latentem in animo hæresim. Si ergo ageretur de actu qui natura sua non esset immediate expressio seu propria manifestatio hæresis, ut, v. g. manducare carnem die Veneris, non statim judicandus est hæreticus qui talem actum elicit.

b) Dividitur etiam in *materialem* et *formalem*. *Materialis* est duntaxat error in intellectu sine pertinacia in voluntate; ille ergo est materialiter hæreticus, qui ex simplicitate vel mala instructione errat in aliquo articulo fidei. *Formalis* hæresis illa est in qua verificantur omnes conditiones definitionis supra datæ : errori intellectus addit pertinaciam voluntatis; est hæresis proprie dicta, de qua directe agitur in hoc titulo. Sequitur,

1° Quod ille est formaliter hæreticus, qui scienter et pertinaciter aliquid contrarium tenet articulis fidei.

2° Materiales hæretici dantur, non tantum inter aliquos rudes et simplices catholicos, sed etiam inter lutheranos, calvinistas et alios sectarios, si eis nullus omnino scrupulus occurrat quod errent in rebus fidei aut ad falsam sectam pertineant.

SECTIO II.

De communicatione licita et illicita fidelium cum hæreticis.

I. De jure civitatis hæreticis collato inter catholicos.

1° Regulariter loquendo, hæretici non sunt tolerandi in terris catholicorum : constat ex variis juribus, seu generatim ex toto hoc titulo, et speciatim ex c. 9 h. t. et cap. 11 ejusd. tit. in 6°. Ratio est, quia ipsum jus naturale dictat ut noxii reipublicæ et

civitati removeantur ab ea; porro hæretici sunt maxime noxii reipublicæ christianæ, cum manifestum perversionis et æternæ damnationis periculum fidelibus afferant. Deinde non raro causant perturbationes publicas et dissidia inter cives, ut innumeris constat factis.

2° Quum hæc obligatio repellendi hæreticos fundetur in damno publico fidelium, sequitur quod cessat quotiescumque justa causa majoris mali vitandi subest, ratione cujus tolerandi sunt hæretici: in tali casu pacta iniri possunt, quibus conceditur tolerantia civilis hæreticis. Inter duo mala, minus est eligendum. Tamen « tolerantia civilis » non conceditur neque ut in se bona, neque ut necessitas approbanda, cum hæc tolerantia sit et remaneat quid malum; porro necessitas non facit ut malum sit bonum. Itaque tanquam generale principium habetur sequens assertio:

II.- Hæretici a catholicis vitandi.

a) Olim, ex communi præcepto Ecclesiæ, fidelibus prohibebatur communicatio cum hæreticis: erant *publice* vitandi, si notorii; *privatim* autem, si occulti. Sed constitutio Martini V *Ad evitanda* favorem concessit fidelibus ut non teneantur vitare hæreticos et excommunicatos etiam notorios, nisi sint expresse et specialiter denuntiati. Hoc jus renovavit Pius IX in constitutione *Apostolicæ Sedis*, art. 16, 17, sect. 2ª.

Hinc præsentia hæreticorum non denuntiatorum, etiam precibus ac ritibus catholicis, tolerari potest, modo in eisdem functionibus nec proprios ritus adhibeant, nec ritibus catholicis sese immisceant: ita Schmalzgr., n. 214; card. Soglia, *Inst. jur. prud.*, § 234. In hoc, nulla habetur communicatio in sacris ex parte catholicorum, qui alias non tenentur expellere, nisi denuntiatos; tamen generatim actio illa de se est illicita, ut constat ex instruct. S. Off. (Apud Girald., p. 562 seqq.). Unde variæ distinctiones adhiberi debent quoad communicationem in profanis vel in sacris. Itaque,

b) Quæritur *quæ communicatio in specie sit tolerata vel prohibita?* 1° In variis locis ubi hæretici catholicis permixti vivunt, nempe hodie in omnibus orbis regionibus, licet commercia civilia cum hæreticis iniri, eis conversari, eos etiam adultos et

erroribus imbutos, ad scholas catholicorum recipere; sed filii catholicorum nequeunt ad scholas hæreticorum accedere, ob perversionis periculum, etc. Nullus tamen favor hæreticis conceditur, qui proinde nequeunt communicare cum catholicis, licet ipsi catholici commercium *in profanis* inire possint cum hæreticis.

2° Quia communicatio *in divinis* seu in rebus sacris vix fieri potest sine scandalo ac periculo perversionis contemptuque catholicæ religionis, ideo regulariter non licet catholicis communicare in divinis cum hæreticis: v. g. sacramenta ab eis recipere, templa eorum frequentare, conciones audire, vel lectiones in scholis, si de materia religionis quovis modo ageretur. Sed quæritur,

3° Utrum, cessante causa scandali et perversionis et simul incurrente gravi causa, liceat communicare in sacris cum hæreticis? Multi affirmant tunc licere communicare in divinis, v. g. in baptismo filios hæreticorum levare, in eorum templis more catholico orare, conciones audire, imo etiam sacramenta recipere, dummodo ex una parte adigat gravissima et urgentissima causa, et hæretici a quibus sacramenta petuntur, sint valide ordinati et sacra administrent ritu catholico; et ex altera, hæc communicatio non sit externa protestatio falsi dogmatis, atque hæc receptio nulli scandalum ingerat (Schmalzgr., n. 215, 216). Sed plures alii impugnant hanc laxiorem sententiam, et docent cum Ben. XIV, *de Syn.*, l. VI, c. v, n. 2, quod vix accidere potest ut in praxi excusari a flagitio possent catholici sese in rebus sacris cum hæreticis admiscentes; et hæc sententia in praxi tenenda est post declarationem S. Congreg. S. Off. 4 maii 1753 (Apud Girald., *l. c.*). Multo minus possent admitti ministri hæretici, ut ministrent in ecclesiis catholicorum, ex eadem declaratione.

III. Disputatio de fide cum hæreticis.

1° Disputationes publicæ regulariter sunt prohibitæ, ne pax et tranquillitas publica turbetur. Ad publicas disputationes introducendas triplex requiritur conditio : ut adsit majoris boni spes ; ut nullum sit periculum ex parte auditorum, et tandem ac præsertim requiritur licentia episcopi : ita sentiunt omnes CC., et ratio assertionis est obvia.

2° Clericis regulariter non licet de fide disputare, etiam privatim, cum hæreticis (can. 36, *Cum quibus*, 24, q. 3, et c. 4, *de SS. Trin.*). Ratio est, quia ejusmodi disputationes generatim sunt periculosæ vel inutiles : si clerici disputantes sunt indocti, exponunt se periculo errandi et alios scandalizandi ; si vero docti sunt, parum disputando proficiunt, cum hæretici sint plerumque pertinaces et in suo sensu, nulli legi adstricto, abundantes.

Itaque sicut clerici sine auctoritate episcopi nequeunt prædicare verbum Dei sive hæreticis sive catholicis (c. 15, § *Quia vero*, tr. 1), ita etiam nequeunt de rebus fidei propria auctoritate disputare cum hæreticis. Tamen contra clericos disputantes nulla in jure constituitur pœna : excommunicatio lata in c. 2 h. t. in 6° ad illos non est extendenda. Reiffenstuel (h. t.) putat clericos, præsertim doctos, privatim disputare posse cum hæreticis, quia in canonibus prohibentibus non ageretur nisi de disputatione « dubitativa », et praxis universalis hoc permittit ; sed standum est superius dictis, nisi necessitas vel magna utilitas has disputationes suadeat, et clerici sint valde periti : ita S. Congreg. de Propag. fide, die 8 mart. 1625.

3° Laicis ejusmodi disputatio prohibetur sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ (c. 2 h. t. in 6°). Jus non distinguit inter doctos et indoctos, licet inter illos sit illud discrimen, quod jus naturale excludat indoctos, qui cum detrimento religionis disputarent, dum doctorum disputatio potest non esse periculosa : sed in citato capite *Quicumque* legimus : « Inhibemus quoque ne cuilibet laicæ personæ liceat publice vel privatim de fide catholica disputare ; qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodatur. » Tamen in quibusdam locis, v. g. in Germania, hac pœna vi consuetudinis videtur restricta ad solos laicos indoctos, vel quoad doctos publice disputantes : quare doctis videtur permissum in illis regionibus cum hæreticis privatim disputare : ita Masch., h. t., n. 7 ; S. Lig., l. II, n. 19, 6°, etc.

4° Verumtamen omnes, sive clerici, sive laici, possunt, non disputare quidem cum hæreticis, sed obviam ire alicui aggressioni hæreticorum fidem catholicam blasphemantium. Habetur ergo hæc necessitas aut magna utilitas, quando hæreticus cum in-

juria fidei ejusque periculo loquitur : in hoc casu disputatio nihil est aliud quam externa et laudabilis professio fidei.

SECTIO III.

De libris hæreticorum.

Nota. Modus communicandi cum hæreticis maxime periculosus, licet pure mentalis, consistit in lectione eorum librorum: quare de hoc modo specialissime agendum est.

§ I. *Prohibitio legendi libros hæreticorum.*

a) *Cui competat potestas prohibendi libros hæreticorum?* 1° Jus prohibendi libros hæreticorum competit *Ecclesiæ:* constat imprimis ex perpetuo usu illius potestatis : tempore apostolorum multi libri combusti sunt coram omnibus, ut patet ex Act. apost. c. xix; ex decreto concilii Nicæni libri Arii in ignem projecti sunt; innumera sunt alia exempla, etiam ante evulgationem indicis anno 1558-1564. Justissima est hæc facultas, cum necessario connectatur cum potestate docendi res fidei : hæc enim potestas inanis foret, si non includeret jus damnandi libros pravos. Summus Pontifex hanc potestatem exercet pro universo orbe et sine ulla limitatione, episcopus autem in sua diœcesi tantum, et cum aliqua limitatione, cum res fidei definire non valeat: unde, quando hic damnat libros propter quasdam propositiones in eis contentas nondum ab Ecclesia damnatas, debet illos libros Romam mittere, ut Summus Pontifex judicium decretorium reddat.

2° Hæc potestas prohibendi libros ob hæresim ita proprie convenit Ecclesiæ, ut ea minime concedatur principi sæculari, nisi agatur de libris qui impugnarent ordinem et finem societatis civilis : cum judicium circa libros prohibendos ob hæresim sit in materia fidei, non est de competentia fori sæcularis. Tamen princeps politicus posset prohibere libros jam ab Ecclesia damnatos : et hoc laudabiliter fecerunt multi principes christiani.

b) *Quot sint genera illorum?* 1° Libri nonnulli damnantur in *odium auctoris*, seu propter solum auctorem, et sunt scripta hæ-

resiarcharum in quacumque materia, etiam profana : damnato auctore, damnantur omnia ejus scripta (c. 4 h. t.; Iª reg. Indicis). Ob insignem perversitatem hæresiarcharum seu auctorum hæreseos, omnia quæ ad illos spectant repelli debent et extra oculos fidelium poni. Inter hæresiarchas, recensentur duces sectarum quæ, hodierno tempore, apertum bellum indixerunt religioni revelationique christianæ : tales sunt duces deistarum, pantheistarum, materialistarum, etc.

2° Libri hæreticorum hæresim continentes ac propugnantes vel de religione ex professo tractantes, etsi hæresim non contineant, prohibentur : hæc damnatio fit etiam intuitu auctoris, nam auctor hæreticus merito censetur suspectus, quotiescumque tractat de rebus fidei et religionis. Tamen nonnulli excipiunt libros hæreticorum de religione tractantes, quando hi libri communi suffragio habentur ut innoxii et religioni utiles ; sed episcopi nequeunt illos libros approbare, cum jure pontificio prohibeantur.

Hoc intercedit discrimen inter hæresiarchas et simplices hæreticos, quod horum ultimorum libri in materia profana, seu ad fidem et religionem minime spectantes, non damnantur ; sed ut permittantur, necesse est, ex secunda regula Indicis, ut examinati et approbati fuerint. Utrum hæc clausula modo vigeat? Negant multi cum R. P. Ballerini, nota ad n. 984, t. II, in qua docet illam regulam esse obsoletam. Notandum est etiam quod dictionaria, lexica, thesauri, etc., ab hæreticis scripta vel edita, non permittuntur, ut ait Bened. XIV in decret. gen. 31, n. 10, nisi deletis iis quæ habent contra doctrinam catholicam.

Propter similem suspicionem perversionis verbi divini, hic recensere oportet etiam Scripturam sacram vulgari sermone editam seu vernaculas Bibliorum versiones quæ vel Apostolica Sede non fuerint approbatæ, vel editæ fuerint, etiam a catholicis, sine adnotationibus desumptis ex SS. Patribus Ecclesiæ aut ex doctis catholicisque viris (Conc. Trid. et S. Congr. 17 jun. 1757, 7 jan. 1836 ; const. *Apost. Sedis*). Etenim versiones illæ fuerunt ab hæreticis primum factæ et vulgatæ tanquam medium excludendi traditionem et Ecclesiam catholicam : inde legitima suspicio finis pravi. Alia vel directa ratio prohibitionis est

summa reverentia verbo Dei debita, quæ omne periculum depravationis arcet.

3° In secunda classe ponuntur libri, non propter auctorem, sed propter *malam doctrinam* prohibiti : in hoc titulo consideramus libros hæresim propugnantes, sive editi sint sine nomine auctoris, sive scripti ab auctoribus catholicis : consideratur ergo sola doctrina. Hoc intelligi debet etiam de libris qui essent partim boni partim mali, nisi accurate expurgati fuerint : quia malum ex quocumque defectu.

Sed ad prohibendum aliquod opus auctoris catholici, quæritur tantum an ejusmodi opus aliquid manifesto contineat contra fidem vel bonos mores. Dixi : « manifesto », quia auctor catholicus, secus ac hæreticus, jus habet ad benignam suarum sententiarum interpretationem.

§ II. *Pœnæ latæ contra legentes, etc. libros hæreticorum et hæresim propugnantes.*

Quæst. I. — *Variæ pœnæ pro diversitate operum.*

a) Ex jure novo constitutionis *Apostolicæ Sedis* Pii IX, pœnæ contra libros pravos latæ coarctantur ad triplex tantum genus librorum vetitorum : primo loco veniunt libri recensiti in excommunicatione II[a] inter reservatas speciali modo Romano Pontifici ; secundum genus complectitur libros prohibitos a conc. Trid. sub pœna excommunicationis, latæ non contra legentes, sed contra imprimentes et imprimi facientes ; tertii generis sunt opera quæ in lucem ad defendendum propositiones damnatas prodirent contra prohibitionem renovatam in constit. *Apost. Sedis*, excommunicatione I[a] inter reservatas generali modo.

Tamen hodie probabilius non supersunt pœnæ latæ contra « legentes vel retinentes », nisi agatur de libris primi generis, qui proinde hic speciatim sunt determinandi.

b) Notandum est quod si hæc pœna sublata sit quoad varias classes prohibitorum, tamen peccati reus esset ille qui legeret vel retineret librum quocumque modo vetitum; nam lectio pravorum librorum prohibetur, non tantummodo lege ecclesiastica, sed etiam naturali, quæ prohibet quamcumque lec-

tionem periculosam, sine justa causa factam. Deinde lex ecclesiastica Indicis tota remanet, seclusa pœna, seu retinet totam suam vim directivam. Imo facultas legendi libros prohibitos seu dispensatio ab illa lege Indicis non tollit obligationem naturalem vitandi periculum alicujus detrimenti in fide vel moribus; præceptum enim de peccandi periculo vitando est indispensabile. Propter hanc rationem, S. Congreg. Indicis non solet concedere facultatem legendi libros contra fidem, nisi illis qui tribus quatuorve annis theologiæ operam dederunt (S. Lig. *de Prohib. lib.*, c. 1, n. 5).

Licet in præsenti titulo agatur tantum de libris hæreticorum, tamen ob connexionem materiæ omnes pœnas contra libros pravos latas recensebimus. Unde,

Quæst. II. — *Libri prohibiti sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Rom. Pont. speciali modo reservatæ.*

Sunt duplicis generis, ut constat ex const. *Apostolicæ Sedis.*

I. Primum genus. — *a*) *Libri hæreticorum et apostatarum.* Duæ conditiones requiruntur, ut excommunicatio incurratur : 1° ut auctores librorum sint veri certique apostatæ vel hæretici; nec sufficeret ut sint judæi vel infideles; 2° ut libri hæresim non tantum contineant, sed etiam propugnent : quod verum est, juxta communiorem sententiam, etiamsi illi libri non agant ex professo de religione.

Verum probabilius sufficeret ut manifesta et indubia sit propugnatio hæresis vel apostasiæ in libro, etiamsi auctor hactenus fuerit catholicus; quia auctor, antea non hæreticus, v. g. Renan, nunc ex libro innotescit ut hæreticus vel apostata, licet non fuerit damnatus; sufficit ut sit quomodocumque hæreticus; sed quando propugnatio hæresis non satis apparet, præsumptio militat pro hæresis propugnatione, si auctor jam notus est ut formalis hæreticus.

b) Sequitur, 1° excommunicationem latam in bulla *Cœnæ* contra legentes, etc. libros hæreticorum de religione ex professo tractantes, non remanere, si hæresim non contineant nec propugnent; 2° excommunicationem latam a Clemente VIII contra legentes librum Talmud non remanere in jure novo.

Sed quid præcise veniat nomine libri in his prohibitionibus pœnalibus? Resp. generatim nomine libri venire quælibet

opera, sive impressa, sive manuscripta, imo et scholia hæreticorum satis ampla ad libros catholicorum. (Vide S. Lig., *l. c.*, c. v, n. 10.)

c) Notandum est quod, juxta plures, Avanzini, *de Constit. Apost. Sedis*, edit. 3ª, p. 12, post Sanchez, Layman, Schmalzgrueber, etc., nomine libri non venirent diaria, ephemerides, neque scripta breviora quæ decem minora folia non attingunt, et ideo ejusmodi diaria et scripta minora non comprehenderentur sub hac censura, quia in pœnalibus admittitur stricta interpretatio. Tamen alii, Formisanus, Episc. Nolan., Comm. Reat., R. P. Baller., post Suarez, Reiffenst., Masch., etc., verius contrariam sententiam defendunt, tum quia S. Pont. in allocutione 1 nov. 1874 videtur pœnam extendere ad diaria, tum quia non minus periculum exsurgit ex diariis quam ex libris, tum denique quia usu ecclesiastico aliquæ paginæ liber vocantur. Manuscripta etiam veniunt nomine libri, juxta communiorem sententiam, contra plures. Item epistolæ, conciones, theses typis datæ vel non, juxta aliquos, pluribus refragantibus.

d) An collectiones variorum operum seu miscellanea quædam libros catholicorum et hæreticorum continentes cadant sub hanc prohibitionem pœnalem? Ex dictis, constat hæreticorum libros non includi qui hæresim non propugnant, et sequitur illas collectiones sub excomm. non prohiberi, etiamsi opera quædam errores aliquos contineant, dummodo ipsas hæreses non aperte et directe propugnent. Secus minus prohiberetur pravus liber cum aliis editis, ac si solus in lucem prodiret : malum ex quocumque defectu. Si in una tantum parte collectionis esset error, totus tamen liber remaneret prohibitus, nec sufficeret privatim expurgare hæresim : ita Suarez, Lugo, etc., contra Croix, Sporer et alios.

II. Alterum genus consistit : *a*) in libris cujusvis auctoris per *litteras apostolicas nominatim prohibitis*. 1° Litteræ apostolicæ sunt illæ quæ nomine Romani Pontificis immediate prodeunt, non vero a S. Congr. Indicis vel ab alia Congregatione.

2° Nominalis prohibitio fit : 1° expresso titulo libri, et 2° declarata prohibitione sub pœna excommunicationis R. Pontifici reservatæ : necesse est ut hæc nota reservationis pontificiæ

adjungatur, nec sufficeret ut liber sit damnatus sub pœna excommunicationis tantum, quia pœna non fertur nisi ab art. 2 const. *Apostolicæ Sedis,* et leges pœnales sunt stricte interpretandæ; porro illa stricta interpretatio exigit ut in actu verificentur omnes conditiones in lege enumeratæ.

b) Sequitur alias censuras in libros vetitos inflictas, sive per regulam decimam Indicis, sive per alias constitutiones generales, probabilius cessasse, præter excommunicationem contra imprimentes et imprimi facientes libros de rebus sacris tractantes, de qua infra. Sed remanet prohibitio legendi ac retinendi libros in indice relatos : hæc prohibitio obligat sub gravi; sola enim censura tollitur.

Dixi : « probabilius, » quia regulæ Indicis aliquando considerantur ut leges Tridentinæ, ideo quia concilium jussit (sess. 18 et sess. ult.) eas conficere ac promulgare. Deinde S. Congregatio Indicis consuetam retinet formulam qua opera prava prohibet legere vel retinere, atque jubet tradere « sub pœnis in indice librorum vetitorum indictis » : ita legimus in omnibus decretis hactenus editis, usque ad ultimum, die 12 jan. 1876 datum et 7 dec. 1875, etc. Tamen expositores constitutionis Pii IX supra citatæ communiter docent cessasse Indicis censuras, et ideo in praxi standum est huic interpretationi.

§ III. *Qui innodentur hac excommunicatione?*

Pœna fertur : 1° contra *scienter legentes*, seu cum scientia juris et facti, nempe cum cognitione, quovis modo acquisita, tam prohibitionis et censuræ quam librorum qualitatis supra enumeratorum, sive bono, sive malo fine legant, sive sibi nihil timendum putent, sive periculum sibi imminere judicent. Excommunicatio extenditur etiam ad legentem librum in ea parte in qua nulla est hæresis, quia totus liber est prohibitus. Parum refert, an legat per se vel per alios, nisi per accidens et sine suo jussu audiret alium legentem : aliqui tamen negant de legente per alios, quia in lege non agitur nisi de « legentibus » ; porro lex illa est stricte interpretanda; atque per legentes non veniunt audientes.

Necesse est etiam ut legat formaliter seu intelligat, et materia

lecta sit in notabili quantitate. Ab illa enim excommunicatione excusaret parvitas materiæ. Sed non consentiunt CC. in determinanda parvitate materiæ in legendo, vel brevitate temporis in retinendo : igitur in ea dijudicanda præ oculis haberi debet periculum cui legens se exponit; nam si periculum est notabile, excommunicatio sine dubio incurritur.

2° Contra *retinentes,* saltem notabili tempore, illos libros sive tanquam suos, sive tanquam alienos : tempus requisitum non potest mathematice definiri, sed debet præsertim considerari præ intentione perpetuo retinendi, vel usquedum sit occasio tradendi aut licentiam obtinendi. Quare ille qui alteri licentiam retinendi habenti traderet librum cum pacto non repetendi illum, nisi post obtentam licentiam, non incurreret excommunicationem (S. Lig., *l. c.*, n. 11).

3° Contra *imprimentes :* quo nomine veniunt, non solum editores et ipsi typographi seu officinæ typographicæ domini, sed etiam qui proxime concurrunt, ut sunt ii qui typos componunt vel legunt, aut atramento tingunt, etc., seu generatim illi omnes qui libri prohibiti editionem, cooperatione satis proxima, scienter adjuvant. Qui valde remote concurrunt, a censura et peccato plerumque excusantur, quia sunt cooperatores materiales. De correctoribus disputant CC.; sed generatim debent computari inter legentes, saltem si idioma libri intelligant.

4° Contra *defendentes :* hæc vox illos omnes complectitur qui quolibet prætextu aut fine libros ejusmodi laudant et exaltant, vel ipsorum auctores defendunt, vel doctrinam in eis contentam approbant, vel tandem libros ipsos abscondunt, ne superioribus tradantur. Itaque tam defensio corporalis, quam defensio doctrinalis prohibetur sub pœna excommunicationis.

Notandum est quod de omnibus istis recensitis in hoc articulo intelligi debet quod diximus de legentibus, scilicet quod non incurrunt excommunicationem, nisi sciant : 1° librum esse apostatæ vel heretici, atque 2° in hoc libro hæresim propugnari, necnon 3° pœnam qua plectitur eorum actio.

§ IV. *Inferiora genera prohibitorum sub pœna excommunicationis aut generali tantum modo, aut nemini reservatæ.*

a) Excommunicantur : 1° defendentes propositiones dam-

natas, non tanquam hæreticas, sive a conc. œcum., sive ab Apost. Sede, sub explicita pœna excommunicationis latæ sententiæ (art. 1, sect. 2, const. *Apostolicæ Sedis*); si vero prohibitæ essent sine mentione illius pœnæ, earum defensores non contraherent excommunicationem.

Propositiones sic damnatæ sub excommunicationis pœna latæ sententiæ sunt : 1° art. 45 Wiclefi et art. 30 Huss, a Martino V proscriptæ; 2° errores 41 Martini Lutheri a Leone X; 3° propositiones 79 Baii a Pio V, Gregorio XIII et Urbano VIII damnatæ; 4° propositio de confessione sacramentali per litteras, a Clemente VIII damnata; 5° propositiones 45 damnatæ ab Alexandro VII; 6° proposit. 65 damnatæ ab Innoc. XI; 7° proposit. 68 Michaelis de Molinos; 8° propositiones 2 damnatæ ab Alex. VIII; 9° propos. 31 damnatæ ab eodem Pontifice; 10° propositiones 101 Paschasii Quesnelli ; 11° propositiones 5 de duello damnatæ a Bened. XIV; 12° propositiones 85 synodi Pistoriensis. (Vide istas omnes proposit. in appendice ad Thomam ex Ch., vol. VII.)

2° Docentes vel defendentes praxim inquirendi a pœnitente nomen vel æquivalentem designationem personæ complicis : ita cit. art. In const. *Ubi primum, Suprema*, etc. Bened. XIV, legebatur « audentes seu præsumentes »; novum jus est interpretandum ad normam illarum constitutionum. At qui tantummodo petunt nomen seu manifestationem complicis, licet graviter peccent, hac excommunicatione non innodantur. Tamen exquirentes sub comminatione denegatæ absolutionis nomen complicis plectuntur pœna suspensionis ferendæ sententiæ, si adsit gravis contumacia : ex eadem constitutione *Ubi primum* Benedicti XIV, qui jubet etiam ut tales inquirentes denuntientur.

b) Qui incurrant excommunicationes latas a concilio Tridentino et limitatas in const. *Apostolicæ Sedis?*

« Præter hos hactenus recensitos, eos quoque quos sacrosanctum concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione, excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus, excepta anathematis pœna in decreto sessionis 4, *de Editione et usu sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum

subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt. »

Dicitur : « imprimentes et imprimi facientes sine ordinarii approbatione libros *de rebus sacris* », nempe de Scriptura sacra tractantes, non vero, juxta plures, de alio argumento, etiam theologico. Ratio est, quia conc. Tridentium hanc prohibitionem edidit post decretum dogmaticum de canonicis Scripturis, et in sanctionem firmativam illius decreti; tamen aliqui rationem illam non probant, et extendunt illam prohibitionem ad omnia opera de rebus theologicis tractantia.

Constitutio coarctat decretum Tridentinum, quod pœnam extendebat etiam ad *vendentes* atque apud se *retinentes;* sed, ex altera parte, Tridentinum agebat de libris sine nomine auctoris editis, dum hodie ad pœnam incurrendam sufficit ut in libro deficiat approbatio episcopi, etiamsi liber ille nomen auctoris gerat. Tamen legentes vel retinentes hæc opera de rebus sacris tractantia non incurrunt excommunicationem, saltem juxta communiorem sententiam.

Præter pœnas latas in IIa excomm. (1a sect.) et in præsenti prohibitione Tridentina, nullæ adhuc supersunt circa libros pravos : tota ergo lex pœnalis in hac materia revocatur ad hanc duplicem excommunicationem.

SECTIO IV.

Pœnæ latæ contra hæreticos.

In primis recensentur pœnæ hæreticorum tam spirituales quam temporales; postea de processu criminali contra hæreticos seu de applicatione pœnarum agemus.

§ I. *De pœnis spiritualibus.*

I. De potestate puniendi hæreticos et de qualitate criminis pœnis obnoxii.

Indubium est 1° hæreticos ab Ecclesia puniri posse, quia per baptismum facti sunt subditi Ecclesiæ, quæ propter eorum pravitatem seu secessionem a fide non amisit suam potestatem, ut sæpe probatum fuit. Tamen,

2° Distinguendum est inter hæreticos *materiales,* qui non

subjacent censuris et pœnis aliis in hæreticos latis, ideo quia culpa vacant vel saltem eorum culpa non est conjuncta cum pertinacia,— et *formales*. Deinde opus est etiam ut distinguatur iterum hæresis *pure mentalis* ab hæresi verbis vel aliis signis externis manifestata. Hæc secunda sola punitur ab Ecclesia; sed ad hoc sufficit ut aliquo modo externo sufficienter manifestetur; nec requiritur ut factum in judicio probari possit, saltem quando agitur de pœnis latæ sententiæ. Tamen necesse est ut ista actio, per quam hæresis interna proditur, sit ex se mortaliter peccaminosa, et non tantum prout subest actui interno, et ut illa actio externa ponatur aut omittatur animo hæresim manifestandi : hoc ultimum requiritur ut sit peccatum hæresis.

3° Quæ sint in specie ejusmodi actiones externæ graviter peccaminosæ, quæ ad hæresim externam spectent? Varios casus enumerat Giraldus (annot. ad c. I p. II *Thesauri*). Sed in praxi sufficit ut determinata sit qualitas actionis externæ; nam judex et confessarius habent requisita ad rectum judicium ferendum de facto proposito.

4° Sequitur quod hæreticus mentalis, etiamsi peccatum hæresis consummatum sit mente, a quovis confessario absolvi potest. In foro interno applicatur effatum : « Ecclesia non judicat de internis. »

II. Pœnæ spirituales latæ contra illos hæreticos formales et exterius suam hæresim manifestantes.

a) Istæ pœnæ sunt sequentes :

1° Prima et præcipua est excommunicatio major S. Pontifici speciali modo reservata : constat ex variis juribus, speciatim ex const. *Apost. Sedis,* art. 1. Eamdem pœnam incurrunt etiam hæreticis « credentes, eorumque receptores, fautores ac generaliter quilibet illorum defensores ».

Credentes (hæreticis) sunt : 1° illi qui uni alterive errori hæreticorum, sive expresse sive confuse, assentiuntur, et signo externo hunc assensum manifestant, licet ad sectas hæreticorum formaliter non pertineant; possunt ergo esse formaliter hæretici vel non, prout adhærent ipsi hæresi, ut sic, vel doctrinæ quam tenent tales hæretici, quibus volunt assentiri.

2° Credentes sunt etiam illi qui, licet nihil credant contra fidem, tamen in factis et verbis exterioribus profitentur sectam hæreticam : v. g. in infirmitate hæreticum pastorem vocant, prædicationi hæreticorum præsentes adsunt cum animo assentiendi, etiamsi non habeant animum assentiendi absolutum, sed tantum sub conditione quod ipsis rationes hæreticorum placuerint.

Receptores : qui hæreticis hospitium præbent aut eosdem quovis modo occultant, ne veniant in manum judicis ac pœnas hæresis incurrant. Sed casus ille hodie non est practicus, cum supponat actionem criminalem ob crimen hæresis; porro Ecclesia, nostris temporibus, nequit criminaliter procedere contra hæreticos.

Fautores : qui hæreticis, qua talibus, favorem præstant, vel positive, eos laudando, excusando, exercitium cultus hæretici permittendo, scholas eis aperiendo, etc.; vel negative, omittendo eorum denuntiationem, correctionem, etc.

Defensores : qui quovis modo tuentur vel errores hæreticorum, vel eorum personas, ob causam hæresis; secus si illos defendant ob aliam causam, v. g. propinquitatem, misericordiam. Sub generali appellatione defensorum venire possunt fautores, receptores, etc. Ad pœnam incurrendam, requiritur auxilium efficax, nec sufficit attentatum.

Ut credentes, fautores, etc. hæreticorum incurrant illam excommunicationem, sufficit ut isti hæretici vel apostatæ quibus inhærent, et efficaciter auxilium præstarunt, noti sint sine ulla dubitatione; nec requiritur ut sint nominatim declarati a judice ecclesiastico, aut notorii.

2° Aliæ pœnæ sunt : *privatio* sepulturæ christianæ; *irregularitas*, ita ut nec ordines suscipere, nec in susceptis sine dispensatione ministrare possint, etiamsi ab hæresi sint absoluti; *inhabilitas* ad dignitates, beneficia et officia ecclesiastica, et *privatio* dignitatum, beneficiorum et officiorum ante eorum in hæresim lapsum obtentorum. Constat, præter jus antiquissimum, ex cap. 2 et 15 h. t. in 6°, etc. Sed plura sunt notanda circa illas pœnas.

b) De sepulturæ privatione. 1° Qui contra prohibitionem Ecclesiæ sepeliunt hæreticos, horum fautores, credentes, etc., incur-

runt excommunicationem, a qua non absolvuntur antequam satisfactionem congruam præstiterint et corpus hæretici ita sepulti exhumaverint (c. 2 h. t.). Quoad illam conditionem absolutionis, communis erat sententia DD.; sed jus antiquum in pluribus limitatum fuit per const. *Apost. Sedis.*

2° « Mandantes seu cogentes tradi eccclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos » (art. 1, sect. 4).

Mandantes. Olim non tantum « mandantes » seu cogentes, sed omnes cooperatores, ut aperientes terram, in sepulturam mittentes, associantès corpora... excommunicabantur. Sed ad limites hujus art. cohiberi debet doctrina veterum CC. Verum contraheretur excommunicatio, etiamsi enumerati in hoc art. sepelirentur sine ritu catholico in loco sacro seu in cœmeterio benedicto.

Hæreticos notorios. Notandum est quod in locis ubi catholicis permixti sunt hæretici, qui proinde non sunt vitandi, cœmeterium non polluitur sepultura hæretici, licet sepultura excommunicati vitandi polluatur: communicatio fidelium cum hæreticis non prohibetur in hac vita, ac proinde nec post mortem.

3° Clerici dantes sepulturam hæreticis olim privabantur suo officio, ex cap. 13 h. t.; sed hodie in const. *Apost. Sedis,* videtur sublata hæc pœna : in art. 2, sect. 6, agitur de clericis qui sepulturam dant nominatim excommunicatis, et pœna interdicti decernitur.

Discrimen habetur inter art. 1, sect. 4, et præsentem : hic enim agitur de admittentibus seu de illis qui possent non admittere, quales sunt, v. g. parochi, rectores ecclesiarum, dum in primo articulo excommunicantur mandantes seu cogentes tradi sepulturæ ecclesiasticæ. Deinde hic agitur tantum de exclusione nominatim excommunicatorum; quoad admittentes « hæreticos notorios vel nominatim interdictos, » nulla decernitur pœna, licet remaneat prohibitio sub gravi.

4° Sed illi omnes excusantur, si hæreticum sepeliant, non ex causa vel favore hæresis, sed ne illius cadaver aerem corrumpat, vel ob amicitiam, consanguinitatem, etc., modo hoc fiat extra locum sacrum; item, si sepeliant in loco sacro, nescientes

sepultum esse hæreticum, vel etiam si metu coacti hoc fecissent.

c) Quoad *irregularitatem* ad ordines suscipiendos et ministrandum in susceptis, etc., per hæresim contractam, 1° probabilius illa irregularitas perseverat, relicta et ejurata hæresi, saltem si agatur de hæresi publica, quæ manet usquedum in ea fuerit dispensatum a Summo Pontifice, quoad ordines suscipiendos. De quæstione valde agitata inter CC., an hæresis debeat esse publica, ut irregularitatem inducat (circa quam Gury, t. II, n. 1035, affirmat, post Gibalin. et alios; communius tamen DD. negant, cum Suarez, Thesaur., etc.), dicemus infra.

2° Certum est et ab omnibus admissum, quod solus Romanus Pontifex possit dispensare in irregularitate quæ resultat ex hæresi publica, ad forum contentiosum deducta vel non. Tamen si causa esset ab episcopo *judicialiter* cognita, is posset, ut judex hæreticorum, eosdem, prævia abjuratione juridice facta, ab excommunicatione absolvere; quæ quidem absolutio pro utroque foro suffragaretur.

3° Si contracta fuerit ex delicto hæresis occulto, non desunt qui putant in hoc casu non incurri irregularitatem, quia juxta ipsos irregularitas proficisceretur, non ex ipso crimine hæresis, ut sic, sed ex infamia illi annexa. Tamen probabilior et communior sententia affirmat, saltem quatenus « occultum »; hic non idem est ac mentale, sed opponitur publico seu notorio : agitur ergo de hæretico externo occulto. Ratio est, quia ex peculiari juris dispositione, crimen ipsum hæresis annexam habet irregularitatem, et ideo non quia publicum, sed quia tale crimen est. Confirmatur ex facultatibus datis a Summ. PP. inquisitoribus, ut dispensent hæreticos occultos ab irregularitate.

4° Sed quærunt ulterius illi CC. utrum episcopus, vi potestatis Tridentinæ, possit dispensare ab hac irregularitate? Multi, cum S. Lig. (l. VII, n. 76), affirmant, et probabilitas illius sententiæ non fuit sublata per bullam *Cœnæ*, neque per const. *Apostolicæ Sedis;* quia licet reservetur S. Pontifici absolutio hæresis, etiam occultæ, tamen potestas dispensandi est omnino diversa a potestate absolvendi ; porro conc. Tridentinum non limitavit, in irregularitatibus ortis ex delicto occulto, potestatem dispensandi. Sed alii multi negant, cum majori probabilitate, quia

S. Congr. Concilii (4 dec. 1632, 18 jun. 1796) declarat episcopum non posse absolvere *neque dispensare* in casu hæresis neque in aliis bulla *Cœnæ* Sedi Apostolicæ reservatis. Deinde potestas absolvendi et dispensandi per modum unius seu sine distinctione data fuit a C. Tridentino; ergo et eodem modo tollitur.

Notat Schmalzgrueber (*de Hæret.*, n. 108) post Navarr., Laym., Pirhing, in Germania et aliis provinciis septentrionalibus episcopos ordinare solere sine dispensatione pontificia conversos ex hæresi ad fidem catholicam. Ratio est, quia tales, neque in foro civili, a publicis dignitatibus et officiis excluduntur. Hoc tamen admitti nequit, quia potestas absolvendi est simpliciter reservata S. Pontifici et irregularitas introducta est, non ob infamiam, sed ob crimen ipsum in se spectatum. Tamen episcopus jure ordinario potest clericis pœnitentibus et S. Ecclesiæ jam reconciliatis, elargiri dispensationem ad exercendos SS. ordines jam susceptos, excepto tamen sacerdotio, quoad celebrationem missæ et administrationem sacramenti pœnitentiæ: solus R. Pontifex potest sacerdotibus in hæresim lapsis indultum tribuere, ut exerceant illum ordinem. Hodie in Germania episcopi solent dispensare ab hac irregularitate, non quidem jure ordinario, sed ex indulto apostolico, quod singulis quinquenniis renovari debet.

5° An filii hæreticorum sint irregulares? Affirmative, ex jure antiquo, et constat ex cap. 2 h. t. in 6°, 10 et 15. Sed an hodie remaneat hæc irregularitas, negandum videtur ex praxi universali. Jam olim admittebatur exceptio, quoad illos quorum parentes revertebantur ad veram fidem, secluso omni relapsu.

6° Quærunt CC. utrum beneficia ante obtenta ipso jure amittantur ob hæresim? Communis hodie sententia affirmat, ex diversis juribus, sed præsertim quia ex stylo et praxi Curiæ Apostolicæ, beneficia hæreticorum pro vacantibus habentur. Tamen requiritur sententia declaratoria criminis, quia hæreticus, ut advertunt multi DD., non tenetur se beneficiis suis spoliare; est enim regula generalis, quod in omni casu in quo pœna ipso jure incurritur, sententia delicti declaratoria requiritur. Unde hæreticus beneficiarius fructus perceptos ante sententiam retinere potest.

7° Quod dictum est de hæreticis, intelligi etiam debet, quoad irregularitatem præsertim, de eorum fautoribus, defensoribus, credentibus et receptoribus.

§ II. *De pœnis temporalibus et de judice hæreticorum.*

I. Pœnæ temporales.

Pœnæ contra hæreticos horumque receptores, fautores, defensores, credentes, a jure canonico latæ et olim in jure civili receptæ, sunt sequentes :

1° Hæretici infamiam ipso jure incurrunt (c. 13, 5 h. t.); opus tamen est sententia declaratoria criminis, saltem si hæresis non sit notoria.

2° Fiebant intestabiles, tam active quam passive : ex cap. 13 h. t. et jure civili.

3° Confiscabantur eorum bona, ex eodem cap. et jure civili. Quare fuse disputant CC. de incapacitate testandi et de hac confiscatione bonorum. Sed hodie quæstio non est practica, ideo quia jus civile concedit hæreticis eadem jura civilia quam fidelibus.

4° Si in hæresim lapsus liberos habeat, amittit in hos patriam potestatem, ita ut hi a die commissi criminis, ante omnem sententiam, sui juris efficiantur (cap. 2 h. t. in 6°). Sequitur filium catholicum parenti hæretico extra necessitatem extremam non teneri præbere alimenta; quia filius exemptus a potestate patria reputatur extraneus.

5° Tradebantur brachio sæculari ; et potestas sæcularis pertinaces punire poterat pœna capitali : constat ex variis juribus et ratione, quia hæresis est crimen valde enorme, et non solum religioni, sed etiam paci et tranquillitati publicæ maxime contrarium. — Relapsi ex consuetudine pœna ignis puniebantur, non tamen vivi, sed præmissa strangulatione.

II. Judex hæreticorum.

a) Qui sint judices competentes ordinarii in crimine hæresis?

1° *Pontifex Romanus* est supremus judex in crimine hæresis; nam ab ipso Pontifice descendit et dependet omnis aliorum jurisdictio spiritualis.

2° *Legatus a latere,* jure communi spectato, quum hic Summi Pontificis vices in omnibus plenissime gerat, et ideo etiam supra inquisitores jurisdictionem habere videtur. Tamen legati sine speciali commissione S. Pontificis vel supremi tribunalis Inquisitionis non valent ad se vocare causas jam præoccupatas ab inquisitoribus.

3° Episcopus, respectu omnium hæreticorum suæ diœcesis, sive clerici sint sive laici, ut constat ex Clem. 1ª h. t. Hæc facultas etiam extenditur ad exemptos a jurisdictione spirituali, non quod episcopus sit judex ordinarius eorum, sed est judex delegatus Papæ : ex cap. 9 h. t. Ratio generalis est, quia ad episcopum spectat exstirpare hæresim, quæ est maximum malum. Vicarius generalis nequit, sine mandato speciali, procedere in causa hæresis ; tamen posset generali modo deputari ut esset judex in causis hæresis.

4° Capitulum, sede vacante, prout constat ex c. 9 h. t. Ratio est quia, sede vacante, jurisdictio manet penes capitulum seu vicarium capitularem. Tamen hæc facultas non extenditur ad exemptos, quia in hoc casu episcopus procedit ut delegatus Sedis Apostolicæ.

5° Prælati inferiores episcopo habentes jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum ab episcopis independentem. Secus de prælatis non habentibus territorium, etiam regularibus ; hi de suis subditis hæreticis cognoscere non possunt, multo minus de extraneis seu sæcularibus. Inter propositiones damnatas ab Alex. VII, sequens (sub num. 4) habetur : « Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta et ab excommunicatione ob ipsam incursa. » Quoad suos subditos, olim erant duæ sententiæ. (Vide S. Lig., *Th. mor.*, l. VII, n. 104-106).

Præter illos qui ordinaria potestate cognoscere de crimine hæresis possunt, alii de eo cognoscunt potestate delegata, inter quos præcipuum locum obtinent inquisitores S. Officii.

b) Judex sæcularis seu judex de se incompetens.

1° An in causa hæresis cognoscere etiam possit judex sæcularis ? Olim, seu ante præscriptiones c. 8 h. t. in 6°, potuit cognoscere de crimine hæresis, quando ejusdem insimulatus erat laicus, et ideo ratione personæ delinquentis et quando agebatur

de sola quæstione facti : ita docent communiter DD. Sed hodie cognitio hujus criminis, sive principaliter sive incidenter in judicium deducatur, sive agatur de solo facto, sive de jure, est fori ecclesiastici tantum. Constat ex variis const. SS. PP., inter alias const. *Quia alios* Greg. XIV. Ratio est, quia hoc crimen mere ecclesiasticum est, quod definiri debet juxta regulas doctrinæ sacræ; porro de re mere ecclesiastica pronuntiare, potestatis ecclesiasticæ est, et non sæcularis.

2° Hoc procedit etiamsi facti sit quæstio, quia talis quæstio a quæstione juris vix separari potest. Deinde, juxta sacros canones, judicium fertur de intentione, ignorantia, pertinacia et aliis conditionibus, quæ verificari debent, ut videatur an quis sit obnoxius pœnis ecclesiasticis. Sequitur quod judex sæcularis nequeat examinare an hæretici condemnati qui illi traduntur, fuerint rite damnati. Tamen si damnatio fuisset evidenter injusta, posset et deberet differre exsecutionem sententiæ et judicem ecclesiasticum informare de injustitia sententiæ. Sed,

3° Potest capere et incarcerare de hæresi diffamatos, ut eos remittat judicio judicis ecclesiastici.

SECTIO V.

De absolutione hæreticorum.

I. Quando crimen est notorium.

a) Crimen hæresis potest esse 1° occultum vel publicum. *Occultum*, quatenus generatim opponitur publico, dicitur quando, licet ab aliquibus sciatur et probari possit, non scitur a majori parte viciniæ aut parochiæ vel collegii seu communitatis, in qua saltem decem personæ sint; seu quotiescumque non est *publicum*, id est, notorium et famosum. Si a nemine cognosceretur, diceretur pure occultum; sed hic agitur tantum de crimine notorio. Sed ex non notorio fieri potest notorium; nam,

2° Crimen hæresis est deductum ad forum ecclesisticum vel non. Censetur sic deductum, juxta plures, quando accusatio vel denuntiatio coram legitimo judice facta est et reo intimata, isque citatus fuit, quia citatio est primus actus judicis; juxta alios, non censetur deductum, nisi post litis contestationem, cum ante hanc non dicatur proprie cœptum judicium. Quando hæreti-

cus, dimissa hæresi, sponte comparet coram episcopo, causa pro ipso est in judicium deducta.

3° Non agitur hic de hæresi mere interna et mentali, nullo signo exteriori manifestata; nam hæc non est reservata, ac proinde a simplici confessario absolvi potest, ut supra diximus. Ita communis sententia, teste Bened. XIV, *de Syn.*, l. IX, c. IV, n. 4). His positis,

b) Si crimen *notorium* est, nullus præter Papam ab illo absolvere potest; nam crimen hæresis et excommunicatio ei annexa reservata est Sedi Apostolicæ, ex bulla *Cœnæ* et recentius ex constitutione *Apostolicæ Sedis.* Unde, quoad alios, requiritur ut potestas absolvendi sit eis specialiter delegata.

Tamen, ut monet Bened. XIV (in *Syn.*, l. VII, c. XXXII) episcopi possunt reconciliare Ecclesiæ hæreticum ad suum tribunal deductum, et pro utroque foro absolvere. Quin et possunt hæreticum, postquam suos errores ejuravit, ad simplicem confessionem pro absolutione remittere, quæ tunc data a confessario pro foro interno valet etiam pro foro externo; sed nequeunt concedere facultatem absolvendi, nisi causa prius judicialiter cognita. Itaque ab hæresi notoria et ad forum judicialem deducta, potest episcopus absolvere. Reservatio bullæ *Cœnæ* vel const. *Apostolicæ Sedis* procedit quoad absolutionem ab hæresi non deducta ad forum contentiosum.

In præsenti casu, episcopus absolvit auctoritate *ordinaria,* ac proinde potest absolvere, non tantum per seipsum, sed etiam per delegatum. Sequitur quod episcopi possunt absolvere protestantes notorios qui ad fidem catholicam publice convertuntur et volunt hæresim abjurare, nec opus est Romam adire : nam hæresis est notoria, ut patet, et deducitur ad forum judicialem per accessum ad episcopum. Modus procedendi in eo consistit ut, confessione hæreticorum judicialiter accepta et per notarium in actu redacta, abjuratio juridice fiat.

II. Quando crimen est occultum.

a) Si crimen hæresis occultum est, hodie post const. *Apostolicæ Sedis*, nullus etiam præter Papam vel delegatum ejus absolvere potest ab hoc crimine. Olim disputabant CC. an facultas episcopis concessa a conc. Tridentino (sess. 24, c. 6, *de Ref.*)

sublata fuerit per bullam *Cœnæ;* communis tamen sententia affirmabat; sed hodie nulla superest difficultas ex perspicua declaratione Pii IX, in prædicta constitutione *Apost. Sedis.*

Hæretici occulti absolvi possunt in foro conscientiæ a majori pœnitentiario vel de ejus mandato. Potest etiam major pœnitentiarius in foro conscientiæ absolvere publicos hæreticos, saltem in locis ubi officium Inquisitionis non viget.

« Excipiunt aliqui, ait Schmalz. (h. t., n. 199), episcopos in regionibus ab Urbe remotioribus : ... putant facultatem a Tridentino datam, per bullam *Cœnæ* revocatam non esse, quæ in praxi tuto adhiberi possit, et propterea lutheranos, calvinistas, etc., qui catholicam fidem suscipere volunt, illi episcopi per se vel per delegatos suos in foro conscientiæ absolvere possint non tantum ab hæresi occulta, sed etiam a notoria et publica; quia propter nimiam frequentiam et multitudinem absolvendorum adest necessarium et evidens impedimentum eos mittendi Romam. Sed hoc verum credo, non vi Tridentini vel alterius juris, sed vigore specialium facultatum quæ hujusmodi episcopis remotioribus a Sede Apostolica singulis quinquenniis renovandæ concedi solent. »

b) Quam potestatem nunc habeant episcopi post const. Apostolicæ Sedis ?

1° Possunt, ut dictum est supra, absolvere ab hæresi notoria et ad forum judicialem deducta. Sed notandum est quod hæc duo requiruntur ut possint absolvere : nempe ut hæresis sit notoria et ad tribunal episcopi deducta. Quare, in casu hæresis occultæ, episcopus nequit absolvere, si hæreticus nolit hæresim suam notam facere in judiciali foro externo. Ex altera conditione sequitur quod subditi tantum, seu illi qui legitime subjiciuntur jurisdictioni episcopi, possunt causam suam deferre tribunali episcopi intuitu absolutionis petendæ.

2° In foro externo, juxta plures, possunt absolvere ab hæresi in locis ubi officium S. Inquisitionis non est introductum, exceptis tamen hæresiarchis et relapsis ; nam episcopi locum tenent inquisitorum et agunt ut delegati Sedis Apostolicæ. Hæc absolutio in foro externo data prodest absolutis, ut deinde in foro interno a quocumque simplici confessario absolvi valeant. Tamen absolutio pro foro interno non prodest

absolutis pro foro externo; sed in hoc convictus damnatur ad pœnam et vindictam publicam.

Sed nullibi reperitur expressa talis delegatio ; et const. *Apostolicæ Sedis* absolute reservat crimen hæresis et *revocat* omnes facultates generales. Imo ipsis inquisitoribus sublata est, ex bulla *Cœnæ*, auctoritas absolvendi ab hæresi externa; sed ejusmodi potestas illis antea fuerat concessa.

3° In foro *interno* absolvere possunt jure ordinario, et secluso privilegio speciali, eum qui ob impedimentum perpetuum vel ad longum tempus duraturum prohibetur adire S. Pontificem. Ita communiter CC., et ratio est, quia casus papalis, superveniente impedimento, fit episcopalis. Colligitur ex c. 13, 20, 58, *de Sent. excomm.* Debet tamen episcopus, in casu impedimenti temporanei, absolvere hæreticum; sed ita absoluto sub juramento injungere est ut, cessante impedimento, Romam se conferat. Ita communis sententia contra illos qui putant in locis remotioribus episcopos præscripsisse jurisdictionem absolvendi impeditos sine onere.

Ad quæstionem generalem an episcopi absolvere possint a censuris bullæ *Cœnæ* (seu speciali modo reservatis) impeditos Romam adire, S. Lig. (l. VII, n. 84) respondet: «Adsunt tres sententiæ: prima absolute negat. Secunda concedit episcopis absolvere a cæteris casibus, sed negat ab hæresi... Tertia sententia communis, cui subscribo, docet episcopos posse per se vel per alios ab eis *specialiter* delegatos, absolvere *in utroque foro* legitime impeditos ab omnibus casibus et etiam ab hæresi, præstito tamen juramento ab eo qui absolvitur de se præsentando postea superiori.» Sed de potestate absolvendi impeditos postea fusius agitur.

4° Notandum est quod sub facultate generali absolvendi a casibus reservatis, concessa pro tempore jubilæi, non comprehenditur facultas absolvendi ab hæresi. Olim erant duæ sententiæ; sed hodie datæ sunt apertæ declarationes Sedis Apostolicæ.

5° Quoad dispensationem ab irregularitate contracta per hæresim, supra diximus. De facultate absolvendi ab hæresi et excommunicatione per ipsam incursa, quoad constitutos in articulo mortis, idem plane dicendum est ac de potestate absolvendi ab omnibus casibus speciali modo reservatis.

TITULUS VIII.

DE SCHISMATICIS ET ORDINATIS AB EIS.

§ I. *Natura et varietas schismatis.*

I. Quid sit?

1° Schisma, quoad vim nominis, scissuram significat, et cujusvis communionis diruptionem denotat; quoad rem in sensu juris canonici, sumitur pro scissione seu separatione qua se aliqui dividunt ab unitate Ecclesiæ; unde stricte definiri potest: *Voluntaria et pertinax scissio ab unione universalis Ecclesiæ, per detractionem debitæ obedientiæ.*

Unitas Ecclesiæ generatim consistit in unitate fidei, communionis et regiminis; prout Ecclesia speciatim consideratur ut corpus mysticum, seu ut societas externa et visibilis, constare debet ex universis fidelibus, tanquam membris, et Romano Pontifice, tanquam capite.

Itaque schisma est discessio ab unitate Ecclesiæ, quatenus hæc est corpus mysticum; sicut ergo unitati fidei directe opponitur hæresis, ita unitati communionis et regiminis repugnat schisma. Hinc schismaticus dicitur ille qui S. Pontifici, vel membris Ecclesiæ S. Pontifici subjectis communicare renuit, seu ab ipsis recedit. Licet schisma sit quædam seditio, tamen proprie differt a seditione, quia hæc dissentionem solum inducit in statu civili, schisma vero in Ecclesia seu societate religiosa.

Ad rationem schismatis non requiritur constitutio novæ sectæ in Ecclesia, vel accessus ad illas sectas : qui sic agunt solent appellari schismatici perfecti. Essentialis igitur malitia schismatis consistit in termino *a quo*, seu in pertinaci et universali recessu ab obedientia, non autem in termino *ad quem,* seu in accessu ad sectam separatam, quo casu schismati semper adjungitur hæresis.

2° Sed quomodo schisma differat ab hæresi? In pluribus schisma convenit cum hæresi, et in aliquo ab illa differt.

Hæresis est *species schismatis;* nam omnis hæreticus est schismaticus, quia negatio alicujus dogmatis est separatio ab ipsa Ecclesia; non tamen omnis schismaticus est hæreticus, quia potest quis credere omnes articulos fidei, etiam illos quorum objectum est suprema et infallibilis potestas R. Pontificis, licet ex prava voluntate recedat ab obedientia et subjectione, et se projiciat extra unitatem communionis et regiminis. Altera affinitas habetur in eo quod schisma sit *via ad hæresim;* nam schismaticus nequit dici non negare in mente quod negat de facto, nempe articulos fidei circa unitatem regiminis et communionis, speciatim circa dogma de primatu jurisdictionis R. Pontificis; unde hæresis est pedissequa schismatis.

Schisma igitur differt ab hæresi in eo quod hæresis, per se et directe, opponitur fidei et magisterio Ecclesiæ; schisma autem charitati et regimini Ecclesiæ, ejus unitatem tollendo. Hæreticus, ideo quia aliquem fidei articulum negat vel de eo dubitat, destruit unitatem fidei; schismaticus vero, dum recedit ab unione communi cum membris et capite Ecclesiæ, conculcat vinculum charitatis.

Sequitur quod schisma sit peccatum gravissimum, imo illud peccatum non admittit parvitatem materiæ, quia ejus malitia consistit in superbia et contemptu Ecclesiæ, a qua penitus recedit quilibet schismaticus, in quavis re fiat recessus ille ab Ecclesia.

II. Quotuplex sit schisma?

Schisma, aliud est purum, aliud conjunctum cum hæresi:

1° Schisma *purum* est illud quod fuit definitum, nempe quod non opponitur fidei, sed tantum charitati. Vix dari potest schisma purum, quia, ut supra dictum est, schisma de se, vel saltem de malitia schismaticorum, est via ad hæresim. Igitur quando admixtam non habet hæresim, sæpenumero illam post se trahit. Confirmatur historia schismatum : v. g. exemplo schismatis Græci vel Anglicani. Tamen, absolute loquendo et ex natura rei, dari potest aliquandiu sine hæresi, quia quis recedere potest ab unitate communionis et regiminis, non ex aliquo pertinaci errore intellectus, sed tantum ex perversitate

voluntatis se subjicere R. Pontifici nolentis, quamvis non neget R. Pontificem esse primatem totius Ecclesiæ.

2° Schisma *conjunctum cum hæresi* est quod, præter separationem ab Ecclesia, insuper in fide dissentit, ut si quis, v. g. denegaret obedientiam Rom. Pontifici, quia non credit Rom. Pontificem esse vicarium Christi et caput Ecclesiæ.

III. Qui sint vel non schismatici?

Ex dictis, per modum corollarii, definire possumus :

a) *Qui sint schismatici.* 1° Generatim schismatici sunt illi duntaxat qui recedunt a Sum. Pontifice, ei negando directe vel indirecte reverentiam et obedientiam debitam; negant directe, qui expresse et formaliter intendunt non se subjicere R. Pontifici, ut superiori; indirecte, qui facto aliquo ostendunt se non recognoscere eumdem Pontificem ut superiorem, dum ita sese gerunt ac si ei subjecti non essent : et talis censeretur qui præsumeret absque debita auctoritate congregare concilium universale, vel appellaret ad concilium universale, cui nollet præesse R. Pontificem. Secus si appellaret ad concilium, cui præesset R. Pontifex. Primum est probibitum sub pœna excommunicationis.

2° *Speciatim* ut aliquis, antea pertinens ad unitatem Ecclesiæ, ut supponitur, vere et proprie dicatur et sit schismaticus, requiritur 1° ut recedat sive ab obedientia S. Pontificis, quem agnoscit ut verus Pontifex, sive a communione cæterorum fidelium, qua talium; 2° ut hic recessus conjunctus sit cum pertinacia, et fiat per actum formalis inobedientiæ.

b) *Schismatici proprie non sunt :* 1° qui recedunt ab obedientia unius episcopi et diœcesis communicatione, dummodo perseverent in obedientia S. Pontificis et generatim in unitate communionis et regiminis cum universali Ecclesia. Ratio est, quia schisma importat separationem ab Ecclesia catholica. Tamen in lata significatione dicuntur schismatici.

2° Qui agit solummodo contra præceptum vel prohibitionem S. Pontificis, eo quod ipsi videtur difficile et durum, vel contra Pontificis potestatem. Etenim hic adhuc potest agnoscere Papam tanquam caput Ecclesiæ, et remanere in unitate regiminis et communionis. Itaque est duntaxat transgressor alicujus præcepti ecclesiastici.

3° Qui Papæ renuit subesse et obedire, vel quia probabiliter credit talem non esse verum Pontificem, vel quia persona ipsius videtur sibi despecta aut odiosa; nam non denegat obedientiam Pontifici, qua tali, sed tantum quia ejus electio videtur dubia, vel, in secundo casu, in odium et vindictam illius.

4° Qui Papam non regnoscit, ut dominum temporalem alicujus provinciæ, vel non vult pertinere ad rempublicam civilem quam constituunt cætera membra Ecclesiæ.

5° Excommunicati non sunt schismatici, quia non a seipsis, sed a superiore dividuntur a corpore Ecclesiæ.

§ II. *Pœnæ latæ contra schismaticos vel ordinatos ab ipsis.*

a) *Quæ sint pœnæ latæ contra ipsos schismaticos?* 1° Prima pœna est excommunicatio speciali modo reservata S. Pontifici, ex const. *Apost. Sedis* post bullam *Cœnæ*. Hæc tamen pœna non extenditur ad receptores, fautores et defensores schismaticorum. Hanc pœnam incurrunt etiam illi « qui a Rom. Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt », ut legimus in citata const. (sect. 1, n. 3).

2° Altera pœna est confiscatio bonorum, ex cap. unico huj. tit. in 6°.

3° Inhabilitas ad beneficia et dignitates, saltem si schismaticus sit notorius (c. 5, *de Elect.*). Hæc inhabilitas probabiliter remanet post peractam pœnitentiam et schismatis abjurationem, quia Sedes Apostolica *dispensat* cum eis ut possint dignitates recipere. Hoc crimen videtur etiam secum trahere infamiam, saltem facti, ac proinde, juxta plures, irregularitatem; sed quia non est infamia juris, ejurato crimine, tollitur irregularitas; imo, juxta veriorem sententiam, schismatici non sunt irregulares, cum nullibi hoc legatur in jure; secus si schisma conjungeretur cum hæresi.

4° Privatio jurisdictionis ecclesiasticæ, ex cap. 1 h. t. et aliis juribus, et ideo irritæ sunt collationes beneficiorum, alienationes rerum, etc. a prælatis schismaticis factæ. Sed ut ejusmodi privatio jurisdictionis effectum habeat, necessaria est saltem sententia declaratoria criminis, ut supra dictum est de hæreticis.

b) *Pœnæ latæ contra ordinatos a schismaticis.* 1° Scienter ordinati a schismaticis notoriis suspenduntur ab exercitio ordinis sic suscepti, ex const. *Apostolicæ Sedis.* Qui scienter receperunt ordinem ab excommunicato vel suspenso nominatim denuntiato aut ab hæretico vel schismatico notorio, incurrunt hanc perpetuam suspensionem. Sed quid requiratur ad hanc notorietatem constituendam? Juxta plures, sufficeret ut recessus a fide vel obedientia sit notorius; sed verior sententia docet requiri, in præsenti casu, ut hæreticus vel schismaticus ad quam sectam manifesto pertineat.

2° Qui ignoranter, seu bona fide, a talibus est ordinatus, incurrit quidem suspensionem, sed tantum ab *exercitio* ordinis, non proprie ab ipso ordine ; ideo ab episcopo potest dispensari, ut exerceat ordinem susceptum : ratio est, quia mitior esse debet pœna quoad illos, et alias hæc dispensatio olim non erat reservata. An idem dicendum sit de eo qui accessit ad ordinationem cum dubio, et neglexit inquirere ex desidia culpabili? Affirmatur probabilius, quia agitur de illis qui « præsumpserunt recipere ordinem », quapropter supponitur contumacia perfecta.

c) Notandum est quod hæreticis et schismaticis assimilantur illi qui occulta conventicula celebrant, quæ faverent schismaticæ seditioni et hæresi. Unde ex c. 12, *de Hæret.*, post jus civile Romanum, hæc conventicula prohibentur sub pœna ultimi supplicii, et domus in quibus celebrantur, fisco addici debent, juxta præscriptionem juris civilis Romani.

TITULUS IX.

DE APOSTATIS ET REITERANTIBUS BAPTISMA (1).

NOTA. Ex ordine doctrinæ progredimur de hæreticis et schismaticis ad apostatas, qui fidei, charitatis et regiminis vinculum abrumpunt. Apostatis junguntur reiterantes baptismum, quia

(1) Nonnullæ dispositiones juris Rom. in Codice, l. I, t. VI, VII.

per reiterationem baptismi videntur a primo recedere, ac proinde apostatare.

I. De apostasia in genere et apostatis a fide.

a) *Apostasia* vox græca est, quæ desertionem seu defectionem significat. Hic sumitur pro defectione qua quis recedit temerarie a vitæ prioris instituto, quod tenendum publica et solemni professione susceperat. Differt ab inobedientia, ut infra dicetur.

Triplex est species apostasiæ, scilicet, a fide, ab ordine et a religione seu statu religioso, prout deseritur penitus fides catholica, vel ordo major susceptus, vel status religiosus per professionem initus.

b) *De apostasia a fide.* Constat, ex definitione supra data, apostatas a fide esse qui penitus a fide orthodoxa per baptismum suscepta defecerunt. Hinc 1° in apostasia a fide, si *terminus a quo* consideratur, est delictum, non specie, sed gradu tantum, distinctum ab hæresi; quandoquidem apostata est verus hæreticus, a quo in eo solum differt quod ille ex parte defecit, hic vero in totum a fide recessit eidemque renuntiavit. Quare, licet vulgo apostatæ dicantur qui a fide catholica ad sectam aliquam hæreticam, v. g. calvinismum, transeunt, non tamen proprie sunt apostatæ, sed hæretici. Sed qui a fide catholica ad judaismum vel paganismum transit, est vere apostata.

2° Si in apostasia consideratur *terminus ad quem*, tunc hæc defectio variis appellatur nominibus, secundum diversam infidelitatis speciem in quam quis, vera fide ac religione relictis, abierit. Hinc judaismus, paganismus, mahumetanismus, deismus, atheismus, rationalismus absolutus, indifferentismus, possunt esse termini *ad quem* recessus a fide seu apostasiæ. Sed ut peccatum apostasiæ constituatur et quis omnibus pœnis contra apostatas latis sit obnoxius, minime requiritur ut determinatam aliquam speciem infidelitatis professus fuerit; si quis omnino rejecta qualibet religionis forma, in *absolutam incredulitatem decesserit*, erit verus apostata.

3° Igitur apostasia est peccatum infidelitatis, et quidem gravius hæresi, quum apostata a fide in totum recedat, et non tantum ex parte, ut hæreticus. Quare omnia quæ dicta sunt de

hæretico, eodem modo applicanda sunt ad apostatam a fide, quia et hæreticus est, et hæretico deterior.

c) *Quibus modis in specie quis possit esse apostata?* 1° Spectato modo recessus, hæc sunt notanda. Quando quis, vel sola mente recedit a fide catholica, vel verbis tantum aut factis, non tamen animo, discessit ab eadem fide, assimilandus est hæreticis, et ideo redeunt superius dicta de hæreticis. Si quis mente simul et verbis vel factis fidem catholicam deserit, etiamsi occulte hoc fiat, ita ut nemo delictum illius noverit, est verus apostata obnoxius pœnis ecclesiasticis : applicantur etiam superius dicta de hæreticis.

2° Spectato termino accessus, malitia apostasiæ consistit formaliter, ut diximus, in recessu a fide, seu in termino *a quo;* tamen solus terminus *ad quem* potest esse signum recessus a fide ; quare ad apostasiam sufficit ut quis exterius profiteatur aliquam speciem infidelitatis, vel absolutam incredulitatem, licet apertam et publicam apostasiam non fuerit aliter professus. Itaque hodierni rationalistæ, naturalistæ, sceptici, liberi cogitatores, illuminati, etc., sunt veri apostatæ; ergo ut subjiciantur omnibus pœnis apostatarum, sufficit ut actu externo cultum catholicum repudient.

3° Spectato ipso actu, etiam abstractione facta termini *a quo* vel *ad quem,* notandum est speciatim quod tumulatio civilis, ut aiunt, est de se actus apostasiæ, cum fiat in odium religionis catholicæ et in signum protestativum discessus a fide orthodoxa. Inde omnes qui scienter postulant pro se vel suis talem modum tumulationis, accensentur apostatis, et iisdem pœnis subjiciuntur.

Qui idolis sacrificaret aut circumcideretur, etiam pro apostata habendus esset, quia talis actus de se est signum apostasiæ.

Sed quid sentiendum de illo qui coacte idolis sacrificavit, vel judaismum, etc. amplexus est, saltem quando coactio non fuit absoluta, sed conditionalis? Licet in foro externo pro apostata habeatur, tamen reipsa et in foro interno non est apostata, quamvis gravi se obstrinxerit peccato contra obligationem profitendi fidem exterius : deest animus, seu mente non deseruit fidem.

d) *De pœnis latis contra apostatas a fide.* 1° Integer pœnarum apparatus quibus hæretici compescuntur, ad apostatas a fide extenditur : unde excommunicantur, irregularitate innodantur, etc. Easdem pœnas incurrunt eorum fautores, receptores et defensores.

2° Alias tamen majores et graviores incurrunt quam ipsi hæretici, cum apostatæ semper quamdiu vivant et post mortem usque ad quinquennium accusari, et in suis puniri possint (ex jure Rom.). Nec suffragatur eis pœnitentia, saltem quoad pœnas temporales latas a jure Rom., uti suffragatur hæreticis.

e) *Modus reconciliationis apostatarum.* 1° Apostata pœnitens in articulo mortis constitutus et in terris infidelium existens, debet, antequam absolvatur a confessario, abjurare prius verbo apostasiam, et si per aliquod temporis spatium supervixerit, abjurabit coram fidelibus.

2° Si non potest hoc modo abjurare, relinquat chirographum suæ abjurationis, saltem signo crucis conscriptum.

3° Quod si neque hoc possit, committat confessario ut suam abjurationem fidelibus manifestet.

4° Non tenetur pœnitens sic in periculo vitæ constitutus, etiam suadentibus infidelibus vel mahumetanis, fidem catholicam, quam modo, abjurata infidelitate, amplexus est, cum periculo vitæ confiteri, sed eorum suasiones eludere potest, vel non respondendo, vel æquivocis verbis utendo : S. Congreg. S. Inq., 18 jul. 1630 (Apud Ferrar., v. *Apostasia*).

Nota. Aliqui etiam distinguunt apostasiam ab inobedientia. Hæc inobedientia late sumpta est omnis mortalis divinæ legis transgressio. Stricte et proprie loquendo, sumitur pro recessu a mandatis Ecclesiæ, cum quis, ex superbia vel contemptu, schismatice resistit Ecclesiæ legitime præcipienti, vel suis canonibus, decretis et justis legibus obtemperare contumaciter recusat. Hæc ergo inobedientia se habet ad schisma sicut apostasia a fide, ad hæresim.

II. De apostasia ab ordine.

1° Hæc apostasia est temeraria defectio seu transitus e statu clericali ad conversationem laicalem. Igitur apostatæ ab ordine dicuntur clerici majoribus ordinibus initiati qui, dimisso habitu,

ad statum laicalem vel etiam conjugalem temere, seu propria auctoritate, se transferunt. Si clericus sit tantum minoribus initiatus et beneficium non habeat, certum est illum apostasiam non committere, si transeat ad nuptias vel statum sæcularem : ille enim retinet facultatem transeundi ad conversationem laicalem ; si vero beneficium habeat, nonnulli dicunt talem recedentem esse apostatam ; sed communior sententia negat, quia ordines minores cum adjecto beneficio non constituunt statum obligationis perpetuum, seu statum stabilem, cum beneficium dimitti possit sine peccato.

2° Pœnæ sunt imprimis excommunicatio major, sed ferendæ sententiæ, ex cap. 3 huj. tit., ac proinde post debitas monitiones; sed si apostata in sacris ordinibus constitutus matrimonium contrahere præsumpserit, ipso jure in excommunicationem incidit : quæ tamen non est reservata Summo Pontifici, sed tantum episcopo : ita jus antiq. et constit. *Apostolicæ Sedis.* Altera pœna est infamia, quam ipso facto incurrit, ac proinde tertia pœna erit quædam irregularitas orta ex infamia. Hæc tamen non est irregularitas proprie dicta, nisi matrimonium contrahere attentaret apostata ; quo casu irregularis evaderet ob bigamiam similitudinariam. Tandem si tertia vice commonitus habitum non reassumpserit, privilegium canonis amittet (c. 1 huj. tit.).

III. De apostasia a religione seu statu religioso.

I. *Quid? a)* Est omnimoda defectio, criminosa discessio, sive temerarius recessus a statu religioso per professionem aut vota religionis substantialia inito, sine proposito redeundi ad regulare institutum vel cum proposito non redeundi. Apostatæ ergo vocantur illi religiosi qui temere, prorsus abjecto regularis vitæ proposito, deserunt institutum (Vide tom. II, p. 427 et seq.)

b) Quid præcise requiratur, ut quis constituatur verus apostata a religione?

1° Imprimis requiritur ut quis opere, et non tantum animo, ab aliqua religione approbata per Sedem Apostolicam recedat ; unde si quis fuisset professus in religione non approbata a Sancta Sede, non esset proprie apostata. An ad hunc recessum requiratur ut apostata dimittat habitum? Non consentiebant

DD.; sed ex decreto Clementis VIII et Urbani VIII pro reservatione casuum, dicitur « apostasia a religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenit ut extra septa monasterii... fiat egressio. » 2° Altera conditio est, ut recedens in tali religione ediderit vota substantialia religionis, sive sint solemnia, sive simplicia. 3° Recessus ille debet esse temerarius, nempe sine licentia superioris factus. Tandem 4° debet conjungi cum animo non redeundi; secus esset fugitivus, non autem apostata.

Igitur ratio formalis apostasiæ in hoc consistit quod discessio a religione fiat cum animo non amplius redeundi. Tamen in praxi communiter accipiuntur ut veri apostatæ, qui extra claustra, sine superiorum licentia, habitu etiam retento et cum animo redeundi ad religionem, vagantur : ita sumuntur in variis decretis Sedis Apostolicæ (Apud Ferrar., v. *Apostasia,* n. 27, 28).

Sequitur *c*) relinquentes monasterium ut recurrant ad Sanctam Sedem, vel ad generalem ordinis, a gravaminibus per superiores suos sibi allatis, non esse apostatas, saltem si recto tramite ad Urbem recurrunt, impleta conditione præscripta a Sixto V const. *Ad Romanum.* (Vide tit. XXXI, s. III, I.) Constat etiam ex variis declarationibus SS. Congreg. In tali casu appellant de facto; porro appellatio est præsidium innocentiæ. Tamen ab ordinariis possunt apprehendi et puniri, nisi sint notabiliter et manifesto gravati, ita ut non sit illis aliud remedium, quam recursus.

Nec obstat conc. Trid., s. 25, c. 4, *de Reg.,* dicens : « Non liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint; qui vero sine mandato in scriptis obtento repertus fuerit ab ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur.» Nam conc. Trid. noluit derogare juri naturali, et ideo locutum est de iis qui sine vera causa recurrerent; quare usum est verbo « prætextu ». Quando datur vera causa recurrendi, præsumitur licentia superioris *ad quem*, ut animadvertunt communiter DD.

Sed an idem dicendum sit de eo qui, non petita licentia sui superioris, a sua ad aliam religionem discederet animo illam ingrediendi? Plures sunt sententiæ. Prima docet illum non

esse apostatam qui sine legitima facultate ad aliam « laxiorem » religionem transiret, quia retinet omnia substantialia ordinis religiosi. Altera contrarium tenet, tum quia temere et perpetuo deserunt suam religionem, tum quia sic recedens intrat religionem quæ simul est diversi habitus et diversæ regulæ.

II. *Pœnæ latæ contra apostatas a religione.* 1° Incurrunt excommunicationem majorem : hæc tamen pœna non incurrebatur ipso facto, nisi post habitum dimissum (c. 2, *Ne cler. vel monach.*, in 6°) In constitutione *Apost. Sedis* non innovatur hæc pœna juris antiquioris, et ideo apostata, etiam habitu dimisso, non incurrit ipso facto excommunicationem. 2° Suspensio ab usu et exercitio ordinum sacrorum durante apostasia susceptorum ; quæ etiam manet post pœnitentiam peractam, et perpetua est (cap. fin. huj. tit.). Non tollitur ergo hæc suspensio, nisi per absolutionem solius Summi Pontificis. Sequitur apostatam illum qui nullum ordinem sacrum suscepit, sed tantum minorem, posse admitti ad superiores ordines et ministrare in susceptis, post pœnitentiam et reditum ad religionem. 3° Amissio omnium privilegiorum suæ religionis (Trid., s. 25, c. 19, *de Reg.*). Ut hæc pœna incurratur, necesse est etiam ut egrediens habitum religiosum dimiserit, et deinde secuta sit sententia declaratoria criminis, ut docet Schmalzgrueber (n. 24 huj. tit.) post plures alios.

III. *Pœnæ latæ contra rebaptizantes, vel rebaptizari se scienter permittentes.* 1° Præter reatum gravissimum sacrilegii, quem rebaptizans et rebaptizatus incurrunt, si agunt scienter et absolute, nullo præcedente dubio de valore primi baptismi, irregularitatem contrahunt, ut constat ex variis juribus, speciatim ex c. 2 huj. tit.

2° Illam irregularitatem incurrunt etiam acolytus, subdiaconus et diaconus qui baptizanti ministrarent, saltem si crimen ejus publicum esset. Ita communiter DD.

3° Si rebaptizantes vel rebaptizati clerici sint, deponi debent, ex can. 118, *de Consecrat.*, dist. 4. Si vero laici, excommunicantur, ex c. 2 huj. tit.

Sed dubitari potest an illi qui conditionate tantum rebaptizant, irregularitatem incurrant. Communior sententia negat,

etsi graves theologi non excusent ab irregularitate illum qui temere et culpabiliter, seu sine ullo dubio probabili, iteraret baptismum. (Vide Bened. XIV, *de Synodo diœc.*, l. VIII, c. vi; S. Lig., l. VII, n. 356.) Sed ad irregularitatem incurrendam, ut rite monet Gury (n. 1032), requiritur certitudo, et ideo illam incapacitatem contraherent illi tantum qui absolute et sine causa rebaptizant. Tamen S. Congreg. Concilii solet absolvere ad cautelam rebaptizantes sub conditione.

SECUNDA PARS

DE CRIMINIBUS CONTRA PROXIMUM SEU ADVERSANTIBUS CHARITATI ET JUSTITIÆ ERGA PROXIMUM.

I. A criminibus quæ directe et immediate opponuntur Deo ejusque cultui, migramus ad illa quæ lædunt proximum in variis suis bonis : considerantur non omnia, sed præcipua ejusmodi crimina, cum de aliis pluribus actum sit antea.

Bona illa proximi sunt triplicis generis, nempe bona vitæ, famæ et fortunæ : quare, procedendo a bonis majoribus, initium sumitur a criminibus quibus læditur proximus in bonis vitæ; idcirco per sex articulos agitur de homicidio, causis et occasionibus, etc. illius. In sequentibus titulis agitur de adulterio et stupro, quibus læditur pudicitia; demum per sex iterum, de rapina, furtis, usuris et aliis criminibus quibus læditur proximus in bonis fortunæ.

II. In jure canonico, nullus est specialis titulus de crimine læsæ majestatis, de quo jus civile multa præcipit. Itaque hujus criminis tractatio relinquitur civilistis. Pauca tantum sunt hic notanda. 1° Non est crimen contra proximum, sed potius delictum publicum quo majestas humana seu suprema potestas læditur a subdito. 2° Duplex distinguitur species hujus criminis : perduellio qua princeps seu res publica læditur a subdito, sive quia hic conspirat facto aut etiam verbis in necem aut eversionem principis, sive quia seditiones excitat, etc.; crimen læsæ

majestatis in specie, quo princeps citra hostilitatem læditur a subdito, ut si quis principem percutiat vel cædat.

In art. 86 Codicis pœnalis et in lege anni 1832, variæ pœnæ stabiliuntur contra reos criminis læsæ majestatis; editio librorum pravorum contra principem ejusque jura pertinet etiam ad illud genus criminis; sed relicto illo crimine, prosequimur successionem titulorum corporis juris canonici.

TITULUS X.

DE HIS, QUI FILIOS OCCIDERUNT (1).

Nota. In hoc titulo agitur de parricidio, quod in genere homicidii est crimen gravissimum; et inter delicta quæ in hominem committuntur, nullum est gravius quam homicidium. Quare hæc secunda pars, quæ versatur in criminibus charitati seu proximo adversantibus, merito exorditur a parricidio.

I. Quid et quotuplex sit parricidium?

1° Voce parricidii olim veniebat quodvis homicidium; nunc significat homicidium in personas conjunctas, sed dolo seu scienter commissum. Si solum nomen spectaretur, significaret tantum parentum cædem; ex altera parte, ipsa rubrica tituli directe indicat cædem filiorum, sed ex usu parricidium designat occisionem cujuscumque personæ conjunctæ. Tamen in Cod. Gall. pœn. art. 299, nomine parricidii venit tantum occisio parentum legitimorum, naturalium vel adoptivorum, et omnium ascendentium legitimorum.

2° Parricidium dividitur in parricidum proprie et rigorose tale, quod a liberis in parentes, vel e contra, commissum est, et in improprie tale, si cognati collaterales aut affines aliquem ex cognatione aut affinitate occidant.

Itaque, nomine parricidarum proprie dictorum, in specie veniunt : 1° liberi qui occidunt proprium patrem vel matrem :

(1) Quoad jus Rom., vide Pandect., l. XLVIII, t. IX; Codic., l. IX, t. XV, XVII; quoad jus Gall., vide Cod. pœnal., l. III, t. II, c. I, s. 1, § 1.

unde etiam nepotes et neptes respectu avi et aviæ aut cujuscumque ascendentis : non extenditur ad filium adoptivum; 2° Parentes qui occidunt filios: id extenditur ad vitricum et novercam, si occidat privignum vel privignam; 3° socer et socrus occidens generum vel nurum et vice versa; in jure Gallico, ex declaratione supremæ Curiæ, occisio soceri non est parricidium; 4° maritus occidens uxorem, fratres fratrem, vel soror sororem et contra, atque generatim consanguinei usque ad quartum gradum: Ita in omnibus jus civile Rom.; 5° extranei cooperantes ad crimen parricidii, ut mandantes, consulentes, consilium dantes, exsequentes et hujusmodi : etenim recensentur in jure Romano inter parricidas.

II. Causæ excusantes a culpa parricidii.

1° Si filius patrem ignoranter et sine dolo, puta de nocte, occidat, etsi velit occidere hunc hominem præsentem : ad parricidii culpam requiritur dolus seu ut occisio fiat scienter, nempe cum cognitione personæ occisæ. 2° Si filius a patre fuit expositus, et major factus eumdem occidat. Ratio est, quia per talem expositionem pater amisit jus paternæ potestatis. 3° Si filius occidat parentem ex causa defensionis necessariæ, observato moderamine inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia defensio jure naturæ cuivis permissa est. 4° Si filius occidat patrem in patriam perduellem : nam pietas patriæ pietati in parentes præferenda est, ut docent hic DD.

III. Pœnæ parricidarum.

a) De jure canonico, 1° occisor parentum uno anno olim prohibebatur ab ingressu ecclesiæ et tribus annis a sacra communione, et per decem annos jejunare, cæterasque pœnitentias implere tenebatur, ex præscriptione cap. 15, *Latorem,* 33, q. 2. Sed hodie pœna est arbitraria.

2° Mater vidua filios occidens detrudenda erat in monasterium, et a secundis nuptiis arcenda; si vero conjugata est, a viro quidem separari non debet, sed aliis condignis pœnis puniri (c. 1, 2 huj. tit.). Sed nunc pœna imponeretur arbitraria.

3° Parentes qui tenellos adhuc infantes in suo lecto collocatos

culpabiliter opprimunt, tres annos pœnitentiæ agere debebant, et unum horum in pane et aqua (c. fin. h. tit.). Dicitur : « culpabiliter », non in hoc sensu quod oppressionem illam intenderent, sed quia receperint in lectum communem, licet adsit periculum suffocationis.

Hodie in foro externo non attenditur ad illas pœnas, cum crimen illud deferatur ad judicem sæcularem; in foro interno confessarius imponit pœnitentiam salutarem juxta qualitates delicti : itaque recensuimus illas pœnas, ut confessarii præ oculis habeant gravitatem pœnarum ab Ecclesia latarum contra parricidas.

4° Mulieres in se procurantes abortum, juxta communiorem sententiam incidunt in excommunicationem latam per const. *Effrenatam* Sixti V, et renovatam in const. *Apost. Sedis* sub n. 2, sect. 3. Sed de abortu plenius agemus in titulo XII qui tractat de homicidio generatim sumpto.

b) De jure civili Romano, 1° parentum occisor, virgis sanguineis verberatus, cum cane, simio, gallo gallinaceo et vipera includendus erat in culeum seu saccum coriaceum et in mare seu flumen proximum demergendus aut bestiis objiciendus.

2° Parens occisor liberorum prius puniebatur pœna ordinaria homicidii, deinde eadem pœna qua filius interfector parentis. Mater vivum infantem a se editum occidens, vivens in terram defodi vel in mare submergi debebat.

3° Parricidæ, late tales, puniebantur pœna ordinaria homicidii.

c) Jus Gallicum, art. 13 Cod. pœn., hæc statuit : « Le coupable condamné à mort pour parricide sera conduit sur le lieu d'exécution en chemise, nu-pieds et la tête couverte d'un voile noir. Il sera exposé sur l'échafaud pendant qu'un huissier fera au peuple lecture de l'arrêt de condamnation, et il sera immédiatement exécuté. »

In art. 302 decernitur pœna mortis « sine præjudicio dispositionis particularis in art. 13 contentæ. »

TITULUS XI.

DE INFANTIBUS ET LANGUIDIS EXPOSITIS (1).

NOTA. Crimen parricidio proximum constituit hæc inhumanitas qua parentes infantes suos, vel alii languidos exponunt.

I. De crimine et pœnis exponentium liberos vel languidos.

In hoc titulo agitur : *a*) de parentibus qui *infantes* suos, nimirum liberos septennio minores, periculose exponunt. 1° Parentes sic exponentes, per se peccant gravissime, non tantum quando exponunt ex intentione ut pereant, vel prævident facile perituros ob defectum alimentorum vel ob frigus aut alium casum, sed etiam eo fine ut ab aliis educandi assumantur. Ita communis sententia, ex cap. un. hujus tituli, et ratio est, quia licet non intendant occidere, idem tamen æquivalenter volunt, exponendo mortis periculo alimentis destitutos, vel alimenta negando ad quæ tamen omni jure tenentur.

2° Diximus : « per se », quia excusantur in foro interno parentes qui tam essent pauperes, ut nec per se nec per alios alimenta præstare possent : sed ut isti parentes valde pauperes sint excusabiles, requiritur ut in tali loco exponant, ubi moraliter certum est expositos nullum vitæ periculum subituros, sed vel a piis hominibus, vel xenodochiis, etc., statim assumendos et alendos esse.

3° Sed quæritur, an excusetur pariter femina quæ ex delicto concepit et peperit, atque ad evitandam infamiam exponit prolem? Respondetur : Duæ sunt sententiæ. Probabiliter licitum est feminæ, alias bonæ famæ, ad declinandam infamiam quam alio modo evitare nequit, exponere propriam prolem ; sed requiruntur omnes circumstantiæ et cautiones supra enumeratæ quoad parentes pauperes. Ita multi contra alios non paucos. Ratio prioris sententiæ est, quia ex una parte talis mater in

(1) Quoad jus Rom., vide Codic., l. VIII, t. XLII ; Novell. 153. Quoad jus Gallic., vide art. 348-353 Cod. pœn.

angustias redacta videtur jus retinere ad famam, quandiu delictum manet occultum; ex altera, dicto modo vitam prolis conservat, ejusque alimentationem et educationem procurat. Confirmatur ex paritate cum causa paupertatis parentum, cum bonum famæ sit altioris ordinis.

Ratio alterius sententiæ est, tum quia amissio famæ et honoris in tali femina quæ in delicto peperit, est justa; nam cum corpore sponte prostituit famam, siquidem debuerit prævidere effectum delicti; præterea qui dedit operam rei illicitæ merito sustinet ea quæ talem actionem consequuntur.

4° Pœna civilis parentum liberos illicite exponentium est amissio patriæ potestatis; sed liberi expositi retinent omnia favorabilia quæ ex patria potestate descendunt : ita jus Romanum. Recte aufertur hæc potestas qua graviter abusi sunt parentes. Pœna criminalis, si infans fuit expositus in loco periculoso et reipsa exstinctus, est pœna capitis; si vero exstinctus non est, pœna est arbitraria : si expositio facta sit in loco publico et expositus casu pereat, fustigandus erit exponens. Ita jus Romanum. In jure Gallico, variæ decernuntur pœnæ pro gradu periculi mortis in modo exponendi, et pro qualitate exponentium (art. 348-353 Cod. pœn.).

b) De illis qui *languidos* exponunt. Generatim quæ dicta sunt de expositione infantium extendi possunt ad expositionem languidorum. Unde domini qui, ex sorditie vel duritie cordis, servos vel famulos ægrotantes exponerent, etiam peccant graviter, juxta superius dicta. Si languidus exponatur cum periculo vitæ et pereat, est formale homicidium. Domini, ratione famulatus, tenentur suppeditare alimenta et aliquam eorum curam habere, non tamen magnas facere expensas in medicos, pharmaca, etc.

II. De obligatione aliorum quoad expositos.

a) Qui educare debeant expositos? Si nullus privatus reperiatur qui expositos educare et sustentare velit, tenetur ad id locus pius pro expositis destinatus; deinde ecclesia et communitas (can. 70, *Tuum*, 12, q. 2). Tandem sæculares et ecclesiastici divites ad hoc pium opus cogi possunt, cum in extrema necessitate expositi jus habeant ad alimenta.

2° Proles exposita remittenda est, si sciantur parentes, ad locum originis et domicilii in quo parentes stabilem locum et sedem habent, et ibi alenda : sic jus Romanum; nam locus originis et nativitatis civem facit. At si infans natus sit ex matre vagabunda, ibi ali debet ubi expositus est; nam vagi ubi sunt, ibi forum et civitatem sortiuntur.

3° Domini tenentur famulis ægrotis succurrere et eos curare, saltem tenuibus expensis; si nequeunt, charitas dictat ut divites succurrant ægroto in hac gravi necessitate.

b) *De jure recipientis et alentis expositos.* 1° Suscipiens et alens expositum potest repetere expensas ab illis qui expositum sustentare tenebantur, si isti satis habeant ad hanc refusionem expensarum. Si parentes seu exponentes sint pauperes, suscipiens nihil repetere potest, quia eleemosynæ pauperibus datæ non repetuntur. 2° Alens expositum nihil juris acquirit in ejus personam, puta patriam potestatem (cap. un. hujus tit.). Nam sustentatio non facit adoptionem, cum hoc esse possit exposito præjudiciosum.

Quæritur, an expositi præsumantur potius legitimi quam illegitimi?

Duæ sunt sententiæ. Prima sententia docet expositos præsumendos esse potius legitimos quam illegitimos; nam in casu dubio capienda est præsumptio et conditio proli favorabilis; at casus legitimitatis est dubius, cum etiam legitimi, ob egestatem vel aliam causam, non raro exponantur.

Secunda sententia negat expositos haberi posse ut legitimos, tum quia de stylo Datariæ legitimari debent ad ordines suscipiendos tales expositi, tum quia non solent exponi nisi illegitimi. In praxi tenenda est hæc sententia quoad ordines suscipiendos, cum requiratur probatio legitimitatis et non sufficiat præsumptio; aut saltem expedit ut petatur dispensatio ad cautelam.

TITULUS XII.

DE HOMICIDIO VOLUNTARIO ET CASUALI (1).

NOTA. A parricidio et expositione venimus ad homicidium generatim inspectum.

SECTIO PRIMA.

De natura, varietate et gravitate homicidii et mutilationis.

I. Natura et varietas homicidii.

a) Homicidium, sic dictum ab homine occidendo, definiri solet : « Violenta exanimatio hominis ab homine facta. » Sed, prout est crimen, requirit malitiosam voluntatem ac proinde debet definiri : « Violenta exanimatio hominis dolo malo ab homine facta. »

Dicitur 1° : « exanimatio hominis », nam necesse est ut effectus seu mors sequatur, cum in pœnis mitior interpretatio sit facienda : unde reus non esset homicidii qui animum occidendi habuit, et ipsa cædes aliunde, etiam per miraculum, fuit impedita.

Dicitur : « hominis », sive humani corporis : perinde autem est, quis occidatur, cujus ætatis, sexus, conditionis, et an editus jam in lucem sit; nam qui fœtum jam animatum interimit, homicida est. Quare sub genere homicidii continentur variæ species, ut sunt parricidium, expositio infantium, de quibus supra, duella, torneamenta, sagittarum projectio, latrocinium, abortus, etc., de quibus postea agemus. Sequitur quod a crimine homicidii immunis esset qui, ad satiendam rabiem, in corpus inanimatum inimici sui irrueret, esto vivum putaret.

Dicitur 2° : « dolo malo », quia homicidium ab ignorante factum non est delictum homicidii, sed simplex ablatio vitæ. Unde animus occidendi vel actio injusta occisiva et cædes ipsa sunt ita

(1) Quoad jus Rom., vide Institut., § 5, *de Publ. jud.*; Pandect., l. XLVIII, t. VIII; Codic., l. IX, t. XVI; quoad jus Gall., loca supra in tit. X citata.

necessaria ad constituendam malitiam homicidii, ut si alterutrum desit, homicidium commissum esse non censeatur. Hoc ergo supponit nexum causalem inter actionem injustam et cædem ipsam, sive actio injusta fuerit causa physica vel moralis exanimationis : causa enim moralis est vera causa, tam effectiva quam affectiva, mortis.

In praxi, non semper facile determinatur hæc causalitas, præsertim quando non datur nisi nexus occasionalis inter læsionem et mortem. Tamen, in sensu latiori, quælibet ablatio vitæ, etiam involuntaria, ab homine facta, dicitur homicidium.

Dicitur 3° : « ab homine », nam si homo occidatur a bruto, non proprie homicidium, sed pauperies appellatur; multo minus homicidium erit, si homo a re inanimata, v. g. a fulmine occidatur.

b) Homicidium, ex præsenti rubrica, dividitur in voluntarium et casuale.

1° *Voluntarium* est quod fit cum intentione occidendi vel directe et in se, ut si ferro Petrum ferias, animo occidendi illum, vel indirecte et in causa, ut si quis sclopum exploserit in locum frequentem hominibus, et inde aliquis occidatur; in hoc casu, mors non intenditur formaliter et explicite, sed ponitur actio ex qua moraliter certo secutura est mors : per se et immediate mors sequitur, non per accidens, ex actione voluntaria.

2° *Casuale* seu involuntarium est quod fit sine ulla intentione directe vel indirecte occidendi ut si quis moriatur ex vulnere non lethali a chirurgo imperito facto.

c) Voluntarium subdividitur in justum et injustum. 1° *Justum* est, quod fit auctoritate publica ad vindictam sceleris, vel auctoritate privata ad necessariam sui defensionem. In primo casu est punitivum, cum fiat ad punienda delicta; in secundo est necessarium ac defensivum, cum quis se vel res suas defendendi causa interficere cogatur. 2° *Injustum* est, quod fit dolose contra prohibitionem legis; est illud cui propriissime convenit definitio superius data. Injustum, ex modo quo fit, subdividitur in *simplex*, quod fit sine prævia deliberatione, licet ex animo occidendi, et *deliberatum* seu *præmeditatum*, quod fit ex intervallo, seu cum prævia intentione occidendi; et si ex insidiis sub specie amicitiæ, etc., dicitur *qualificatum*, quia qualitatem adjectam habet.

d) Casuale subdivitur in *mere casuale,* quod fit absque ulla culpa occidentis, et *culposum*, quod fit ex culpa saltem juridica, quatenus ab occidente non fuit adhibita diligentia debita ad homicidium cavendum.

Legistæ solent dividere homicidium in *necessarium,* quod fit ad necessariam sui defensionem; *dolosum,* quod fit cum prava voluntate occidendi; *culposum,* quod fit ex aliqua culpa juridica ob defectum cautelæ, sed sine animo occidendi, et *casuale,* quod fit ex casu omnino fortuito.

e) Propter analogiam cum homicidio, agendum est etiam de mutilatione : mutilatio est amputatio vel truncatio alicujus membri. Membrum proprie est pars corporis quæ peculiarem functionem sive officium habet, ab aliis partibus corporis distinctum, ut sunt oculus, auris, manus, pes, lingua, etc. Omnia membra corporis, ait Apostolus (ad Rom., XII, 4), non eumdem actum habent.

Sequitur 1° non posse dici mutilum, cui infligitur solum vulnus, quia vulnus, etiam cum copiosa sanguinis effusione illatum, non est amputatio. 2° Non censetur mutilatus, cui abscissus est digitus, quia digitus non est membrum, sed pars membri; item si abscideretur cartilago aurium vel nasi. Tamen Suarezius putat, cum aliis, illos casus esse dubios, quia talibus abscissionibus graviter diminuitur integritas corporis hominis.

In titulo XX, *de Corpore vitiatis,* in specie determinavimus mutilationem qua irregularitas incurritur.

II. Gravitas criminis homicidii et mutilationis.

1° Homicidium ex genere suo est illicitum; nam omni jure prohibetur : naturali, quia natura dictat homini non esse eripiendum maximum vitæ bonum; divino, per præceptum : « Non occides; » humano, ut patet ex legibus omnium nationum.

2° Homicidium est crimen atrox ac detestabile, quod Deus in primo homicida Cain severe punivit. Per illud enim proximus privatur bono omnium bonorum temporalium maximo et irreparabili.

3° Licet homicidium sit ab intrinseco malum, tamen materia illius non est ita mala, ut in nullis circumstantiis cohonestari possit, sicut materia mendacii, hæresis, etc.

Materia illius subduci potest a præcepto naturali, cum Deus ex certis causis det jus et potestatem in vitam hominis. Hoc negarunt Waldenses, et hodie quidam pseudopolitici eumdem errorem propugnant, contra communem populorum sententiam et praxim.

Contra hos adversarios theologi et philosophi probant dari posse jus et potestatem in vitam hominis in quibusdam circumstantiis. Evidens est, Deum habere jus in vitam hominum, illiusque juris exercitium delegare posse : de solo facto talis delegationis quæstio moveri posset, saltem inter illos qui Dei existentiam et supremum dominium admittunt ; sed factum constat, non modo ex aperta revelatione in Scripturis, verum etiam ex persuasione omnium gentium et ipsa lege naturæ seu necessitate talis delegationis. Rationalistæ, qui originem omnis juris repetunt a sola voluntate humana, nequeunt admittere in societate jus in vitam hominis, cum nullus homo jus habeat in propriam vitam. Sed hic non disputamus cum rationalistis, sed cum hominibus sanæ mentis. Canonistis igitur remanet præsertim labor inquirendi causas ex quibus homicidium possit esse licitum. Itaque,

SECTIO II.

De homicidio voluntario, licito vel illicito.

§ I. *Homicidium auctoritate publica factum.*

a) Reipublicæ competit potestas ex justa causa occidendi hominem. Constat, 1° ex jure naturali, dictante resecanda esse membra nociva, ne totum corpus inficiatur ; 2° ex jure divino : Exod., XXII, 18 : « Maleficos non patieris vivere ; » Rom., XIII, 4 : «Non sine causa gladium portat (magistratus); Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit ; » 3° ex jure humano, ut patet ex omnibus codicibus seu ordinationibus criminalibus.

b) Sed quandonam seu in quibusnam circumstantiis respublica possit exercere illam potestatem? *Gravia delicta*, reipublicæ noxia, sunt justa causa occidendi malefactores auctoritate publica, ut jam constat ex juribus supra allegatis. Ratio est, quia privatum bonum vitæ postponendum est publico bono reipu-

blicæ, cui aliter melius provideri non potest, nisi ut malefactores amissione vitæ puniantur. Deinde, data sunt potestati supremæ reipublicæ jura quæ salus reipublicæ exposcit. Atqui hæc exposcit animadverti in facinorosos et malefactores, ne isti, tanquam putrida et noxia membra, reliquum corpus inficiant.

c) *Bellum justum*, sive defensivum sive offensivum, est causa sufficiens cur milites exponantur periculo mortis et hostes injuste nocentes occidantur. Ita communior praxis in Scripturis fundata. Ratio est, quia omnia jura permittunt vim vi repellere, et injustos aggressores ac perturbatores reipublicæ supprimere. De belli licitate et conditionibus diximus supra, tit. XXXIV, *de Treuga et pace*, lib. I.

d) Respublica non potest per se occidere innocentem, etiam ex causa liberandæ patriæ : ita communis sententia. Ratio est, quia respublica in tantum habet jus occidendi civem, in quantum iste per se et ratione sui nocivus est bono communi; atqui innocens non est ita nocivus; imo vita justorum est promotiva boni communis, ut ait D. Thomas (2ª 2ª, q. 64, a. 6).

Sequitur, quod respublica non posset innocentem extradere tyranno poscenti illum ad certam necem : ita communior sententia contra multos. Ratio est, quia cum respublica non possit occidere innocentem pro liberatione patriæ, non potest etiam illum ad certam mortem extradere : nam in hoc casu moraliter occideret. Ratio alterius sententiæ est, quia civis jure naturali et ex justitia legali tenetur ad conservationem patriæ, etiam se tradendo tyranno illum poscenti ad mortem; exinde fit ut, si recusaret se offerre, jam nocens efficeretur, et tunc morte puniri posset a republica.

e) Respublica non potest dare potestatem patri vel marito, ut filium vel uxorem in adulterio deprehensam licite occidat cum adultero : ita communior sententia, ex can. 6, *Inter hæc*, 33, q. 2, contra civilistas et quasdam leges mundanas; imo et contra multos canonistas, qui contrariam sententiam propugnant. Ratio est, 1° quia talis occisio non est necessaria ad bonum reipublicæ, siquidem adulteri capi, accusari et per sententiam condemnari possunt : imo daretur occasio plura homicidia perpetrandi ex sola suspicione adulterii, quod esset contra bonum

publicum societatis. 2° Hoc est maxime adversum saluti æternæ, quia adulteri sine pœnitentia et sacramentis morerentur.

Aliqui affirmant, quia isti criminosi plerumque nequeunt a privata auctoritate detineri et judici tradi ; et ideo statim potest pœna mortis, a privato cujus interest, infligi, si in flagranti delicto deprehendantur ; tamen charitas suadet eam moderationem, ut reo relinquatur pœnitentiæ locus. Jus Romanum dabat hanc facultatem et jus Gall. (art. 342 Cod. pœn.) excusat maritum sic interficientem.

Sequitur, quod princeps nequeat dare privatis facultatem occidendi malefactores, nisi post latam sententiam : secus liceret auctoritate privata occidere sceleratos, quod est omnino falsum, cum occisio illa non esset ordinata ad salutem totius communitatis.

§ II. *Homicidium privata auctoritate factum.*

I. Occidens alios ex justa causa.

Nota. Regulariter, nemo privatus potest occidere suum proximum, etiam delinquentem : nam punitio criminum spectat ad publicam potestatem, non vero ad privatos homines. Tamen licet vim vi repellere, et ideo injustum invasorem licet aliquando occidere ; invasor aggredi potest vitam, bona fortunæ, pudicitiam vel honorem : quæritur ergo, an liceat occidere invasorem, ut efficaciter defendantur hæc omnia bona ?

a) *De invasore vitæ.* 1° Licet occidere injustum aggressorem vitæ propriæ, servato moderamine inculpatæ tutelæ, nam defensio vitæ cuilibet a natura est permissa. Deinde, occisio injusti invasoris est species defensionis, recto ordini charitatis conformis, cum dictet suam potius quam alienam vitam servari si utraque servari non possit.

Sed in foro externo, civili et canonico, occisio hominis præsumitur malefacta, donec probetur qualitas necessariæ defensionis et moderamen inculpatæ tutelæ ; necesse est ergo ut probetur, 1° quod occisus fuerit injustus aggressor, et 2° quod defensio fuerit proportionata offensioni et in continenti facta, ita ut invasus leviori modo se defendere non potuerit.

2° Ad defensionem vitæ alterius seu proximi innocentis, licet,

excommuni sententia, iniquum ejus aggressorem occidere, præsertim si justitia aut pietas talem defensionem exigat, ut patris, uxoris, liberorum, dummodo servetur moderamen inculpatæ tutelæ. Sed hoc procedit etiam quando extranei innocentes vim ejusmodi patiuntur. Ratio est, quia recta charitas dictat ut proximum innocentem liberemus ab injusto aggressore, sicut nosmetipsos. Confirmatur ex exemplo Moysis Ægyptium occidentis propter defensionem Hebræi.

3° Hinc licita est occisio furis, si is aggressor sit, non tantum bonorum, sed et vitæ ; sed oportet semper servare moderamen inculpatæ tutelæ; nam in tali casu, est defensio necessaria pro conservanda vita et bonis, et ideo est licita.

Sequitur, quod si fur nocturnus absque periculo capi et expelli nequeat, licet eum occidere, quia noctu non facile discernitur, an quis veniat ad furandum, an ad occidendum : constat Exod., XXII, et jure canonico, cap. *Perfodiens*.

At furem diurnum non licet occidere, nisi is armis se defendat, atque ita fiat aggressor vitæ.

b) De invasore bonorum fortunæ. 1° Si fur rem parvi momenti auferat, non licet eum occidere, cum talis res sit indigna quod propter illam vita homini tollatur; unde Innoc. XI sequentem propositionem damnavit : « Regulariter occidere possum furem propter conservationem unius aurei. »

2° Si res magni momenti auferatur, et aliter via juris non sit recuperabilis, juxta communiorem sententiam, liceret furem occidere, v. g. explodendo sclopum contra illum fugientem. Ratio est, quia bona fortunæ sunt necessaria adminicula vitæ; si ergo sunt maximi momenti, ut supponitur, sunt ad vitæ conservationem necessaria. Qui tenent alteram sententiam, illam probant, quia vita hominis est bonum longe superius omnibus bonis fortunæ.

c) Injustum aggressorem *pudicitiæ,* si femina aliter repellere non potest neque fugere, licite occidit, juxta communiorem et probabiliorem sententiam; nam virginitas est magnum bonum feminæ, quod semel amissum non redit; est bonum majus omnibus bonis fortunæ. Ergo. Qui tenent alteram sententiam, docent mulierem vi aggressam et totis viribus resistentem non peccare, et ideo pudicitiam, quæ est virtus animæ, non posse a

violento aggressore eripi; ergo occideretur homo sine ratione sufficienti.

d) Injustum aggressorem *famæ* vel *honoris* non licet occidere, sive sit aggressor verbalis, v. g. efficiendo calumnias, sive realis, v. g. viro honorato infligens alapam. Ratio est, tum quia occisio ista non est medium necessarium ad defensionem famæ, tum quia occisio non tollit, sed auget calumniam, ac suspicionem veritatis violenter supprimendæ generat.

Contrariam sententiam damnavit Inn. XI, qui sequentem propositionem proscripsit : « Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit : idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis, fugiat. »

Hinc non licet occidere falsum accusatorem, falsos testes et iniquos judices a quibus certo imminet iniqua sententia, licet damnum alia via non possit evitari. Oppositam propositionem n. 18 damnavit Alex. VII. Nam in illo casu est calumnia vel periculum calumniæ; deinde adsunt ordinaria juris remedia ad sententiam iniquam impediendam vel corrigendam, ita ut occisio nullo modo sit necessaria.

In vitæ vel bonorum defensione contra injustum aggressorem servari debet moderamen inculpatæ tutelæ, seu modus debitus. Hoc moderamen exigit, 1° ut invasus non intendat mortem, sed solam sui conservationen; secus esset peccatum non quidem contra justitiam, cum invasor omne jus amittat per suam injustam aggressionem, sed contra charitatem, quæ tali intentione læderetur; 2° ut nullus sit excessus in defensione, nempe ut qui vitam tueri potest per solam mutilationem, non occidat, vel per solam percussionem mutilet. Occisio ergo fieri nequit, nisi sit medium necessarium ad vitæ vel bonorum fortunæ aut pudicitiæ conservationem.

II. De suicidio.

a) Regulariter loquendo, nemini licet seipsum occidere : præceptum « Non occides, » est universale. Ratio est, quia occisio sui adversatur tum naturali inclinationi qua quælibet res appetit sui conservationem, tum charitati qua quilibet debet seip-

sum diligere, tum justitiæ qua homo quoad vitam et membra est sub dominio divino, et consequenter occidendo se lædit jus Dei. Deinde homo, quatenus est pars communitatis, seipsum occidendo, faceret injuriam communitati. Hinc,

b) Non licet ponere actionem certo sui ipsius interemptivam, licet actio ista sit hosti nociva, nam hoc esset directe occidere seipsum. Verum, si talis actio eligeretur per modum medii ultimi desperati ad evadendam certam mortem aliunde inferendam, non esset illicita, quia per illam actionem quæreretur et intenderetur generalis spes evadendi certam mortem.

Sequitur, 1° non licere navim succendere, ne ista ad hostes perveniat, si ex incendio isto immineat sibi certa mors, nisi certo occidendus sis ab hoste. Plures tamen tenent contrariam sententiam. 2° Non licere ab alta turri se præcipitare vel turrim explodere, trahendo secum seu occidendo hostem sive ducem exercitus, licet exinde certa victoria sequeretur.

c) Licitum est se exponere periculo mortis ob gravem causam. Hoc maxime verum est, quando actus est exercitium virtutis, sive positive aliquid agatur, sive negative aliquid omittatur ex quo indirecte mors sequeretur. Ratio est, quia in tali casu non occidit quis seipsum, sed mortem patitur. Unde pastor licite et laudabiliter vitam suam periculo exponit ut peste infectis sacramenta ministret, miles pugnat et in sua statione permanet, christianus pro palma martyrii non se defendit, naufragans alteri tabulam cedit, etc.

Sed quæritur, an condemnatus ad nihil comedendum, vel ad sumendum venenum, possit licite se conformare sententiæ judicis? Communior sententia cum D. Thoma negat. Ratio est, quia contra naturam est, ut quis sententiam mortis in se exsequatur, cum condemnari sit pati, non vero mortem sibi inferre.

III. De abortu.

a) Non licet procurare abortum, sive fœtus sit animatus, sive etiam inanimatus, præsertim cum distinctio illa hodie communius rejiciatur. Ratio est, quia procuratio abortus est intrinsece mala et contra finem generationis et bonum speciei humanæ : si fœtus est animatus, est proprie homicidium, cum per abortum

homo exanimetur : si est inanimatus, est crimen homicidio affine, licet non sit proprie homicidium; at certum videtur, per modernas observationes fœtum in conceptione vel statim post conceptionem animari.

Unde, etsi puella deprehensa gravida deberet infamari aut a patre dure percuti, non posset sumere pharmacum ad expellendum fœtum. Constat ex sequenti propositione damnata ab Inn. IX : « Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur vel infametur. » Idem dicendum est de quavis causa intrinseca.

b) An liceat matri, ad salvandam vitam suam, directe procurare abortum, seu sumere pharmacum per se expulsivum fœtus? Olim CC. et TT. distinguebant inter fœtum animatum et fœtum inanimatum; negabant omnes de animato; alii contra plures affirmabant de inanimato. Sed, relicta illa distinctione, respondetur, quod nunquam licet, ex directa intentione occidendi prolem, procurare abortum; nam non sunt facienda mala ut eveniant bona. Sed,

c) Mater periculoso morbo laborans potest licite sumere pharmacum directe et per se sanativum, licet per accidens timeatur secuturus abortus fœtus; nam, ut ait Lugo (*de Just. et jure*, n. 133), mater non tenetur cum tanto vitæ suæ periculo præservare et conservare fœtum.

d) Tamen probabiliter liceret partum accelerare, ut salvetur vitæ matris, si probabilis spes sit ut fœtus vivus in lucem prodeat, et saltem baptismum suscipiat. Constat, tum quia mors matris nihil prodesset vitæ temporali prolis, quæ etiam esset posita in gravissimo periculo salutis æternæ, tum ex ratione Lugonis superius allata.

SECTIO III.

De homicidio casuali et mutilatione.

I. De homicidio casuali.

a) Homicidium mere casuale seu fortuitum non est peccatum, nec ulli subest pœnæ; nam nullo modo est volitum, nec in se nec in sua causa. Econtra homicidium casuale culposum, quod qui-

dem fit præter intentionem occidendi, non vero sine culpa occidentis, reputatur peccaminosum, vel theologice, si culpa fuit theologica, vel juridice, si culpa fuerit mere juridica. Nam tale homicidium, licet directe non sit volitum, est tamen volitum indirecte seu in causa, in qua diligentia non fuit adhibita, ne homicidium sequeretur. Talis est doctrina generalis, quæ debet particulariter explanari.

b) Qui dat operam rei licitæ ex qua non prævidetur homicidium, vel, si prævidetur, omnem diligentiam necessariam adhibet ad illud præcavendum, nullo modo est reus homicidii et pœnarum, si per accidens homicidium sequatur; ita communis, ex cap. 9 et 13 huj. tit. Ratio est, quia in tali casu abest omnis dolus et culpa, et ideo non committitur homicidium formale pœnis dignum.

Unde 1° medicus peritus, qui cum diligentia medicinam præscribit, et minister qui eam præbet, non tenentur de reatu homicidii et irregularitatis pœna. 2° Qui circumspecte levat vel investit infirmum, non est reus homicidii, si moriatur infirmus ob talem motionem. 3° Qui ex arbore ramos vel ex tecto tegulas, facta proclamatione, dejicit, non tenetur reatu homicidii, si per accidens ex istis actionibus mors consequatur, et sic colligitur ex cap. 9, 13, 14, 15, 16 huj. tit.

c) Qui dat operam rei licitæ, sed diligentiam sufficientem non adhibet ad præcavendum homicidium, teneretur reatu homicidii, si hoc accideret. Hoc ei imputaretur in foro interno ad culpam theologicam, in foro externo ad culpam juridicam : sic explicantur cap. 7, 8, 10, 11, 12 huj. tit. Ratio est, quia omittens diligentiam debitam, indirecte et in causa concurrit ad homicidium consecutum.

d) Dans operam rei illicitæ, si ista est per se periculosa et inductiva homicidii aut mutilationis, secuto effectu mortis aut mutilationis, fit reus homicidii et pœnarum ei annexarum (c. 10, 19, 20, 24 huj. tit. et cap. fin. huj. tit. in 6°). Nam tale homicidium fuit voluntarium, saltem in causa, cum causa ista sit per se inductiva mortis. Unde,

1° Clericus in bello dimicans, si quem occidat, vel si exerceat artem medicinæ aut chirurgiæ cum incisione vel adustione et mors ex tali incisione vel adustione sequatur, subjicitur pœnis

latis ob homicidium casuale : actiones istæ sunt clericis prohibitæ. Secus si clericus peritus, in casu necessitatis quo laicus peritus haberi nequit, omni diligentia adhibita hanc artem exerceat, nam Ecclesia non censetur prohibere hoc opus charitatis et infirmum privare tali auxilio, et aliunde necessitas facit licitum quod in lege erat illicitum. 2° Qui infirmo contra præscriptum medici dat medicinam, potionem, aut quid simile ex quo mors acceleretur, vel si imperitus exerceat chirurgiam, medicinam, secuta morte, redderetur obnoxius pœnis latis ob homicidium casuale. Ratio est, quia dedit operam rei illicitæ, per se inductivæ mortis.

e) Dans operam rei illicitæ quæ per se non est periculosa nec mortis inductiva, non fit reus homicidii, si hoc per accidens sequatur, nam sic operando, nec directe seu in se, nec indirecte seu in causa, influit in homicidium, dummodo ex defectu diligentiæ, nulla subsit causæ culpa. Unde non fit irregularis adulter, si ratione illius occidatur adultera, ut declaravit S. C. C. (22 april. 1679).

II. De mutilatione.

a) Homo membrum suum non potest sibi licite amputare vel curare per alium amputari : nam non est dominus, sed custos membrorum suorum. At membrum putridum licite obsecaretur propter conservationem totius cui deservit. Si autem scissio membri fieri deberet cum magnis doloribus, regulariter nemo obligatur, neque ad eam cogi potest a prælato vel republica; quia ad horrenda vitæ remedia nemo tenetur, nisi forsan personæ vita esset valde necessaria bono communi : hoc casu infirmus, saltem ex charitate, teneretur pati talem amputationem.

b) Ex causa vitandi peccati, v. g. incontinentiæ, non licet se castrare; nam non sunt facienda mala, ut eveniant bona : et hoc remedium non est necessarium nec utile ad castitatem. Multo minus castratio esset licita ad conservandam suavitatem vocis.

c) In casu quo aliter vita tutius succurri non posset, probabilius liceret amputare membrum sanum : in hoc casu minus malum eligeretur ad vitandum majus, et pars deserviens toti

destrueretur, ne totum pereat : v. g. si certa mors intentetur a tyranno, nisi quis sibi manum abscindat, potest membrum illud truncare ut totum reliquum corpus conservet.

SECTIO IV.

De pœnis homicidii et mutilationis.

I. Brevis recensio illarum pœnarum.

De pœnis jure civili latis non agemus : pœna homicidii dolosi seu scienter facti, generatim seu in variis regionibus, est ultimum supplicium ; si vero homicidium sit qualificatum, pœna illius exasperatur secundum locorum consuetudinem.

Jus canonicum varias etiam statuit pœnas contra homicidas. 1° Ex can. 20, *Itaque*, 24, q. 3, laicus debet excommunicari, nisi per pœnitentiam satisfaciat; clericus vero punitur inhabilitate ad obtinenda beneficia, depositione ab ordine et officio per sententiam judicis, detrusione in carcerem vel damnatione ad triremes ; tandem si sit incorrigibilis, degradatione : ita conc. Trident. (sess. 14, c. 7, *de Ref.*), post jus antiquum. 2° Altera pœna est compensatio omnium damnorum ex homicidio vel vulneratione provenientium : hanc compensationem exigit justitia commutativa, et ideo si in damnificante fuit culpa theologica, compensatio facienda est ante ullam sententiam judicis ; si vero fuit tantum juridica, saltem post sententiam damna compensanda sunt.

Sed hodie judex ecclesiasticus nunquam vel raro procedit contra homicidas, et ideo remanent pœna et delicta in foro interno, de quibus tractant theologi morales. Itaque tertia pœna est irregularitas, ex variis juribus (c. 11, 21, conc. Trid., s. 24, c. 6, *de Ref.*), et constat irregularitatis laqueum incurrere eum qui manu propria alterum voluntarie et injuste occiderit. De hac pœna et conditionibus in quibus incurritur, speciatim agere oportet. Unde,

II. De irregularitate quæ ex homicidio justo provenit.

a) 1° Qui juste alterum occidit, vel in privatam defensionem sui aut proximi, vel in bello justo defensivo in publicam defensionem Ecclesiæ aut patriæ, nullam contrahit irregularitatem.

Communis sententia, ex Clem. huj. tit., contra Ferraris (v° *Bellum,* a. 5), docet ex c. 24 h. t. clericos vel làicos occidentes in bello defensivo non incurrere irregularitatem. Etenim irregularitas non contrahitur nisi ex delicto vel ex defectu : atqui in casu non est delictum, cum juste occidat, nec defectus lenitatis christianæ, quia jure naturæ charitatis aut justitiæ inductus fuit ad hanc occisionem. Ergo. 2° Nec est paritas cum judice et ministris justitiæ, nam hic voluntarium est homicidium, saltem in causa, quatenus officium suum voluntarie susceperunt, et aliunde Ecclesia in actibus capitalibus non agnoscit lenitatem christianam : secus est in nostro casu. 3° Excipitur tamen casus quo in occisione excederetur moderamen inculpatæ tutelæ, vel si clericus, dum laici sufficiunt, pugnaret in bello defensivo et aliquem occideret : colligitur ex cap. 24 huj. tit. (conc. Trid., sess. 14, c. 7, *de Ref.;* S. Lig., VII, n. 459).

b) Clericus vel laicus 1° pugnans in bello justo offensivo, etsi in periculo vitæ, aliquem occidat, contrahit irregularitatem ex defectu lenitatis christianæ (can. 1 et 4, dist. 51). Ratio est, quia tale homicidium est voluntarium in causa, in quantum quis voluntarie nomen dedit militiæ. At 2° si quis propriis manibus nullum occidit, non fit irregularis (cap. 29 huj. tit.). Tamen reputatur irregularis clericus qui dans nomen militiæ, armatus servit in bello et stipendia accipit, etiamsi sæva non exerceat (S. Congr. Conc. 13 jan. 1618). 3° Verum clericus in genere exhortans ad fortiter pugnandum, nullam incurrit irregularitatem, cum ad nullius occisionem per se et proxime influat. 4° Contrarium accidit in bello injusto; nam in hoc casu, si vel unicus occidatur, omnes injusti pugnatores, seu una causa moralis, fiunt irregulares ex delicto (c. 6 huj. tit., etc.).

c) Ex homicidio justo, ad sententiam judicis reipsa consecuto, incurritur irregularitas ex defectu lenitatis christianæ (c. 5, 9, *Ne clerici;* c. 10, *de Excess. præl.*, etc.). Ratio est, quia non decet ut ad altare Christi, agni mansuetissimi et incruenti, admittantur ii qui judicio et ministerio sanguinis occupantur. Diximus : « homicidio reipsa consecuto ; » nam si sententia, ex quocumque capite, suum non sortiatur effectum, etiam per gratiam principis, publici ministri justitiæ, omnes liberi sunt ab irregularitate (c. 4, *de Raptu;* S. C. C. 29 aug. 1703). Unde,

1° Hac irregularitate ligantur judex sententiam proferens et assessores ejus, accusator vel denuntiator ad vindictam publicam : secus si tantum interesse suum privatum prosequeretur; advocatus accusatoris, testes deponentes contra reum, notarius sententiam capitalem scribens, ministri exsequentes sententiam, et omnes alii qui auctoritate publica concurrunt ad prolationem vel exsecutionem sententiæ; sed econtra,

2° Hac irregularitate liberi sunt : Papa, qui suis legibus quoad pœnas et inhabilitates non ligatur; inquisitores hæreticæ pravitatis, eorumque officiales, ex privilegiis Pauli IV et Pii V; prælatus jurisdictionem politicam imperii mere delegans (c. fin., *Ne cleri*, in 6°) vel clericum degradatum tradens curiæ sæculari cum solita protestatione, ne traditus morte afficiatur; advocatus rei et testes pro eo deponentes; multo magis qui valde remote concurrunt ad condemnationem, ut princeps condens jura criminalia, doctor vel confessarius de illis respondens.

III. De irregularitate quæ ex homicidio injusto provenit.

a) Irregulares ex delicto homicidii fiunt omnes qui occiderunt proximum sive physice, ut percutiendo, venenum dando, sive moraliter concurrendo, ut mandantes, consentientes, consulentes efficaciter seu consilio suo influentes directe vel indirecte in homicidium, non impedientes, qui saltem ex justitia impedire tenebantur (c. 1, dist. 50, c. fin. huj. t. in 6°); non tamen ratum habentes homicidium suo nomine factum, quia hi proprie non influunt in homicidium; deinde tali ratihabitioni nullo jure annexa est irregularitas, neque valet argumentum a pari in his pœnalibus.

b) Mandans aliquem injuste verberari, si mandatarius, excedens fines mandati, hominem occidat, vel ab ipso occidatur, fit irregularis (c. fin. huj. tit. in 6°). Ratio est quia mandans culpabiliter posuit causam occisionis. At 1° si quis juste, v. g. pater, magister, curet aliquem verberari, cessaret ista irregularitas. 2° Si mandans revocavit mandatum, ejusque revocationem intimavit mandatario, re adhuc integra, hoc est, ante exsecutionem, non incurrit irregularitatem, si mandatarius ex pertinacia sua occidat hominem : mandatum revocatum non influit in occisionem. Sed si mandatarius non percepit revocationem

mandati expresse et serio factam, vel putavit mandantem non serio loqui et ex animo, mandans remaneret homicida et incurreret irregularitatem, ut docet Lugo (*de Just. et jure,* c. xix, s. 2, n. 25) cum comm. Ratio est, quia occisio a mandato efficaciter consequitur. Imo generatim mandans probabiliter ex justitia tenetur impedire effectum sui mandati, etiam rite revocati. Ita Schmalz. et alii.

3° Idem probabilius dicendum est de eo qui dedit consilium, si omnem possibilem diligentiam adhibuit, ne ex consilio suo jam revocato mors sequeretur; nam, ut explicant patroni illius sententiæ, consilium non est sicut venenum datum, quod natura sua physice agit; solum moraliter influit: porro influxus ille moralis videtur tolli per diligentiam adhibitam. Aliter tamen sentiunt non pauci, qui non admittunt paritatem inter mandantem et consulentem; nam mandatarius agit nomine mandantis, et ideo cessat ratio agendi, revocato mandato; consilium vero effectum non revocabilem habet, cum rationes propositæ ostendunt occidenti commodum quod ex homicidio trahere potest. Sed cum tertia aliqua sententia distingui potest inter revocationem efficacem et inefficacem, seu conclusio pendet ab efficacia consilii, seu quæri debet an revocatio sustulerit impulsum quem ad crimen dederat consilium.

c) In rixa subito exorta, si plures percusserint, et non sciatur quis occiderit, omnes fiunt irregulares (can. fin. 23, q. 8, c. 18 huj. tit.). Ratio est, quia omnes cooperabantur occisori; si vero sciatur quis occiderit, juxta Reiff. et quosdam alios, solus auctor mortis esset irregularis; sed sententia communior tenet, etiam in hoc casu, omnes esse irregulares, etiamsi nullo communi consilio occidendi acciderit occisio.

Tamen in dubio facti, an clericus ictum lethalem inflixerit, censendus est irregularis quoad unum effectum non celebrandi divina mysteria, si eventus mortis secutæ sit certus (c. 11, 18 h. t.). Ratio est, quia licet in aliis materiis, stante dubio facti, faveatur libertati contra irregularitatem, tamen in materia homicidii, pars tutior est eligenda, ne mysteria sacra peragantur ab eo qui forsan homicida fuit. Sic exsurgit quæstio generalis, an censendus sit irregularis, qui dubitat an patraverit homicidium? S. Lig., VII, 347, tres refert sententias, quarum prima

asserit illum esse irregularem in foro externo tantum, secunda in solo foro conscientiæ, et tertia æstimat dubitantem esse irregularem in utroque foro, saltem si constet de corpore delicti, et dubium versetur circa solum auctorem.

IV. De irregularitate quæ ex homicidio casuali provenit.

a) Homicidium casuale, seu quod casu, nempe per inadvertentiam, negligentiam, temeritatem sine intentione mortis accidit, est mere casuale seu omnino involuntarium et absque omni culpa, vel casuale mixtum, nempe quod non intenditur formaliter in seipso, nec æquivalenter vel in causa proxima, Tamen est indirecte voluntarium, quia aliquid committitur vel omittitur ex quo mors secutura prævidere potest et debet. Itaque ex solo casuali mixto provenire potest irregularitas in specie.

1° Si quis rei licitæ operam dederit, debitamque diligentiam adhibuerit ad vitandum periculum mortis, sine dubio irregulatatem non contrahit, constat ex c. 13 huj. tit. nullam culpam theologicam vel juridicam esse in agente. Huic pertinet homicidium ab infante, furioso aliove qui non pollet rationis usu commissum. Si infans minor fuerit septennio, non incurrit irregularitatem. Tamen, si plenum nactus fuisset rationis usum et interitum alterius patravisset, disputant DD. Sententia affirmans in hoc casu irregularitatem contrahi est communior et probabilior.

2° Si quis in re per se licita peragenda versatus fuerit, aut ad hujusmodi actionem exercendam alterum mandato, consilio aut alio quovis modo induxerit, et sufficientem cautelam ac debitam diligentiam non adhibuerit, irregularis evadit, si mors alicujus secuta sit : constat ex c. 7, 8 huj. tit.

b) Sed quandonam debita diligentia non fuit adhibita? Est gravis quæstio, in qua solvenda valde dissentiunt DD. Ad incurrendam irregularitatem prærequirunt alii culpam juridicam seu in foro externo latam; alii tam levem quam latam; alii denique levissimam tantum, si sit in committendo; sed in omittendo non sufficere ad irregularitatem contrahendam.

Sed quidquid sit de culpa juridica, certum est quod requiritur etiam culpa thologica seu in foro conscientiæ.

Verum requiriturne culpa theologica mortalis, an sufficiat

venialis, disputant iterum CC. Communior sententia requirit peccatum mortale, ut sit proportio inte pœnam et culpam.

c) Si quis rei illicitæ operam dederit ex qua mortem alicujus secuturam prævidere debuerit, erit irregularis, si mors sequatur. Hoc habetur tanquam regula generalis. Tamen, juxta multos, si omnem cautelam ad vitandam mortem adhibuerit, non esset irregularis, quia ad incurrendam irregularitatem requirerentur simul actio illicita et defectus diligentiæ ; sed juxta alteram sententiam, quantacumque fuerit adhibita diligentia ad vitandum homicidium, irregularitas incurritur, si actio sit de se inductiva mortis. At si actio de se non esset mortis inductiva et diligentia sufficiens adhibita fuisset, irregularitas non contraheretur. Ita communis sententia, quæ eruitur ex variis declarationibus S. C. C. 22 april. 1679, 15 mart. 1684, etc. Ratio est, quia homicidium, ne indirecte quidem, fuit voluntarium.

Qui culpabiliter omiserunt impedire homicidium cui juris et non tantum charitatis officio, obviare tenentur, et absque gravi suo damno potuerunt, irregulares sunt ex homicidio casuali. Circa illam cooperationem negativam, disputant CC. et communis sententia distinguit, ut supra, inter officium juris et officium charitatis.

d) Quærunt CC., num juri Decretalium quoad homicidium casuale derogatum sit per concilium Trid., quod (sess. 14, c. 7, *de Ref.*) ait : « Si vero homicidium non ex proposito, sed casu vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur ; quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum et altaris ministerium.... jure quodammodo dispensatio debeatur ; committatur loci ordinario.... qui nonnisi causa cognita et probatis precibus ac narratis, nec aliter, dispensare possit. »

1° Juxta quosdam, hodie homicidium omnino casuale, sive culpa præcesserit vel non, sive causa sit illicita vel licita, requireret vel dispensationem ad cautelam, vel saltem declarationem quod nulla contracta sit irregularitas, prout constat, vel non, de facto mortis secutæ ex actione inculpabili ; et hæc declaratio ab episcopo fieri non posset, nisi ex commissione Rom. Pont., quia in re adeo scandalosa et enormi facile occurrit aliqua culpa, et ideo concilium voluit ut semper intercedat spe-

cies quædam dispensationis, seu processus aliquis instituatur. Alii, inter quos Suarez, verba citata intellexerunt de homicidio non pure casuali, seu ad sensum juris Decretalium. Hanc sententiam acriter impugnat Bœnninghausen (in suo tract. *de Irreg.*, pag. 65). Praxis S. Congreg. Conc. pro indulgendis dispensationibus est, ut in homicidio casuali diligenter inspiciatur, qualis fuerit culpa? quænam sit communis opinio de criminis conditione? quantum spatium effluxerit a crimine homicidii? quæ signa pœnitentiæ dederit homicida, et tandem quæ sint ejus vita, mores, etc.?

CC. disputant de ebrio qui homicidium commisit, an sit irregularis? Communius affirmant.

V. De irregularitate quæ contrahitur exercendo medicam vel chirurgicam artem.

a) Laici vel clerici qui illas artes probe callent, et egerunt absque incisione vel adustione, adhibitis omnibus ab arte præscriptis atque ægris curandis, nulla irregularitate innodantur, si aliquis ægrorum ab ipsis curatorum ereptus sit. Ita omnes ex c. 7, tit. *de Ætate, qualitate*, etc. *præficiendorum,* et c. 19 h. t.

b) Si vero monachus, sive in minoribus, sive in majoribus ordinibus sit constitutus, vel clericus sacris insignitus, etiam peritus in arte, non urgente gravi necessitate, chirurgiam per incisionem vel adustionem exercuerit, si inde mors infirmis secuta sit, laqueum irregularitatis incurret, ut constat ex eodem c. 19. Secus, si non propria manu secuisset aut ussisset, sed secundum artis regulas alteri incisionem vel adustionem faciendam mandavit vel consuluit. Ita omnes doctores, et ratio est, quia ipsa actio clericis prohibetur, et mandantes vel consulentes non enumerantur in hac lege pœnali.

c) Laicus medicus vel chirurgus, dummodo suam artem sufficienter noverit et omne studium adhibuerit in ægris curandis, irregularis non evadit, si illorum ægrorum aliquis e vivis excesserit. Secus, si in exercendo suo munere, actione aliqua vel omissione quæ culpa juridica non vacet, mortem alicujus adduxerit vel acceleraverit. Ita omnes DD.

Quid sentiendum sit de medico qui remedium adhibuit, dubi-

tans utrum illud sit profuturum vel obfuturum? Si habuerit remedium certum, fit irregularis; si vero destitutus sit remedio certo, non evadit irregularis, si salus infirmi desperata fuerit.

VI. De irregularitate ex procuratione abortus et mutilatione.

a) Certo jure constat irregularitatem, eamque totalem, contrahere quotquot, publice vel occulte, actione quadam sive physica, sive morali, sive positiva, sive negativa, fœtus abortum voluntarie procuraverint aut culpabiliter adduxerint: ex cap. 20 hujus tit., et const. *Effrænatam* Sixti V et *Sedis Apostolicæ* Greg. XIV.

b) Irregularitatem, eamque totalem, incurrit ille qui publice vel occulte sua culpa alterum mutilavit, siquidem mutilatio mansuetudini ac lenitati christianæ prorsus repugnat (c. fin. h. t. in 6°, etc.). Imo pœna illa extenditur ad eum qui impulsu aut cooperatione, sive physica, sive morali, sive positiva, sive negativa, ad mutilationem aliquid confert. Ita communiter CC. At 1° qui dubitat num alterum mutilaverit, non est censendus irregularis. Hoc ad discrimen homicidii, cum mutilatio non sit proprie homicidium, et pœna tam rigida irregularitatis non sit extendenda ad casus non expressos.

2° Ipse mutilatus per nequitiam alterius tunc solum efficitur irregularis, quando privatur membro necessario ad exercitium ordinum, ut diximus in tit. *de Qualit. ord.*

3° Qui absque urgentissima causa seipsum mutilavit, aut in sui mutilationem ab aliis factam consensit, irregularitatem totalem contrahit, etiamsi mutilatio sit occulta : constat ex c. 3, h, 5, 6, dist. 55. In hoc casu, non tam attenditur deformitas corporis, quam crudelitas voluntatis, qua aliquis in injuriam Creatoris imaginem illius aggredi et truncare præsumit (c. 6, dist. 55). Hinc qui castitatis zelo, vel ut suavitatem vocis servet, sibi virilia amputaverit aut amputari procuraverit, est irregularis. (Conf. Bened. XIV *de Syn.*, l. II, c. VII, n. 45.)

VII. De dispensatione in irregularitate homicidii et mutilationis.

a) Summus Pontifex potest dispensare in irregularitate homicidii, licet non soleat ob reverentiam præcepti apostolici,

præsertim si crimen sit notorium. Notandum est, quod si delictum patratum sit coram pluribus qui illud celare volunt vel inhabiles sunt ad testimonium, vel si tantum diffamatum sit, vel deductum quidem ad judicium, non tamen probatum, adhuc censetur esse occultum.

Dispensatio super irregularitate quæ provenit ex procuratione abortus voluntarie studioseque commissa, vel saltem intentata in sua causa proxima et infallibiliter illativa abortus, sive ea sit occulta, sive publica, Apost. Sedi reservata est, ex conc. Trid., sess. 24, c. 6, et const. *Effrænatam*. Quinimo a S. Sede non indulgetur, nisi urgentissimis de causis. Sed si actione quadam quæ culpa non vacet, eveniat, licet nec in se, nec in sua causa proxima fuerit procuratus, episcopus posset dispensare, si crimen est occultum; nam conc. Trid. (sess. 21, c. 6, *de Reform.*) excipit tantum homicidium.

Si crimen est occultum, S. Pont. per tribunal S. Pœnitentiariæ dispensat; si vero publicum, per organum Datariæ vel Secretariæ brevium. Sed in hoc ultimo casu, prærequiritur consultatio S. Congr. Conc. et dispensatio difficulter conceditur, ob delicti gravitatem et indecentiam enormem quæ inde redundaret in SS. ordines.

b) Episcopus 1° nequit dispensare pro foro interno in irregularitate occulta proveniente ex homicidio *voluntario*, præsertim qualificato. Casus iste, ut supra dictum est, excipitur in conc. Trid. (*l. c.*) : « Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus.... ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, dispensare. » Econtra,

2° Vi citati Trid., episcopus dispensare potest in irregularitate occulta proveniente ex mutilatione occulta et nondum ad forum contentiosum deducta, vel ex homicidio casuali occulto et nondum ad forum contentiosum deducto; item ex necessario in quo moderamen inculpatæ tutelæ est servatum, et probabiliter in illo quod quis per accidens et indirecte committit, v. g. in rixa occidendo auctorem rixæ ne ab eo occidatur : talia homicidia comparantur casualibus, neque in rigore sunt voluntaria. Porro concilium Trid. excepit solum homicidium voluntarium.

c) Prælati regulares nequeunt dispensare cum suis religiosis, a fortiori cum sæcularibus, in irregularitatibus provenientibus

ex homicidio, ut constat ex responsione S. C. Conc. 14 april. 1685, quoad ipsos religiosos; 9 febr. 1664, quoad pœnitentes sæculares.

---

* TITULUS XIII.

De torneamentis.

Nota. In hoc titulo et sequentibus agitur etiam de homicidio, quod consideratur in suis causis seu occasionibus; istæ occasiones frequentiores erant torneamenta, duella, et ars sagittariorum seu ballistariorum : hinc Ecclesia voluit ista prohibere, ut homicidia vitarentur.

I. *Torneamenta* sunt hastiludia et solemnes pugnæ equestres in quibus milites, sive nobilitas equestris convenire solebat ex condicto et congredi ad ostendendam audaciam et peritiam bellandi, atque virium fortitudinem. Torneamentis, quæ frequentiora erant in Gallia et Germania, similis est agitatio taurorum seu concertatio cum bestiis, in qua delectantur Hispani.

a) *An sint illicita?* 1° Torneamenta facta sine temeritate seu cum debita moderatione, nempe utendo hastis sine cuspide aut aliis armis hebetatis, seu ad non vulnerandum præparatis, ita ut nullum sit vitæ periculum, non sunt illicita laicis; sed clericis, ob indecentiam, prohibentur talia exercitia.

2° Torneamenta periculosa cum armis acutis seu aptis ad infligenda vulnera sunt graviter illicita (c. 1 h. t.).

b) Pœnæ pugnantium in torneamentis erant sequentes : occidens puniebatur pœna ordinaria; laicus occisus sacra sepultura privabatur, etsi pœnitens ante mortem suscepisset sacramenta Ecclesiæ : hoc ad terrorem aliorum (c. 1 h. t.)

II. Pugnantes cum tauris et aliis bestiis pro mercede fiebant infames de jure civili Romano; de jure canonico, si ibi decedant, privantur sepultura ecclesiastica, tanquam manifesti peccatores : ipsi vero domini, seu agitationem bestiarum permittentes, incurrebant excommunicationem, ex aliqua const. Pii V. Tamen Greg. XIII et Clemens VIII sustulerunt illam excom-

municationem et privationem sepulturæ sacræ, quando agitationes fiunt secluso mortis periculo et extra dies festos. Itaque si sufficienter caveatur ne cædes contingat, agitatio permitti potest.

TITULUS XIV.

DE CLERICIS PUGNANTIBUS IN DUELLO.

NOTA. Præsens rubrica strictior est *nigro*, seu sensus latior est verbis, cum in hoc titulo, non tantum clericis, sed etiam laicis, duellum prohibeatur.

§ I. *De natura et prohibitione duelli.*

I. Natura et varietas duelli.

a) Duellum sic dictum est, quia est duorum bellum; sumi potest in sensu lato, seu pro certamine inter duas partes, vel in sensu stricto, pro certamine singulari duorum. In hoc ultimo sensu accipitur in præsenti titulo, et græce « monomachia » dicitur. Definiri potest: « Singularis pugna ex condicto a duobus sponte suscepta. » Igitur ad rationem duelli requiritur: 1° quod sit pugna unius contra alterum, vel paucorum contra paucos; 2° quod sit pugna indicta ac suscepta ex privata auctoritate; 3° quod ex condicto suscepta fuerit, seu præeunte designatione loci, temporis, etc.; denique 4° quod pugna flat armis letalibus.

b) Aliud est *solemne* seu publicum, quod fit cum certis solemnitatibus, cujusmodi sunt, præter determinationem loci et temporis, litteræ provocatoriæ et patrini seu secundantes; aliud *privatum*, quod fit sine dictis solemnitatibus.

II. Prohibitio duelli.

a) Duella prohibita sunt jure ecclesiastico, naturali et divino. 1° Quod sint prohibita jure ecclesiastico, constat ex toto hoc titulo, ex conc. Trid., sess. 25, c. 19, *de Reform.*, et ex multis con-

stitutionibus Summ. Pontific., speciatim const. *Ad tollendum* Greg. XVIII, *Illius vices* Clem. VIII, *Detestabilem* Bened. XIV, etc.

2° Prohibentur etiam jure naturali et divino, cum talia duella maximam iniquitatem contineant, ob multiplicem injustitiam quæ in eorum oblatione et acceptatione committitur : injuria infertur Deo, qui solus est auctor et dominus vitæ, injuria fit provocato, cum iste, licet non sit dominus suæ vitæ habeat tamen jus custodiæ; tandem injuria fit reipublicæ, quia provocans assumit sibi in propria causa officium judicis et pœnam gladii decernit. Licet acceptantis minor sit malitia quam provocantis, tamen culpæ et injustitiæ non dissimilis, reus est, ut patet. Deinde, ab utroque duellante committitur peccatum gravissimum contra charitatem, cum duellum vergat in destructionem omnium bonorum hominis, nempe vitæ, fortunæ, famæ, honoris et gratiæ.

b) Sed quæritur, utrum, illicita sint duella non fatalia, seu in quibus duellantes animum non habent sese vulnerandi aut lædendi, sed tantum ut legibus duelli satisfiat? Aliqui cum Pignatelli negant; sed communis sententia affirmat, cum leges, decreta et constitutiones non distinguant, et Clem. VIII speciatim pœnas extendat etiam ad duella non fatalia. Itaque non licet suscipere duellum fictum, etiam ad vitandam infamiam, ut putabant aliqui (S. Lig., t. III, n. 399).

III. Causæ licitæ vel illicitæ ex quibus duellum iniri solet.

a) *Illicitum* est duellum in casibus sequentibus. 1° Duellum non posse offerri et acceptari ad ostentationem virium et peritiæ militaris, constat ex dictis de torneamentis. Ratio est, quia rectæ rationi graviter repugnat ad finem tam vanum adhibere medium tam periculosum. 2° Similiter non licet suscipere duellum ad vindicandam injuriam illatam. Ratio est, tum quia non est medium proportionatum ad obtinendum finem intentum, tum quia non licet vindictam sumere auctoritate privata. 3° Non licet etiam proponere aut suscipere duellum ad manifestationem veritatis, innocentiæ aut justitiæ, cum sit medium, non solum superstitiosum, sed etiam fallax ad veritatem, innocentiam, etc. ostendendam.

b) *Licitum* est 1° acceptare et offerre duellum, si adhibeatur

ut medium decidendi prælium inter duas acies intentum; nam consultius est aliquorum duntaxat, quam omnium militum, vitas in periculum occisionis præcipitare. Sed requiritur ut bellum quod movetur, sit justum, cum bellum injustum, etiam singulare, sit prohibitum; debet etiam intercedere pactum quod ejus partis sit victoria, cujus milites vicerint.

2° Licitum est etiam militibus acceptare de licentia ducum duellum sibi oblatum ab hostibus, ut unus contra unum, decem contra decem utrinque pugnent, si periculum est ne, ex denegatione duelli, inimici majorem fiduciam habeant, et exercitus bonam existimationem amittat apud hostes. Ratio est, quia acceptatio est medium necessarium vel admodum utile ad consecutionum finis seu conservationem bonæ existimationis exercitus apud hostes.

3° Licita est acceptatio duelli ad defensionem vitæ, si nulla alia ratio se tuendi appareat. Ratio, quia duellum remanet unicum medium effugiendi majus malum; eligitur malum incertum ad vitandum certum. Inde licet acceptare duellum, si quis, acceptantem occisurus, concedat arma, ut sic fortuna experiatur. In hoc casu, duellum est legitima defensio vitæ, dummodo invasus aliter non possit se tueri seu evadere mortem (S. Lig., l. IV, n. 400, 5°). Si ageretur de defensione bonorum fortunæ duæ olim erant sententiæ, quas refert S. Lig. (*l. c.*, 6°); sed S. doctor concludit sententiam duellum licitum reputantem non remanere probabilem post const. *Detestabilem* Bened. XIV. At P. Ballerini, in nota ad n. 405 Theol. Gury, putat, non obstante damnatione 4ª et 5ª propositionum per laudatam bullam, alteram sententiam remanere probabilem.

c) *Causæ dubie excusantes.* 1° Quid si duellum sit oblatum ab accusatore vel detractore injusto, qui promittit se cessaturum ab iniqua accusatione, si invitatus duellum admittat? Juxta Lugo, Sanchez et quosdam alios, licite acceptari posset, cum acceptans agat in defensionem propriam contra injustum invasorem et ad evitandam injuriam. Sed vera sententia negat, quia datur aliud medium impediendi injustam accusationem vel detractionem; deinde, etiamsi impediri non posset accusatio illa, habetur semper remedium juridicum per actionem injuriosam. Imo damnum quod de se infert injusta accusatio, non est tale, ut per-

missum sit occidere detractorem. Tandem Alex. VII sequentem damnavit propositionem : « Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam judicem a quo certo imminet iniqua sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare. » Licet in hac propositione non agatur directe de duello, tamen prohibetur occisio falsi accusatoris quovis modo facta vel attentata.

2° An vir nobilis aut miles provocatus ad duellum possit illud acceptare, si magnam jacturam honoris pateretur illud respuendo? Respondetur neg. Inter propositiones ab Alexandro VII damnatas sequens habetur : « Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.» Ita etiam Bened. XIV, in constit. *Detestabilem*, prop. 1. Inde illicita esset acceptatio duelli ad evitandam ignominiam. Ratio est, quia acceptatio illa ad veri honoris defensionem, nec necessarium medium est, nec idoneum, cum sit violatio legis divinæ et ecclesiasticæ, et ex conc. Trid., sess. 25, c. 19, *de Ref.*, nota infamiæ contrahatur per talem acceptationem : apud bonos et prudentes honorem non perdit recusans duellum; neque apud alios, si suas vias semper libere eat, et paratus videatur contra quemvis invasorem se tueri. Quid autem,

3° Si ex non acceptatione vir nobilis vel militaris non tantum pateretur jacturam honoris, sed etiam, honore amisso, certo esset privandus officio quo se et familiam sustentat? Non omnes doctores concordant. Reiffenstuel, cum pluribus aliis, docet acceptationem vel oblationem duelli in hoc casu non esse illicitam, quia acceptatio vel oblatio censetur necessaria, non solum ad defensionem honoris, sed etiam bonorum fortunæ. Sed communior sententia non admittit hanc exceptionem, cum duellum sit intrinsece malum, et in hoc casu non habeat rationem defensionis necessariæ. Prima opinio « amplius non est probabilis, ut ait S. Lig., l. IV, n. 400, ex 1ª et 4ª inter 5 propositiones damnatas a Bened. XIV. Hic casus ex parte coincidit cum illo quem supra expendimus.

Hic referuntur quinque illæ propositiones a Benedicto XIV damnatæ : « 1. Vir militaris qui, nisi offerat vel acceptet duellum tanquam formidolosus, timidus, abjectus, ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat

privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

» 2. Excusari possunt, etiam honoris tuendi vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

» 3. Non incurrit ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ vel officii.

» 4. Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio medio eorum jactura propulsari nequit.

» 5. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia magistratus justitia aperte denegatur. »

P. Ballerini, ex sua interpretatione superius relata, potuit etiam concludere disputationem non fuisse sublatam ex illarum propositionum damnatione, et ideo ambas sententias remanere probabiles. Nam in casu proposito agitur etiam de amissione necessariorum ad vitam propriam et totius familiæ alendam.

4° Tamen, juxta omnes, provocatus qui motivo religionis noluit suscipere duellum, potest armatus ad sua negotia peragenda accedere, quantum ad se defendendum contra vim a provocante inferendam necessarium est, ac si esset cum inimico pugnaturus, dummodo non accedat ad locum duelli condictum. Ratio est, quia non teneretur sua negotia relinquere cum notabili suo damno.

§ II. *Pœnæ latæ contra duellantes.*

I. Pœnæ latæ contra duellantes coram patrinis.

a) Notandum est quod ex jure civili Romano, juxta interpretationem criminalistarum, provocans ad duellum puniendus erat pœna capitali, si occidisset provocatum. Si vero provocatus interfecisset provocantem, mitius erat puniendus, cum provocatis semper jura faveant. In jure Gallico, nihil statuitur

circa duellum, et ideo parentes occisi possunt petere a judice pœnam ordinariam contra occidentem, tanquam homicidii reum.

b) *Jure canonico antiquo, duplex pœna statuta erat contra clericum duellantem.* 1° Jubebatur deponi (c. 1 h. t.), etiamsi mors aut mutilatio secuta non esset. 2° Si in duello clericus per se vel per alium pugnans aliquem occidat vel mutilet, contrahit irregularitatem (cap. fin. h. t. et c. f. *de Homicidio,* in 6°). Cum in jure antiquo intendantur soli clerici duellantes, Decretalibus de duello præfixus est tit. *de Clericis pugnantibus in duello.*

c) *Jure novissimo* (Trid., sess. 25, c. 19, *de Ref.*), ampliores statutæ sunt pœnæ :

1° Domini temporales qui duellantibus locum in suis terris concedunt, excommunicationem incurrunt latæ sententiæ. Hoc tamen non debet intelligi de principibus et regibus qui permiserunt vel non prohibuerunt duella, sed tantum de illis dominis qui speciali modo locum concedunt.

2° Pugnantes in duello et eorum patrini incurrunt pœnam excommunicationis S. P. reservatæ, ac perpetuæ infamiæ ; et si adversarium occiderunt, puniri debent ut homicidæ. Si vero in ipso conflictu decesserint, privantur sepultura ecclesiastica.

3° Illi qui consilium in causa duelli, tam in jure quam in facto, dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores, adstringuntur vinculo excommunicationis.

d) Illas pœnas a conc. Trid. constitutas, SS. Pontifices, non solum per suas bullas approbarunt, sed etiam ampliarunt. 1° Sanctus Pius V, in const. *Ea quæ,* addidit contra clericos pœnam privationis beneficiorum et inhabilitatis ad illa, et contra omnes, pœnas criminis *læsæ majestatis,* carceris et inhabilitatis ad testandum.

2° Gregor. XIII, in bulla *Ad tollendum,* extendit decretum Trident. etiam ad duella privata, statuitque omnes ei subjici qui ex condicto, statuto tempore et in loco convento, duellum commiserint, etiamsi nulli patrini aut socii ad id vocati fuerint, nec litteræ provocatoriæ præcessissent. Istis pœnis Tridentinis subjacere voluit dominos locorum hæc privata duella permittentes et omnes mandantes, instigantes, auxilium vel consilium

dantes, arma vel quævis subsidia scienter subministrantes. Item ex proposito spectatores. 3° Clemens VIII, in bulla *Illius vices*, extendit supradictas constitutiones, ut locum habeant ubique terrarum, etiam circa milites ex privata inimicitia duellantes, eorumque duces talia permittentes, et interdicto supponit territoria in quibus id facinus, scientibus et non contradicentibus dominis, commissum est. 4° Bened. XIV, in const. *Detestabilem*, extendit pœnam privationis sepulturæ ecclesiasticæ iis qui sacramentis muniti decesserunt in duello.

5° SS. Pius Papa IX in const. *Apost. Sedis* pœnam excommunicationis renovavit contra « duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem præbentes, necnon de industria spectantes illudque permittentes, vel, quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis. » Hæc excommunicatio est generali modo reservata R. P. Reservatio illa adjungitur censuræ Tridentinæ. Si jus illud novum, cum prohibitione conc. Trid. comparetur, constabit dispositiones const. *Apost. Sedis* longe rigidiores esse; nam excommunicatione non tantum innodantur « qui 1° pugnam » commiserunt, sed « simpliciter provocantes, vel simpliciter acceptantes »; 2° non tantum principes, reges « qui locum ad monomachiam in terris suis.... concesserint », verum etiam « duellum permittentes vel, quantum in illis est, non prohibentes ».

Ex altera parte, si const. Pii IX conferatur cum const. Clementis VIII, statim apparebit nullum discrimen notatu dignum existere inter illas constitutiones, et ideo explicatio authentica const. Clem. VIII est norma interpretandi const. *Apostolicæ Sedis*.

II. Conditiones requisitæ ut istæ pœnæ incurrantur.

a) Ex parte *provocantium et acceptantium* duellum, requirebant olim CC., 1° ut pugna actu ipso conseratur; nam etiamsi se provocaverint et loco constituto comparuerint ut pugna congrederentur, pœnas non contrahebant. Sed hodie provocantes, etiam effectu non secuto vel altero statim recusante, contrahunt excommunicationem, ut constat ex dictis seu ex perspicuis verbis const. *Apostolicæ Sedis*. Sola provocatio vel sola acceptatio

sufficit ut incurratur excommunicatio. Parum refert, an privato duello pugnaverint, hoc est, sine patrinis vel solemnitate.

2° Ut duellum fiat *ex condicto*, scilicet ex pacto, seu præeunte inter pugnantes loci, temporis, atque armorum designatione, ut patet ex const. Greg. XIII, in qua dicitur « in loco convento », et aliis constitutionibus. Unde si in rixa, durante calore iracundiæ aut vindictæ nullo morali intervallo mediante, aliqui ad locum pugnæ progrediantur, non sunt proprie duellantes. Non est pugna ex condicto, sed rixa. Sed si de solo loco vel de solo tempore conventum esset, an haberetur duellum? Si solum tempus præfinitum fuerit, non erit, stricto nomine, duellum, ut respondit S. Congr. *Immunit.*, 13 febr. 1703 ; idem dicendum esset, juxta plures, si solum de loco conventum fuerit.

3° Ut adversarii pugnent armis letalibus, seu tali armorum genere ac confligendi modo, ut duellantibus probabile periculum mortis immineat: unde si viri pugnis congrediantur, duellum non erit.

4° Ut duellantes sponte inter se pugnent; nam si ob necessitatem quam alteruter evitare nequit, ut cum quis coactus congreditur ad vitam propriam defendendam, non erit duellum. Quare decumbentes in tali duello improprie dicto possunt recipere omnia sacramenta Ecclesiæ. Imo mortaliter vulnerati in duello proprie dicto possunt probabiliter refici sacramentis Eucharistiæ et extremæ unctionis, cum nihil certum reperiatur in jure quod prohibeat talem administrationem. Obstaret forsan ratio scandali, si istud non posset reparari. Sed absolute loquendo potest reparari, etiam per publicam parochi declarationem.

b) Ex parte *principis concedentis locum* vel licentiam, aut generatim quoad duellum permittentes vel non prohibentes, requiritur, 1° ut concedat fidelibus; si vero infidelibus solum daret locum, non esset excommunicatus; 2° ut non sint causæ excusantes, quia adesse possunt causæ quæ cohonestant datam permissionem.

c) Ex parte *comitantium et spectatorum*, necesse est ut id faciant ex proposito sive data opera, et duellum approbent, prout patet ex cit. const. Greg. XIII. Hinc 1° si casu solum venirent ad locum pugnæ ibique curiose exspectantes manerent, non excommunicarentur, quia Greg. XIII in sua constitutione addit :

« ex proposito spectatores », et Pius IX in const. *Apostolicæ Sedis* : « de industria spectantes ».

2° Qui ex ædium suarum fenestris aut januis, præsertim si a duellantibus observari non possint, congredientes spectarent, non essent obnoxii excommunicationi, quia sunt quasi non præsentes. Spectatores numerantur inter eos qui favorem præstant, unde, explicationis gratia in const. *Apostolicæ Sedis* dicitur, « de industria spectantes ».

3° Qui duellantes solum comitarentur, animo impediendi congressum, essent etiam immunes a quavis pœna, cum talis comitatus laudabilis sit.

d) *Ex parte consulentium* vel generatim cujuscumque *complicis* requiritur, juxta plures, ut consilium vel universim cooperatio physica aut moralis fuerit efficax : sed multi alii docent illum statim excommunicari ac consilium dedit, cum peccatum consummatum fuerit in sua specie et a consulente non pendeat quod duellum locum non habuerit. Tamen potest distingui inter consilium quod reapse nullum habuit influxum in voluntatem, et illud quod efficaciter excitavit duellantem ad provocandum vel accipiendum. Hinc 1° si ante duellum vel ante provocationem ad istud, efficaciter revocavit consilium, faciendo quantum potuit ne provocatio sequeretur, juxta priores, excusaretur consulens, quia tunc non ex consilio, sed ex prava consulentium voluntate duellum sequeretur; sed juxta alteram sent., subjaceret excommunicationi, tum quia aliqua remanet efficacia consilii, tum quia ipsum consilium, ut sic, prohibetur sub dicta pœna.

2° Si ante consilium datum jam duellans erat determinatus ad duellandum, consulens, juxta multos, non incideret in excommunicationem, quia non influit in effectum prohibitum sub censura; alii contrarium tenent, propter rationem superius sdatam.

3° Dicta de consulentibus intelligi debent de omnibus complicibus, « qualemcumque operam vel favorem præbentibus ». Patrini, socii, comitantes, defensores, consulentes, comitantes de industria, arma præbentes, etc., dici possunt complices : operam aut favorem præbent.

III. De privatione sepulturæ ecclesiasticæ.

a) Juxta const. *Illius vices* Clem. XIII, sepultura ecclesiastica privabantur illi omnes et soli qui in ipso conflictu obierant, quamvis fortasse ante mortem signa pœnitentiæ dederint. Sed ex bulla *Detestabilem* Bened. XIV deneganda est sepultura ecclesiastica, etiam illis qui extra locum conflictus, sacramentis muniti, decesserint. Etenim hodie non viget interdictum papale inflictum a Clem. VIII; nam in const. *Apostolicæ Sedis* nulla illius interdicti fit mentio; ideoque Eucharistia et extrema unctio dari possunt letaliter vulneratis in duello. Verum,

Quæritur : *An, ut morienti in duello denegetur sepultura ecclesiastica, sententia judicis requiratur?* Resp. Certum est non requiri sententiam condemnatoriam, cum pœna sit latæ sententiæ. Si notorium sit factum decessionis in duello, non requiritur etiam sententia declaratoria; si duellum non sit notorium, res deferri debet ad episcopum, qui summarie procedit, et sententiam fert. Tamen, ut sententia privationis ferri possit, necesse est ut duellum plene probetur, prout requiritur ad privandum fidelem communibus Eccl. suffragiis, quæ in ipsa sepultura includuntur. Si haberi nequit plena probatio, sed solum semiplena, potest permitti sepultura in loco sacro, sed sine pompa funebri. Ita Pignat., l. XII, consult. 88, n. 162.

---

* TITULUS XV.

De sagittariis.

Nomine sagittariorum vel ballistariorum veniunt ii qui sagittas, præsertim venenatas, saxa ex ballistis vel catapultis, vel prout hodie solet, glandes vel globos plumbeos vel ferreos ejaculantur.

Exercitium artis sagittariorum fuit prohibitum in c. un. huj. t. christianis qui pro infidelibus vellent eo uti contra fideles et catholicos ; prohibitio illa lata fuit sub pœna excommunicatio-

nis latæ sententiæ, quando agebatur de christianis qui infidelibus deservirent.

Sed titulus ille hodie non est practicus, nisi quæstio generalis moveatur de armis permissis et licitis in bello.

TITULUS XVI.

DE ADULTERIO ET STUPRO (1).

Post homicidium, quo læditur vita hominis, consideratur crimen luxuriæ, qua pudicitia proximi violatur. Hic agitur de criminibus quæ actibus perfectis constant, non autem de actibus imperfectis luxuriæ internis vel externis, quales sunt delectatio morosa, desiderium, gaudium, oscula, turpiloquium et tactus, etc. Species illius criminis, actibus perfectis constantis, sunt fornicatio, ad quam revocatur concubinatus, stuprum, adulterium, incestus, sacrilegium, raptus, et peccata contra naturam. De raptu agitur in titulo seq.; de aliis speciebus in hoc titulo, in quo genus indicatur per præcipuas species. Notandum est, quod istæ species enumeratæ non manent omnes intra solum genus luxuriæ, siquidem adulterium et stuprum, justitiæ; incestus, pietati, reverentiæque erga sanguine junctos; sacrilegium, religioni, opponitur.

§ I. *De fornicatione.*

I. Quid et quotuplex?

a) Fornicatio sic dicta est a *fornicibus,* sub quibus meretrices habitare quondam Romæ solebant.

In sensu reali sumitur : 1° *late,* pro quocumque concubitu extra matrimonium; 2° *stricte,* pro concubitu soluti cum soluta: et nomine soluti venit non solum solutus a vinculo matrimonii, sed etiam solutus ab omni vinculo cognationis, affinitatis et

(1) Agitur de his criminibus in Pandect., l. XLVIII, t. IV, in Cod., l. IX, t. IX-XI, XIII; quoad jus. Gall., in Cod. civ., art. 229, 230, 298, 299; in Cod. pœn., art. 324 et tota sect. 4, c. 1, t. II, l. III.

voti, saltem solemnis, seu generatim ab omni impedimento quod matrimonio obstaret. Sed 3° in propriissimo et specifico sensu, et prout a stupro distinguitur, significat illum solum concubitum qui de mutuo consensu fit a soluto cum soluta jam corrupta : sic sumitur in can. *Lex illa,* 2°, causa 36, q. 1 : « Fornicatio.... specialiter intelligitur in usu viduarum vel concubinarum. »

b) *Duplex distinguitur fornicatio strictissime sumpta :* 1° Fornicatio simplex, quando fit absque consuetudine : ex unico actu aliquis denominatur fornicator. Dicitur etiam aliquando *vaga,* quia fit, more pecudum, modo cum tali persona, modo cum altera.

2° *Concubinatus,* quando est consueta cum eadem certa ac determinata persona : unde supra fornicationem simplicem addit statum et perseverantiam. Notandum est, quod concubinatus aliter sumitur jure civili, aliter jure canonico : jure civili, concubinarius dicitur qui mulierem solutam domi suæ loco uxoris detinet et cum ea consuetudinem habet; canonico jure, omnis ille concubinarius appellatur, qui cum muliere aliqua soluta carnale commercium habere consuevit, sive illam in sua sive in aliena domo retineat.

II. Quo jure sit prohibita?

1° TT. ostendunt fornicationem esse jure divino illicitam, cum Scriptura fornicationem recenseat inter opera graviter hominem coinquinantia. Sed quærunt aliqui, an malitia fornicationis simplicis descendat solum ex jure divino positivo; an etiam ex naturali? Doctrina communis et certa DD. est quod fornicatio simplex sit jure naturali illicita. Constat imprimis ex prop. damnata ab Inn. XI : « Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omni rationi dissonum videatur. » Hæc oppositio legi naturali ostendi posset ex ipsis Scripturis, quæ fornicationem vitandam proponunt, ob turpitudinem et inhonestatem suam : v. g. Matth., xv, 19 ; I Cor., vi, 9, annumeratur et comparatur idolorum servituti, veneficio, furto et homicidio, etc., quæ sunt ex sese inhonesta et intrinsece mala. Deinde S. Paulus declarat gentiles traditos in repro-

bum sensum repleri omni iniquitate, malitia, fornicatione, etc. Atqui in doctrina opposita communi et certæ TT., gentiles, qui non subjiciuntur legi positivæ, non peccassent fornicando. Sed probari potest ratione. Actus ille est intrinsece malus qui præcipuas hominis potentias, intellectum et voluntatem, per se hebetat, impedit et inordinatas reddit in actibus suis ; atqui hoc facit fornicatio, ut ostendunt illi doctores, qui de octo filiabus luxuriæ disputant, inter quas enumerantur cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, etc. S. Thomas (1ª 2ª, quæst. 753, art. 5) pulchre ostendit, quomodo hæc omnia oriantur ex actibus luxuriosis. Deinde fornicatio opponitur fini generationis, bono prolis et bono communi ; natura enim ordinat copulam ad matrimonium, quo non solum proles generari, sed etiam bene educari possit (S. Lig., III, n° 432).

2° Ex dictis, quæritur utrum permitti possint meretrices? De hac quæstione fuse disputant Salmanticenses, qui respondent affirmative, quibusdam præmissis cautionibus. S. Lig. (*l. c.* 434), duplicem commemorat sententiam, et putat negantem esse practice probabiliorem, quia ex licentia meretricum majora exsurgunt mala, quum magis incendatur libido (Cf. superius dicta t. I, p. 138).

3° *Concubinatus* est prohibitus, non modo lege ecclesiastica, sed lege divina et naturali, sicut fornicatio, cum sit delictum longe gravius fornicatione, siquidem durat longiori tempore.

III. Pœnæ constitutæ contra fornicatores et concubinarios.

De jure civili, nulla pœna constituta est fornicationi simplici et concubinatui. Tamen, in pluribus regionibus, in fornicarios pœna arbitraria animadvertere potest judex sæcularis.

a) Pœnæ latæ contra *clericos*. 1° Jure canonico, *clericus* fornicarius, præsertim si in sacris ordinibus constitutus et maxime si sacerdos sit, punitur pœna arbitraria et, pro circumstantiarum varietate, mitius vel severius ; istæ pœnæ solent esse incarceratio et suspensio ab officio. Si crimen notorium sit aut valde scandalosum et clericus incorrigibilis, pœna erit depositio ac beneficiorum privatio ad arbitrium episcopi.

2° Acerbiore pœna quam fornicatio simplex, punitur concubinatus, cum perseverantia in crimine sit circumstantia aggra-

vans, et tanto sint graviora crimina quanto diutius durant. In clericos concubinarios sic proceditur, juxta modum a conc. Trid. (sess. 21, c. 6, sess. 25, c. 14, *de Ref.*) statutum : debent imprimis moneri monitione speciali, nec sufficit generalis, etiamsi factum concubinatus sit notorium. Si ita moniti non abstinuerint, ipso facto privantur tertia parte fructuum et proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum.

3° Si in delicto eodem perseverent, nec secundæ monitioni paruerint, eo ipso amittunt fructus et proventus omnes; tamen probabilius non tenentur fructus amissos restituere ante sententiam declaratoriam criminis; insuper suspendi debent ab administratione beneficiorum suorum. Sed notandum est quod crimen concubinatus debet esse aut publicum notorietate facti, aut sufficienter probatum per testes, ut ad suspensionem a beneficiis et ad eorumdem privationem procedatur. Ratio est, quia universaliter quando judex procedit ex præsumptionibus, nisi illæ sint urgentissimæ et ex actibus valde propinquis delicto petitæ, pœnas mitigare debet.

4° Si ita suspensi concubinas non expellant aut cum eis versentur, perpetuo privantur beneficiis, pensionibus et officiis ecclesiasticis quibuscumque, et insuper ad honores quosque inhabiles efficiuntur, nisi post manifestam vitæ emendationem superior ex juxta causa dispenset. Tandem, si post illas pœnas a scandalosis hujusmodi commerciis non destiterint, pœna excommunicationis plecti debent.

b) Quoad *laicos,* idem conc. (sess. 24, c. 8, *de Ref.*) statuit hujusmodi concubinarios, tam solutos quam uxoratos, cujuscumque status et conditionis existant, ter monendos esse ab ordinario; et si post illam trinam monitionem concubinas non ejecerint, excommunicari debent, et absolvendi non sunt, donec reipsa admonitioni factæ paruerint. Si vero in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ordinarius sævire procedat pro qualitate criminis, et mulieres concubinæ extra oppidum vel diœcesim ejiciantur, etiam invocato, si opus fuerit, brachio sæculari. Sed hodie episcopus non potest procedere, nisi ad pœnas spirituales.

An, ad dotationem vel matrimonium teneatur fornicarius ob fornicationem simplicem sine qualitate stupri commissam?

Respondetur neg., licet debeat alere prolem quam femina ex eo concepit (c. 5, *De eo qui duxit*). Nec audiri solet, si neget se esse patrem, dummodo constet de fornicatione ; si tamen probare posset plures cum eadem muliere commercium habuisse, recurreretur ad circumstantias delicti seu ad tempus partus et physiognomiam prolis. Imo, aliquando statur juramento mulieris, ne proles ob defectum alimentorum pereat.

§ II. *De stupro.*

I. Quid et quotuplex sit stuprum?

a) *Stuprum potest accipi late vel stricte.* 1° *Late* sumptum, est illicitus concubitus cum virgine aut vidua honeste vivente. Ita sumitur quandoque in jure Romano. 2° *Stricte* et proprie, prout in præsenti sectione accipitur, est illicita virginis defloratio, non præcedente pactione conjugali : ita sumitur in canone 2, causa 36, quæst. 1. Itaque, ut feminæ corruptio stuprum dicatur, requiritur animus feminam honestam contaminandi, et delictum consummatum, et non tantum attentatum. 3° Propriissime est defloratio virginis, ipsa invita.

b) Stuprum fieri potest vi, fraude vel metu injuste incusso, aut sine istis. In primo casu, additur fornicationi simplici malitia injustitiæ. Sed quæritur,

Utrum stuprum illatum virgini volenti ac libere consentienti addat fornicationi malitiam injustitiæ? Prima sententia affirmat, ex paritate cum raptu, qui injustitiæ peccatum continet, etiamsi puella consentiat in sui raptum : etenim in raptu violatur jus patriæ potestatis. Altera sententia verior negat, cum nulla injuria inferatur illi virgini, quia volenti nulla fit injuria, nec parentibus violatæ, cum jus nullum habeant in corpus filiæ suæ. Hic casus fere coincidit cum superius examinato in præcedenti paragrapho ; solum discrimen consistit in eo quod in præsens agitur de virgine, dum supra sermo erat de muliere jam corrupta.

II. Pœnæ stupri.

a) De jure civili Romano, 1° pœna stupratoris qui nullam vim adhibuit, erat publicatio dimidiæ partis bonorum, quando hic erat honestæ conditionis ; si vilioris conditionis, pœna erat

corporis verberatio cum relegatione. 2° Si stuprum commissum fuisset vi adhibita, duplex erat pœna pro gradu criminis : quando agebatur de stupro perfecto, in stupratorem decreta erat pœna capitis sive mortis, præsertim si valde honestæ et pudicæ feminæ stuprum fuit. Si imperfectum sit stuprum, eo quod virgo e manibus stupratoris se eripuerit aut erepta fuerit, pœna erat deportationis vel fustigationis.

3° Quærunt etiam doctores, utrum eidem pœnæ capitis subjiciatur stuprator qui, nulla vi adhibita, puellam blanditiis, persuasionibus, muneribus aliisque fraudibus ad flagitium induxit? Duæ sunt sententiæ, et communior affirmabat : istæ dispositiones juris civilis immanitatem flagitii perspicue ostendunt, et ipsos confessarios erudire possunt in salutaribus pœnitentiis imponendis.

b) In jure Gallico (art. 331-333 Codicis pœnalis), variæ sunt pœnæ, prout stupratæ sunt 15 annis minores vel majores, facta etiam distinctione inter contumeliam, injuriam et violentiam (outrage, attentat à la pudeur, viol) pudicitiæ alterius illatas. Pœna est reclusio vel damnatio ad triremes, ad tempus vel in perpetuum, pro gravitate criminis. Sed notandum est quod jus Gallicum non considerat nisi ætatem aut vim illatam, absque distinctione inter virgines et mulieres jam corruptas.

c) Pœna stupri de *jure canonico*. 1° Si stuprator sit clericus, jure veteri (can. 45, c. 2, 9, 7; cap. 1 h. t.) puniebatur depositione ab officio, cum dotatione puellæ stupro violatæ. Hodie, præter dotis præstationem, punitur arbitrio judicis, aliquando incarceratione, aliquando suspensione vel depositione. Si vis accesserit, potest etiam condemnari ad carceres perpetuos.

2° Si delinquens laicus sit, tenetur corruptam ducere, vel si hanc pater dare renuerit, dotare, seu generatim tantum rependere, quantum damnum virgini est secutum (c. 1 h. t.). Sed,

An sufficiat, si stuprator puellam a se corruptam vel ducat vel dotet? Ex c. 1 h. t., utrumque requiritur, ut pœnæ canonicæ vitentur, præsertim si vis adhibita fuit. Tamen, de consuetudine, obligatur tantum ad alterutrum : unde si spe matrimonii vel etiam ficte promissi induxit puellam ad stuprum, tenetur eam ducere; si ob impedimentum ordinis sacri, ligaminis, etc., nequeat matrimonium contrahere, tenetur puellam dotare.

Alias, electio inter matrimonium et dotationem est penes stupratorem, nisi adsit promissio matrimonii, ut dictum est; vel matrimonium sit unicum medium resarciendi damnum.

Si non posset, ob inopiam, deflorator dotem præstare, subjicitur fustigationi vel detruditur in monasterium aut carcerem (cap. 1 huj. t.). Istæ pœnæ imponebantur in terris temporaliter subjectis Ecclesiæ Romanæ; item in terris imperii Romani, quando causa in tribunali ecclesiastico erat judicanda.

d) *Quibus in casibus ad nihil teneatur stuprator?* 1° Si puella in sui violationem, nulla interveniente vi aut fraude, aut metu, sponte ad id se offerendo, consensit : quia c. 1, 2 h. t. obligant illum qui virginem « seduxit vel decepit »; porro, in nostro casu, non fuit seducta vel decepta. Ratio est, quia obligatio ducendi vel dotandi solum inducta est in compensationem injuriæ illatæ; sed scienti et consentienti non fit injuria. Nec injuria parentibus videtur irrogata, cum parentes jus non habeant in corpus virginis stupratæ ; alii tamen contrarium sentiunt (Apud S. Lig., *l. c.*, n. 614, et superius I, *b*).

Inde, qui suasionibus, blanditiis, etc. induxit puellam ad consensum in stuprum, probabilius non tenetur, saltem ante sententiam judicis, dotare aut ducere illam : ratio est, quia preces, suasiones, munera, etc. vim non inferunt nec involuntarium faciunt, etiam mixtum. Secus tamen, si preces fuissent adhibitæ a domino, superiore, seu generatim a persona cui femina sollicitata non audet facile dissentire, vel etiam probabilius si fuissent valde importunæ : quo casu stuprator posset etiam teneri ad matrimonium (S. Lig., *l. c.*, n. 640), sublata facultate eligendi inter dotationem et matrimonium.

2° Alter casus est, quando mulier, post corruptionem, virum ejus conditionis invenit, ac si fuisset virgo. In hoc casu, deflorator virginis, saltem ante sententiam, non tenetur ad ullam satisfactionem vel compensationem, quia nullum damnum in bonis fortunæ passa est deflorata, et virginitas sit irreparabilis. Tamen, si pater dotem augere deberet, ut possit filiam in æque bono matrimonio collocare, juxta plures, stuprator teneretur aliquid patri restituere; sed alii plurimi negant, quia filia est virginitatis suæ domina, et nuptiarum jacturam pati volens, potest, etiam renitente patre, cum, invito patre, nubere possit

cui voluerit. Redeunt ergo superius dicta de ratione injuriæ.

Tandem 3° si femina per vim, metum stuprata, remittat defloratori obligationem satisfaciendi aut cum illo transigat, ad nihil tenetur stuprator, nisi juxta transactionem factam. Colligitur ex dictis de jure mulieris corruptæ.

Obligatio alendi prolem ex stupro vel fornicatione procreatam incumbit tam matri quam patri, juxta qualitatem alimentorum et facultates utriusque.

III. Judex in causa stupri et modus procedendi.

1° Si stuprum commissum est a persona ecclesiastica, de eo cognoscit judex ecclesiasticus : reus est obnoxius soli foro ecclesiastico. Si vero a laico, est crimen mixti fori : imprimis de eo cognoscere potest judex ecclesiasticus, ut constat ex c. 2 h. t.; judex sæcularis potest etiam procedere contra laicum stupratorem, ut constat ex indole criminis et rei.

2° Quoad probationem illius criminis, distinguendum est, an stuprator confiteatur se rem habuisse cum femina, vel hoc neget.

In primo casu, onus probandi quod seducta non fuit virgo vel quod non fuerit a se seducta, transfertur in ipsum stupratorem : de facto commercii carnalis constat; de solis circumstantiis dubitari potest; et ideo duplex præsumptio militat pro femina, scilicet quod fuerit virgo, deinde, quod seducta est a stupratore. In dubio puella præsumitur integra.

In secundo casu, nempe si mulier asserit se corruptam fuisse et stuprator neget se carnaliter illam cognovisse, tunc non est standum assertioni mulieris, quia generatim onus probandi incumbit affirmanti, non neganti, et alias uni soli testi non creditur, maxime in propria causa. Itaque, puella debet probare per conjecturas probabiles varias circumstantias loci, temporis, etc.

§ III. *De adulterio.*

I. Natura et varietas adulterii.

a) Adulterium, late sumptum, significat quamcumque conjunctionem carnalem non conjugalem; stricte et proprie, est violatio fidei et tori conjugalis. Quare duplicem habet mali-

tiam, unam luxuriæ, cum sit concubitus illicitus, alteram injustitiæ, quia est violatio juris quod conjuges ad se invicem habent. Sequitur,

1° Quod, etiamsi accederet consensus alterius conjugis ad adulterium conjugis adulteri, non tolleretur malitia et ratio adulterii, cum consensus non efficiat quod vinculum matrimonii suos non habeat effectus perpetuos; quare Innoc. XI sequentem damnavit propositionem : « Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum. » Sequitur,

2° Quod concubitus cum uxore putativa seu cum muliere quæ pro conjugata habetur, licet non sit, non est verum adulterium, theologice loquendo, cum nullius jus violetur. Tamen, de jure Romano pro adulterio habebatur.

3° Qui copulam habuit cum desponsata per verba de futuro, probabilius non commisit adulterium : namque per sponsalia non acquiritur jus in corpus alterius, et ideo nullius jus læditur. Tamen est circumstantia aggravans.

b) Adulterium dividitur in *simplex* seu unilaterale, et in *duplex* seu bilaterale. Est simplex, quando committitur vel a marito alieno cum soluta, vel ab uxore aliena cum soluto. In jure civili non habetur pro adulterio carnalis conjunctio viri conjugati cum soluta, et adulterii pœnis non punitur : econtra jure canonico consideratur violatio fidei ut verum adulterium, ut jam constat ex data definitione. Duplex seu duplicatum dicitur quod a marito alieno cum uxore aliena perpetratur. Istud, ut patet, est priore gravius, quia talis adulter duplex lædit jus, scilicet propriæ uxoris et mariti alterius ; imo sæpe læditur jus liberorum istius mariti, si ex tali adulterio filius nascatur, quem veri liberi pro cohærede habere debent.

II. De pœnis latis contra adulteros.

Notandum est quod agi potest de adulterio civiliter vel criminaliter.

a) Quando *civiliter* agitur, duplex est pœna adulterii : prima est divortium, seu separatio quoad torum et cohabitationem, ad quam agere potest conjux innocens. Ita jus can. et civ. Imo si adulterium esset notorium, pars innocens probabilius posset

propria auctoritate divertere, ut probant canonistæ in tit. xix, lib. IV. In jure Gallico (art. 306-308 Cod. civ.), sancitur pœna separationis propter adulterium; sed, quoad maritum, hæc pœna non admittitur, nisi in casu quod hic in domo sua concubinam retinuerit (art. 230 Cod. civ.).

Altera pœna est amissio dotis et donationis propter nuptias; nam hæc conjugi innocenti restitui debet, cum omnibus quæ parti adulteræ attulit : ita jus civile Romanum et communiter doctores. Istis pœnis addi debet obligatio restituendi marito adulteræ, si proles genita fuisset ex adulterio, alimenta et quidquid dedit proli adulterinæ. Ex art. 335 Cod. civ., pater non potest adulterinos recognoscere ut proprios filios, seu ad suam hæreditatem admittere eodem jure quo suos proprios filios, licet adulterinis debeantur alimenta, juxta art. 762 ejusdem Cod. Item, ut jam innuimus, liberis legitimis adulteræ qui propter successionem spurii læsi sunt, restitui debet quidquid amiserunt. Ipsa mater adultera, tanquam simultanea causa datæ læsionis, tenetur vel prolem adulterinam manifestare marito, vel aliam compensationem aliis liberis facere de bonis propriis. vel diligentius laborare, etc. Multi tamen non immerito negant matrem teneri aliquando se prodere, cum in nullo casu aliquis teneatur se infamare (Apud S. Lig., III, n. 653).

b) *Criminalis* pœna, alia est jure ecclesiastico, alia jure civili sancita. 1° Jure canonico, pœna laicorum adulterorum relinquitur foro sæculari : olim, ex c. 6 h. t., erat excommunicatio. Circa clericos, pœnæ statutæ sunt sequentes : clericus convictus de adulterio deponi debet ab officio et beneficio, et insuper detrudi in monasterium vel in carcerem ad agendam toto vitæ tempore pœnitentiam (can. 10 et 11, dist. 81). Huic ultimæ pœnæ seu detrusionis, quæ hodie exolevit, suffici potest altera pœna. Si est suspectus vel diffamatus de illo crimine, sed nondum convictus, indicenda est ei purgatio canonica, in qua, si defecerit, ab officio est suspendendus (c. 5 h. t.). Si in adulterio vel stupro deprehendatur a marito vel patre et ab isto percuteretur, non juvabit privilegium canonis.

2° De jure Rom., statuta fuerat pœna deportationis vel exsilii. Postea Constantinus, secutus legem divinam Veteris Testamenti, sanxerat pœnam gladii. Porro, solus judex sæcularis potest

infligere pœnam capitalem, cum judex ecclesiasticus causas sanguinis tractare nequeat. De causa separationis a toro, dictum est in libro IV.

3° Ex art. 337 Cod. pœn. Gallici, uxor convicta de adulterio punitur pœna incarcerationis, quæ a tribus mensibus ad duos annos durare potest : complex uxoris adulteræ eidem pœnæ subjicitur, juxta art. 338 ejusd. Cod. et additur pœna pecuniaria 100 fr. ad 2,000 fr.

Verum, solus maritus admittitur ad denuntiandum adulterium uxoris (art. 336 Cod. pœn.).

Maritus qui in domo conjugali retinuit concubinam, puniri potest eadem pœna pecuniaria contra complicem adulteræ sancita (art. 339 Cod. pœn.). Sed si adulterium rationem bigamiæ haberet, nempe si maritus, durante matrimonio, aliud contrahere attentasset, plecti deberet damnatione ad triremes ad tempus (art. 340 Cod. civ.). Variæ apud diversas gentes fuerunt adulteri pœnæ.

c) *Causæ excusantes* a pœnis adulterii sunt sequentes : 1° Si alter conjux commiserit adulterium, in hoc casu neuter conjux potest agere ad divortium vel dotis propter nuptias restitutionem (c. 6 et c. fin. h. t.). Tamen locus est pœnis criminalibus quæ spectant satisfactionem reipublicæ. Sed si unus conjux publice et alter occulte commisisset adulterium, adulter occultus possetne petere divortium ? Juxta plures, posset petere in foro externo, etsi non possit in foro interno.

2° Si uxor fuerit violenter oppressa, cum nulla fuerit culpa, cessare debet pœna : secus, si per gravem metum commisisset adulterium, quia vis non tollit omne voluntarium ; mitius tamen puniri deberet. 3° Ignorantia inculpabilis, qualis esset, v. g. illa qua mulier, credens maritum suum mortuum, cum alio contraheret nuptias. 4° Si facta sit reconciliatio per petitionem et redditionem debiti conjugalis. Per petitionem maritus uxori remittere videtur injuriam.

d) *Probatio* requisita ut quis condemnari possit tanquam reus adulterii : Sufficit ut afferantur violentæ ac vehementissime urgentes præsumptiones, seu tales quæ ex circumstantiis ordinarie cum delicto conjunctis oriantur. Ratio est, quia habita tali præsumptione, jam habetur certitudo moralis perpetrati criminis.

§ IV. *De crimine incestus, sacrilegii carnalis et peccato contra naturam.*

I. De incestu.

a) Incestus est concubitus inter personas consanguineas vel affines, jure prohibitas contrahere matrimonium, seu in quarto vel proximiori conjunctas; et eo gravius est illud peccatum quo gradus est propinquior. Illud crimen est gravius adulterio, maxime in linea recta; siquidem ex solo instinctu naturali apud omnes gentes damnatur. Opponitur pietati et reverentiæ erga sanguine conjunctos et ideo maxime perturbat sanctitatem familiæ : unde est peccatum duplicis malitiæ, scilicet contra castitatem et virtutem pietatis, personis conjunctis debitæ.

An incestus in diverso consanguinitatis vel affinitatis gradu commissi distinguantur specie? Disputant TT., qui communius negant, nisi agatur de primo gradu consanguinitatis in linea recta. Incestus cum consanguinea non videtur etiam differre specie ab incestu cum affine; tamen multi theologia appositam propugnant sententiam. Eadem reperitur diversitas sententiarum quoad cognatas spirituales et consanguineas; item quoad cognatos legales, etc. (Vide S. Lig., III, n. 448-451).

b) *Pœnæ latæ de jure canonico contra incestuosos.* 1° Si istius criminis reus sit clericus, est deponendus et beneficio privandus. Ita omnes DD. ex can. 10, 11, dist. 81. 2° Laicus in incestu perseverans excommunicatur (can. 9, *De his*, causa 25, quæst. 2). Vir peccans cum consanguinea suæ uxoris, privatur jure petendi debitum (c. 1, 3, *De eo qui cognovit*).

Olim multæ et gravissimæ erant pœnæ de jure civili latæ contra incestuosos : sic incestus inter ascendentes et descendentes, fratrem et sororem, puniebatur pœna mortis; inter collaterales vero, pœna arbitraria. De jure Gall., nullæ stabiliuntur pœnæ contra incestuosos, nisi ad tegendos minores ab omni violatione castitatis ex parte ascendentium vel tutorum, ut dicetur infra. In art. 331, 342, 762 Cod. civ., proles incestuosa arcetur ab hæreditate, tam matris quam patris, nec ullo modo agnosci potest.

II. De sacrilegio carnali.

a) Sacrilegium carnale est violatio personæ Deo dicatæ per

votum continentiæ; ideo non manet intra genus luxuriæ, sed alteri generi miscetur, seu religioni opponitur; est ergo concubitus illicitus personæ aut sacræ cum sacra, aut non sacræ cum sacra. In primo casu, est duplex sacrilegium (in confessione sacramentali exprimendum).

Committitur etiam violatione loci Deo consecrati per illa peccata carnalia, quibus polluitur ecclesia (Vide superius dicta in tit. X). Sed de primo tantum, seu de sacrilegio carnali et personali, hic agitur.

b) *Pœnæ sacrilegii carnalis.* 1° Fornicatio religiosi professi et clerici in sacris constituti cum soluta est utique verum sacrilegium, et propterea hæc circumstantia, tanquam mutans speciem, in confessione est necessario exprimenda. Tamen in foro contentioso punitur tantum ut simplex fornicatio.

2° Sacrilegium commissum cum moniali gravius punitur, quia est sacrilegium gravissimum contra votum castitatis et consecrationem. Olim jure civili Romano is qui matrimonium cum moniali attentaverat, vel alias illam corruperat, plectendus erat pœna capitali seu mortis, et bona ejus applicabantur monasterio in quo degebat monialis corrupta. Sed pœna illa erat tantum applicata, quando agebatur de violenta oppressione alicujus monialis. Quando, consentiente moniali, committebatur illud sacrilegium, pœna erat triremium ad vitam pro viro, et pro moniali reclusio in carcere.

Jure ecclesiastico, sacrilegus corruptor monialis, si laicus sit, excommunicatur; excommunicatio illa est ferendæ sententiæ, nisi crimen patratum sit cum violatione clausuræ pontificalis; quo casu incurreretur ipso facto (art. 6, sect. 2 const. *Apostolicæ Sedis*). Si vero sacrilegus corruptor sit clericus, privatur beneficio et deponitur ab ordine; deinde detruditur in monasterium ad agendam pœnitentiam (can. *Si quis,* ep. 6, can. *Si qua monacharum*, 2, fin., causa 27, quæst. 1). Hodie, loco detrusionis, alia infligitur pœna *arbitrio judicis;* sequitur quod condemnatus de illo crimine efficitur eo ipso infamis et irregularis.

c) Quærunt canonistæ, quale peccatum sit commercium carnale viri christiani cum femina judæa vel pagana, aut vicissim? Hoc crimen non differt a simplici fornicatione; sed magna in-

juria fit legi et nomini christiano, et ideo graviori pœna, quam aliæ simplices fornicationes, plectenda est.

III. De peccato contra naturam.

a) Peccatum contra naturam est triplicis generis : 1° Mollities, qua quis seipsum polluit ; vocatur immunditia, quando est perfecte voluntaria. 2° Sodomia, a Sodomis accepto nomine, est coitus contra naturam inter duos, non servato debito sexu, seu masculi cum masculo, aut feminæ cum femina, et tunc dicitur perfecta ; est imperfecta, quando personæ coeuntes sunt diversi sexus, sed non servant modum naturalem : differt specie a perfecta. 3° Ultimum genus est bestialitas, quæ consistit in coitu cum bruto quocumque. Mollities, sodomia et bestialitas differunt specie, ut patet.

b) *Pœnæ latæ contra illa peccata.* 1° Peccatum mollitiei, quia secreto exerceri solet, ad forum contentiosum vix unquam deducitur. Si deduceretur pœna extraordinaria, v. g. relegationis aut fustigationis, coerceri deberet, ut censent aliqui canonistæ. Est enim crimen contra ordinem naturæ, quod proinde puniri posset a judice.

2° Sodomiæ pœna, jure civili olim statuta, erat pœna mortis : imo hæc pœna fuit etiam sic exasperata, ut cadavera reorum, morte punitorum, igne comburebantur, ut patet ex codice Theodosiano. Præterea ipso jure dominio bonorum suorum, fisco cedentium, privabantur.

Jure ecclesiastico, sequentes pœnæ statutæ sunt huic crimini : laicus, reus hujus nefandi criminis, a fidelium communione arcendus est, donec condignam pœnitentiam egerit (c.4, *de Excess. præl.*). Si conjugatus sit, conjux innocens non secus ac ob adulterium, ab eo potest divertere : eruitur ex can. *Omnes,* 7, causa 32, quæst. 7.

Clericus vero privatus beneficio, officio et ab ordine clericali degradatus, detruditur in arctum monasterium ad agendam pœnitentiam (c. 4 sup. cit.). Pius V addidit degradationem et traditionem curiæ sæculari, ut reus afficiatur pœnis latis contra laicos. Quoad pœnam amissionis privilegiorum clericalium, requiritur sententia condemnatoria judicis.

Quærebant olim canonistæ, an reus criminis sodomiæ, si

celebret vel ministret in ordine irregularitatem incurrat? Sed hodie nulla dari potest dubitatio; cum nulla sit censura latæ sententiæ, sequitur quod non sit irregularitas ex violatione censuræ. Tamen sodomita notorius est irregularis ratione infamiæ et scandali.

Sodomia imperfecta non eisdem pœnis subjicitur, sed mitioribus ad arbitrium judicis.

3° Bestialitas punitur instar sodomiæ. Olim ex const. Car. V hujus criminis rei comburebantur una cum bestia, conformiter Levit., xx, 15, ne tam horrendi flagitii memoria permaneat aut renovetur. Bestialitas est omnium peccatorum contra naturam gravissimum.

c) Ad hunc titulum reduci potest *lenocinium*, quod est delictum publicum, quo pater liberos, maritus uxorem vel alias quascumque feminas exponit prostituendas, vel earum prostitutionem permittit, quæstus causa.

Puniebatur jure civili Romano, in patre et marito pœna gladii; in aliis, ex const. Caroli V, pœna arbitraria, ut præcisione aurium, fustigatione, exsilio, juxta qualitatem delicti. Pœna tutoris castitatem pupilli violantis erat deportatio et confiscatio bonorum.

Jure Gall. ex art. 334 Cod. pœn., ascendentes vel tutores qui filios, pupillos, etc. exponunt prostituendos, damnantur ad carceres per tempus non majus quinquennio, nec minus biennio. Deinde ascendentes, tutores, heri, ministri, vel officiales publici ad pudicitiam filiorum, pupillorum, etc. attentantes, damnantur ad triremes ad tempus, si ille qui passus est injuriam, sit minor 11 annis; si vero sit minor 15 annis, remo publicæ triremis affligetur in perpetuum (art. 333 Cod. pœn.). Tandem illi qui luxuriam juventutis alere vel fovere solent, puniuntur pœna carceris (art. 334 Cod. pœn.). In hoc articulo agitur de illis qui solent mores juventutis perdere, aut plures personas vel eamdem pluries ad stuprum illexerunt.

De potestate publica meretrices permittente, diximus supra, § I, II.

TITULUS XVII.

DE RAPTORIBUS, INCENDIARIIS ET VIOLATORIBUS ECCLESIARUM (1).

NOTA. In hoc titulo, varia examinantur crimina quæ proximum lædunt in bonis fortunæ, et ideo sunt prohibita septimo præcepto, sicut in titulo superiori agebatur de criminibus sexto præcepto adversantibus. Illa crimina, quæ ad furtum pertinent, sunt raptus, crimen incendii et violatio seu effractio ac spoliatio ecclesiarum.

Licet raptus personarum ad luxuriam pertineat, habet tamen rationem injustitiæ, et sub hoc præsertim respectu hic consideratur.

SECTIO PRIMA.

De raptu.

§ I. *De raptu personarum.*

I. De natura hujus raptus.

Raptus est violenta abductio personæ honestæ, feminæ vel maris, de loco ad alium locum moraliter diversum, libidinis exercendæ causa. Unde ad raptum proprie dictum requiritur, 1° ut abductio sit violenta, et sub hoc respectu jam differt a stupro; nam stuprum fieri etiam sine violentia potest, raptus sine vi non potest : unde si puella sui juris seu sub nullius potestate constituta libere consentiat, raptus non erit. Sed nihil refert, num vi abstrahatur vel dolis circumducta in potestatem rapientis deveniat, cum in utroque casu liber consensus absit (S. Congreg. Concil., apud Gury, Baller.).

2° Requiritur, ut fiat causa libidinis exercendæ aut matrimonii ineundi, quia proprie est species luxuriæ. In foro conscientiæ et

(1) Vide Instit., lib. IV, tit. II; Pand., lib. XLVII, tit. VIII, IX, XII, XVIII et lib. XLVIII, tit. XV; Cod., lib. IX, tit. XIII, XIX, XX et XXXIII. Quoad jus Gall., vid. Cod. civ., art. 340, et Cod. pœn., art. 354 seqq.; art. 434, 435, 436, 439 Cod. pœn.; art. 184, 360 ejusd. Cod.

ut raptus constituat crimen diversæ speciei a simplici fornicatione, sufficiunt istæ conditiones.

Sed in foro externo requiritur 3° diversitas loci, seu ut persona rapta traducatur de loco in locum moraliter diversum; nam si violenter abducatur solum de cubiculo suo in aliud, ita abducens, non raptus, sed stupri violenti, pœnas incurrit. Ita com. DD. Tandem 4° dicitur « personæ honestæ », quia meretrix non præsumitur vim pati, nisi probetur. Differt a stupro proprie dicto, quia ad rationem raptus nihil confert status feminæ raptæ, dummodo hæc non sit meretrix notoria. Deinde raptus, ut plurimum, fit ea intentione ut quis puellam uxorem ducat.

II. Pœnæ statutæ contra raptores.

a) De jure civili antiquo, raptores in raptu deprehensi eisque auxiliantes ab ipsius raptæ cognatis impune occidi poterant; post raptum deprehensi jubebantur ultimo supplicio affici, et eorum bona addicebantur raptæ. In jure Gall., non agitur, nisi de raptoribus puerorum (art. 345 Codicis pœn.), vel minorum (art. 354, 357) : quovis motivo et fine fiat talis raptus, plectitur pœnis reclusionis vel damnatione ad triremes ad tempus. Quoad raptum proprie dictum seu libidinis explendæ causa, non sunt aliæ pœnæ, præter superius enumeratas contra illos qui vim inferunt mulieribus.

b) Jure canonico actuali seu novissimo Tridentini (sess. 24, c. 6, *de Ref.*), statutum est, 1° ut inter raptorem et raptam, quandiu hæc in illius potestate manserit, matrimonium nequeat iniri valide, saltem quando raptus fit matrimonii ineundi causa. Sed de hoc actum est in lib. IV.

2° Deinde ex eodem concil. (*l. c.*), raptor et alii qui consilium, auxilium et favorem eidem præbent, ipso jure sunt excommunicati et infames, ac omnium dignitatum incapaces; si clerici fuerint, de proprio gradu seu statu clericali deponuntur. Hæc tamen excommunicatio non est reservata S. Pontifici; imo nemini reservatur.

3° Tandem eadem Trid. syn. statuit, quod raptor mulierem raptam decenter, arbitrio judicis, dotare debeat, saltem si mulier invite fuerit abducta, et alias sit sui juris; nam si mulier esset sub potestate parentum vel aliorum, et his invitis volens

abducatur, raptor, juxta plures, incurreret pœnas excommunicationis et constitutionem dotis. Tamen sententia communior negat, cum concilium non loquatur nisi de raptu quo lædatur matrimoniorum libertas et alias agatur de extensione legis pœnalis (Cf. superius dicta tit. XVI, § 2).

Imo pœnæ Tridentinæ non videntur afficere raptum libidinis explendæ causa factum, sed solum illum qui ad matrimonium ineundum fit. Tamen altera sententia quæ affirmat excommunicari tales raptores, non caret probabilitate, quia actio principaliter vetita et materia præcipua excommunicationis est ipse raptus mulierum.

§ II. *De rapina rerum.*

I. De natura hujus raptus.

Rapinæ nomen, late sumptum, significat omnem illicitam usurpationem rei alienæ, sive occulte sive manifeste factam; rapina strictius sumitur pro ablatione violenta et publica; sed proprie accepta, et prout a raptu, furto et latrocinio distinguitur, est deprædatio violenta sine occisione, et definiri solet : « Rei alienæ mobilis injusta ablatio per vim facta. »

Dicitur 1° « rei alienæ », nam rei propriæ non est rapina : hinc rapinæ reus non est qui violenter rapit rem suam, vel quam saltem putat esse suam. Tamen qui, sic spreto juris ordine, jus sibi diceret et partes publicæ potestatis sibi usurparet, etsi non puniatur ut raptor, alia tamen pœna plecteretur.

Dicitur 2° « mobilis », quia res immobiles non rapi, sed invadi dicuntur. Parum refert, an res ablata sit magni vel parvi valoris, cum in rapina non tam damnum quam violatio securitatis publicæ attendatur. Dicitur 3° « per vim facta », et per hoc rapina distinguitur a furto, quippe quæ est furtum violentum, et ideo duplicem malitiam continet, unam furti, alteram violentiæ. Cæterum non refert, an vis exerceatur in viis publicis vel in ædibus privatis, armis vel sine armis; imo sufficeret, ut raptores parati sint vim inferre, si eis resisteretur.

Tandem 4° « injusta »; nam qui rem alienam juste et legitime aufert, etsi violenter, ut magistratus auctoritate publica agens, non est raptor.

II. De pœnis raptorum.

a) *De jure civili contra raptores potest agi civiliter vel criminaliter.* 1° Si civiliter agatur, raptores tenentur ad restitutionem rei vel ejus pretii, si res periit, ex art. 1302 Cod. civ. De jure civili Romano, pœna erat restitutionis in quadruplum intra annum; post annum raptor non tenebatur restituere, nisi rem rapina ablatam, una cum lucro cessante vel damno emergente. Consequenter,

2° Quærebant DD. utrum in foro interno raptor ante sententiam judicis plus restituere teneatur quam quod rapuit? Respondebant communiter neg. : sed hodie, apud nos, inutilis est illa quæstio, cum jus Gall. non imponat nisi restitutionem rei ablatæ, et alias jus naturæ non obliget, nisi ad rei ipsius restitutionem ; imo vix datur in praxi actio civilis distincta a criminali, etsi pars læsa possit judicialiter repetere rem raptam.

3° Si agatur criminaliter, raptores damnantur ad triremes in perpetuum (art. 382, 383, 385 Codicis pœn.), vel ad tempus (art. 381 ejusd. Cod.), prout rapina fit nocte, armis et effractione, concurrentibus pluribus, vel deficiente una aut altera ex illis circumstantiis aggravantibus. Olim, per ordinationem Caroli V, raptor pœnam capitalem incurrebat, quando cum armis rapuerat.

b) *De jure canonico,* 1° raptores excommunicantur; illa excommunicatio ferri potest ab episcopo loci ubi delictum commissum est, etsi delinquens sit subditus alterius diœcesis. Ratio est, quia in loco delicti maxime læditur, et ideo reparatio in hoc loco fieri debet : inde si hoc petat pars læsa, res debet remitti ad locum delicti. Ex hac etiam ratione apparet, cur ab excommunicatione lata contra raptores, solus episcopus excommunicans possit absolvere. Hic notandum est, ex c. *Super eo* h. t., quod raptores absolvi nequeunt ab illa excommunicatione, nisi prius restituant; et juxta plures, absolutio esset invalida, si negligeretur forma citati capitis.

2° Altera pœna est privatio sepulturæ ecclesiasticæ, si delinquens non satisfecerit ante obitum : consideratur tanquam mortuus in peccato mortali. Sed si satisfecit, ad pœnitentiam in vita admittitur, et in morte ad sepulturam ecclesiasticam. Si vero dederit signa pœnitentiæ, sed ablatum restituere non po-

tuerit, juxta aliquos posset admitti ad sepulturam ecclesiasticam, non quidem solemnem, cui clerici possent assistere, sed privatam in cœmeterio, in locis ubi viget jus asyli.

3° Grassatores viarum et latrones publici, si ad ecclesias et alia loca sacra confugiant, tanquam ad asylum, possunt ex iis locis etiam vi extrahi, quia sunt indigni asylo sacro.

4° Gravius puniuntur qui christianos naufragium passos rebus suis exspoliant. Olim incidebant ipso facto in excommunicationem Romano Pontifici reservatam; ut habetur in bulla *Cœnæ*, c. 4. Eamdem excommunicationem incurrebant latrunculi maritimi, infectantes mare ad ditionem Ecclesiæ Romanæ pertinens, si hoc animo prædandi fecerint. Sed hodie, post const. *Apostolicæ Sedis*, non remanent istæ excommunicationes.

SECTIO II.

De incendiariis et violatoribus ecclesiarum.

I. De incendiariis.

a) Crimen incendii committitur, dum quis dolo malo seu malitiose oppida, ædes, segetes et similia bona per se vel per alios, apposito igne, succendit. Dicitur « dolo malo », quia si incendium est fortuitum seu casu tantum fit, vel si culposum seu negligentia, imprudentia, etsi cum culpa aliqua juridica contingat, auctor illius incendii non est proprie incendiarius, quia in criminalibus culpa etiam lata non æquiparatur dolo. Si quis, jussu auctoritatis legitimæ, incendat res supra enumeratas, non reputabitur incendiarius, cum ejus actio sit legitima.

b) *Pœnæ latæ contra incendiarios.* 1° De jure canonico, laici dolose incendentes ecclesias et alia loca sacra et his contigua ad triginta passus, olim ipso facto excommunicabantur; loca vero profana incendentes excommunicari debent (can. 31 et seq. 24, quæst. 8), neque absolvendi sunt ac sepultura ecclesiastica donandi, donec satisfaciant, aut ante mortem cautionem præstent de satisfaciendo : ex eisd. jurib. et c. 5 h. t.

Contra clericos nulla specialis pœna stabilitur in jure ; unde puniendi sunt pœna arbitraria. At omnes damnati de incendio per sententiam definitivam sunt infames, ac proinde irregulares, cum incendium sit crimen capitale.

Incendiarius culposus, si culpa theologica causam dedit incendio, damna inde secuta tenetur reparare in conscientia ante ullam sententiam : voluntarie læsit jus alienum. Si vero culpa fuerit tantum juridica, juxta multos non obligaretur, nisi post sententiam; alii canonistæ distinguunt inter culpam latam et culpam levem : in primo casu, restitutio fieri deberet etiam ante sententiam judicis. Notandum est, quod in dubio incendium præsumitur fortuitum, non vero dolosum aut culposum, quia dolus et culpa, cum sit facti, probari debet ab asserente.

2° De jure civili antiquo, pœna incendii dolosi, pro qualitate delicti, erat deportatio aut pœna capitis vel ignis. Imo ex const. Caroli, art. 124, incendiarii dolosi jubentur vivi comburi. Incendiarii vero culposi pœna erat arbitraria : v. g. pecuniaria, incarceratio, attamen citra mortem et mutilationem. De jure novo, variæ stabiliuntur pœnæ : ex art. 95 Cod. pœn. incendiarii ædificiorum, horreorum, navium, etc. publicorum, ope explosionis quæ illa ædificia subruerit, pœna mortis puniuntur. Eadem pœna statuitur, in art. 434 ejusd. Cod., contra voluntarios incendiarios locorum ad habitationem inservientium et habitatorum. Mitiores pœnæ enumerantur in eodem art., quando agitur de rebus ad habitationem non inservientibus, ac proinde, citra periculum mortis : pœna est generatim damnatio ad triremes. Quoad incendiarium culposum, pœna est pecuniaria (art. 458 Cod. pœn.).

II. De violatione ecclesiarum.

a) Loca sacra violantur effractione, spoliatione, vel sacrilega ablatione rerum sacrarum. Requiritur ergo ad violationem ecclesiæ ut fiat effractio violenta et spoliatio simul; inde si quis violenter effringat loca sacra ex quibus nihil auferret, vel furaretur aliquid, nulla facta effractione, non esset proprie violator ecclesiæ, sed invasor illius aut fur sacrilegus.

b) *Pœnæ latæ contra violatores.* 1° De jure Romano, pro qualitate delicti, puniebantur exsilio, deportatione, morte.

In jure Gallico, nulla specialis pœna stabilitur contra effractores ecclesiarum : remanent pœnæ communes latæ contra effractores. Tamen in art. 360 Codicis pœn., pœna incarcerationis a tribus mensibus ad annum statuitur contra violatores

sepulturarum; et hæc violatio accipitur etiam de simplici injuria.

2° De jure canonico, violatores ecclesiarum olim ipso jure erant excommunicati, quando fit simul effractio et spoliatio (c. 19 et 22, *de Sent. excomm.*, etc.). Sed hodie, post constitutionem *Apostolicæ Sedis,* non remanent istæ excommunicationes; sed violatores puniri possunt pœna arbitraria.

Ex constitutione Benedicti XIV *Ab augustissimo,* suscipientes, exportantes aut apud se retinentes hostias, traduntur brachio sæculari, prævia degradatione si sint ecclesiastici.

TITULUS XVIII.

DE FURTIS (1).

Post crimen rapinæ, sequitur furtum, per quod proximus etiam læditur in bonis fortunæ; unde crimen utrumque opponitur septimo decalogi præcepto. Tamen furtum strictissime sumptum differt a rapina, quia fit sine vi, et ideo de utroque successive agitur in corpore juris : quare theologi, qui differentiam specificam admittunt inter rapinam et furtum, illam repetunt ex violentia; plures tamen docent hæc crimina specie non differre.

§ I. *De natura, divisione et variis modis furti.*

I. Natura et divisio furti.

a) Furtum, spectata vi nominis, venit, juxta plures, a fraude, juxta alios, a ferendo et auferendo, vel, ut volunt nonnulli, a græco vocabulo φώρ, quod significat furem. Furtum definiri solet : « Fraudulenta contrectatio, sive acceptio, rei alienæ vel ipsius usus aut possessionis, lucri faciendi causa. » Aliqui juristæ addunt : « rei mobilis et corporalis », quia in rebus im-

(1) Agitur de hac materia in Instit. lib. IV, tit. I, in Pandect. lib. LXVII, tit. II seqq., in Cod. lib. IX, tit. XXVII, seqq. et lib. VI, tit. II. Conf. art. 1302, 1953 et 1954 Cod. civ.; art. 253, 329, 379, 381 seqq. Cod. pœn.

mobilibus, ut sunt agri, et incorporalibus, ut sunt jura, actiones et servitutes, furtum proprie committi nequit; ideo dicuntur potius vi vel dolo auferri, quam furto subripi. Theologi solent accipere furtum in sensu latiori, et canonistæ, in strictiori.

b) Ex dictis facile colligitur quod furtum non dicitur ab aliquo commissum, nisi quando 1° res circa quam furtum versatur, est corporalis et mobilis : res mere incorporalis non potest esse objectum furti, cum non cadat sub sensum;

2° Quando est aliena : non committitur furtum in re propria, si ita propria sit, ut in ea nulli alteri competat jus; idem dicendum est de re derelicta seu quæ nullius est;

3° Quando actu ipso contrectatur seu aufertur, et quidem lucri faciendi causa : unde furtum non committitur sola voluntate aut etiam conatu contrectandi rem alienam;

Tandem 4° quando dominus rei est rationabiliter invitus.

c) Furtum varie dividitur : 1° in *manifestum* et *non manifestum*. Manifestum est, cum quis furatur, et in ipso facto seu actu furandi, vel in loco in quo furtum factum est, cum re furtiva visus est aut deprehensus, antequam perveniat ad locum ubi rem furtivam deponere intendit : non manifestum est, dum fur non dephrehenditur, nisi postquam rem deposuit in loco destinato. Sed hodie hæc divisio parum attenditur, cum de furto non agatur nisi criminaliter.

2° Dividitur in *simplex*, cui non admiscetur aliqua qualitas notabiliter aggravans vel mutans speciem, et *qualificatum*, cui similis qualitas admiscetur, ut vis, effractio violenta, arma, etc. Aliquando simplex opponitur sacrilegio, plagiatui, etc., ut infra notatur.

3° Potest esse *parvum* vel *magnum*, prout objectum illius est parvi vel magni momenti. Furtum potest etiam esse primum vel iteratum, diurnum vel nocturnum, domesticum vel extraneum, prout fit ab uxore, liberis et familia, vel a peregrinis seu ab aliis extra familiam. Etsi non concedatur actio pœnalis et odiosa furti, quando crimen commissum fuit ab uxore aut liberis, tamen est furtum proprie dictum, saltem ratione materiæ.

4° Dividitur etiam in furtum *rei*, furtum *usus* et furtum *possessionis*. Furtum rei committitur, cum res aliqua mobilis aliena

insumitur aliter quam deberet, ut si depositarius re deposita, contra voluntatem domini, utitur. Furtum usus est, cum quis rem alienam, domino invito, aufert. Furtum possessionis est, cum ipse dominus alium cui rei suæ possessio jure competebat, possessione ad illum pertinente privat, ut si debitor creditori invito pignus ante solutionem debiti occulte auferat. Quare, licet non detur, juxta canonistas, furtum rei immobilis, datur tamen furtum usus et possessionis; verum hæc duo posteriora non solent puniri criminaliter, et ideo non nisi materiæ ratione furta appellantur.

II. Modi varii quibus committitur furtum.

a) Varii modi quibus committitur furtum, enumerantur in specie per applicationem definitionis hactenus datæ :

1° Dominus creditori clam auferens rem a se appignoratam, aut usurario vel usufructuario rem in usum vel usumfructum concessam, furtum committit; nam, ut jam supra innuimus, est furtum usus vel possessionis.

2° Creditor, si pignore, depositarius, si deposito, commodatarius, si re commodata, contra voluntatem domini aliter vel diutius utatur, est etiam reus furti; fit enim fraudulenta contrectatio rei alienæ.

3° Item liberi fraudulenter et lucri faciendi causa contrectantes rem patris, quia vere contrectant rem alienam cujus dominium ipsi non habent; licet pater et liberi censeantur una persona, et ideo generatim non detur actio furti contra liberos, tamen verum est quod liberi non habent dominium bonorum patris.

4° Uxor, quæ de rebus mariti fraudulenter aliquid sublegit, etiam furtum committit : casus ille in omnibus similis est superiori.

5° Qui furtum mandat aut furi auxilium præstat vel consilium, si furtum sit secutum, furti tenetur; verum si furtum fuisset secutum, etiamsi consilium non datum fuisset, furtum non imputaretur consulenti, qui tamen in jure Rom. puniebatur pœna extraordinaria.

6° Qui rem furtivam scienter a fure emit, vel eamdem accipit in solutum, reus est furti, quia acceptatio in solutum emptio et venditio reputatur. Tamen illud furtum non punitur pœna ordinaria furti.

7° Denique jure canonico, quasi furtum aut rapinam committunt qui beneficium ecclesiasticum sine legitima institutione occupant (10, caus. 7, 9, q. 1; cap. 18, *de Reb. spol.*, etc.). Tamen non furtum proprie dictum est, cum non committatur in re mobili vel corporali.

b) *Quædam dubia solvuntur.* 1° Qui furem non indicat, non est furti reus, nisi ex officio publico, adeoque ex justitia, teneatur injuriis et criminibus obviare : constat ex jure Rom. Ratio est, quia reapse non consentit furi, cum omittat detegere personam furis, non ut favorem ei præstet in furto, sed quia timet ejus supplicium aut pœnam gravem. Tamen si præceptum superioris aut charitas proximi ad personam furis detegendam urgeret, furem indicare teneretur, non tamen lege justitiæ et sub pœna furti. Hinc qui ex officio, præsertim publico, obstringitur ad impediendum furtum, tenetur indicare. Ita etiam custodes sylvarum, agrorum, etc., et famuli custodientes bona domini (S. Lig., III, n. 573).

2° Qui bona fide accipit vel detinet alienum, putans esse suum, non committit furtum ; deest enim fraudulenta contrectatio.

Qui, domino expresse vel tacite consentiente, rem illius aufert, non est reus furti ; nam ad furtum requiritur, ut contrectatio rei alienæ fiat invito domino.

III. Variæ species furti quæ enumerantur in jure civili, Romano vel Gallico.

1° est *crimen tigni juncti,* dum quis ex alieno tigno, sive ex aliena materia ædificat : v. g. si pro ædificio, adhibeat alienos lapides, arenam, trabes, etc. Nomine tigni veniunt hæc omnia. Qui ergo scienter et mala fide junxerat tignum alienum, tenebatur actione in duplum. Non restituebatur tignum, sed ejus pretium solvebatur.

2° *Crimen in hæreditatem* committebatur a servo qui testamento liber esse jubebatur, si quid dolo malo vel culpa lata ex hæreditate surripiebat vel corrumpebat ; tenebatur etiam actione prætoris in duplum.

3° *Arborum furtim cæsarum* crimen committitur, dum quis clam, ignorante domino, arbores cædit, deglabrat aut decor-

ticat, ex quo arbores emori solent. Variæ concurrebant actiones, ut actio arborum furtim cæsarum in duplum, actio furti, dum arbores cæsæ auferebantur, etc. In jure Gallico, pœna incarcerationis a sex diebus ad quinque annos statuitur, juxta gravitatem criminis (art. 445, 446, 447 Cod. pœn.). Simile crimen committitur ab eo qui destruit surculum insitum (art. 447 Cod pœn.), vel cædit segetes aut pabula (art. 449 ejusd. Cod.). Pœna a jure determinata est incarceratio, cujus duratio, in primo casu, erit major duobus annis, in secundo, duobus mensibus.

4° *Crimen concussionis* fit, dum quis injustum timorem incutit, pecuniæ vel alterius rei extorquendæ causa; concutiens timorem arbitrario puniebatur, et res extortas restituere debebat. In jure Gallico, vox concussionis aliter accipitur : concussionis enim nomine venit quælibet exactio pecuniæ indebitæ, facta ab officialibus publicis seu collectoribus quibuslibet tributorum. Differt a peculatu, quia is committitur in damnum privatorum. Ex Cod. pœn. (art. 116), pœna est incarceratio a duobus ad quinque annos, præter aliquam mulctam.

5° *Crimen abigeatus* committitur ab eo qui pecora ex pascuis vel ex armentis subtrahit. *Armenta* dicuntur majora animalia, ut boves et equi; *grex* constat ex minoribus pecoribus, ut ovibus, capris. Tamen aliquis non censebatur abigens, nisi susciperet ex minoribus pecoribus vel totum gregem, puta decem oves, vel quinque porcos, vel saltem ex majoribus sive armentis, unum pecus. Hodie abigei puniuntur ut fures qualificati, sive in jure Gall. (art. 338 Cod. pœn.), statuitur pœna incarcerationis, quæ protrahi nequit ultra quinque annos.

6° *Crimen receptationis* fit, dum quis furem sive alium maleficum scienter recipit in sua vel aliena domo eumque occultat. Puniebatur pari cum malefico ipso pœna, quia æstimabatur in pari culpa. Hodie in jure Gall., ex art. 61 Cod. pœn., qui solent recipere, occultare latrocinatores seu latrones qui violenter perturbant securitatem publicam et privatam, puniuntur ut complices eorumdem latronum. Diximus : « qui solent », quia qui semel tantum vel iterum dedisset hospitium maleficis, non censeretur complex. Notandum est etiam, quod hæc complicitas admittitur tantum quoad crimina commissa ipso tempore receptionis et non ante.

7° *Crimen effractionis* est, dum a furibus fores et parietes violenter perfringuntur diripiendi causa. Crimen *expilationis,* quod est valde affine crimini effractionis, committitur dum prædones, alienas ædes aut villas expugnantes, spoliant. Expilatio est completa exspoliatio. Expilatores et effractores, cum sint fures atrociores, gravius puniuntur.

Contra effractores et expilatores variæ erant pœnæ in jure Rom., pro qualitate delicti, generatim ultimum supplicium. In jure Gall. (art. 384, 392, 397 Cod. pœn.), crimen effractionis et expilationis, dum scalis ascensus tentatur, punitur pœna triremium ad tempus, juxta gravitatem delicti. Gravius enim vel levius est crimen pro natura locorum quæ invaduntur, et clausuræ quæ effringitur.

8° *Crimen expilatæ hæreditatis* est, dum extraneus quasdam res mobiles subripit ex hæreditate jacente, seu antequam hæredes apprehendant possessionem. Theologice est furtum, licet in rigore juris non sit furtum, cum furtum non sit nisi de rebus jam possessis; sed jure civili puniebatur gravissimis pœnis, generatim laquei. In jure Gall. nulla decernitur pœna particularis. et ideo illud crimen punitur ut furtum, juxta qualitatem et circumstantias delicti. Si expilator esset ipse hæres, censeretur potius rem suam quam alienam submovisse, et idem dicendum de uxore.

9° *Crimen termini moti* est, dum quis dolose terminos seu limites fundorum mutat, vel ut præcise alteri noceat vel ut aliquid de fundo alieno detractum suo addat. Variæ erant pœnæ in jure Rom. ; nunc in jure Gallico (art. 389 Cod. pœn.), illud crimen pœna reclusionis plectitur.

10° *Crimen repetundarum,* puta pecuniarum, est dum magistratus vel officialis publicus sordide accipit pecunias ob judicandum vel decernendum, et generaliter ob præstandum id quod ex officio suo præstare debet. Ex art. 177 Cod. pœnalis, officialis publicus sic pecunias accipiens punitur degradatione civica et restitutione in duplum.

11° *Crimen peculatus,* juxta jus Romanum, est furtum pecuniæ publicæ seu fiscalis. Furtum rei sacræ proprie dicitur sacrilegium, et non simplex peculatus, licet res sacra, ut sacra, sit etiam publica. Committitur etiam sacrilegium, quando res non sacra de

loco sacro fraudulenter aufertur. Contra crimen peculatus variæ mulctæ stabiliuntur in jure Gall. (art. 169, 172), præter pœnam triremium ad tempus, si pecunia sublata excederet 3,000 francos.

12° *Crimen de residuis* est illud quo tenetur magistratus qui pecuniam publicam in certum usum retinet determinatam, neque eam fisco seu ærario publico infert. In jure Gall., crimen de residuis non videtur differre a crimine peculatus.

13° *Plagium* est crimen publicum quo liber homo vel servus alienus furtim abducitur, animo illum celandi, seu est furtum liberi hominis. Ex veteri jure Rom., plagiarii puniebantur, pro qualitate delicti, exsilio, damnatione ad metalla, et aliquando gladio. Ex jure Gall., retentio et detentio hominis punitur pœna triremium ad tempus vel in perpetuum, juxta gravitatem delicti seu durationem sequestrationis (art. 341, 342, etc. Cod. pœn.).

§ II. *Causæ excusantes a furto.*

a) *Prima causa est compensatio.* Unde furtum probabilius non committit creditor qui debitori aufert quantum hic ipsi debet, quando debitum est liquidum, et alia ratione sine magno incommodo obtineri non potest; tamen requiritur etiam ut auferens caveat ne ab ipso vel hæredibus debiti compensati solutio fiat. Ratio est, quia furtum committitur contrectatione rei alienæ animo lucri faciendi; atqui in præsenti casu res aliena non contrectatur hoc animo, sed ut acquiratur quod debitum est. Affirmant aliqui committi furtum, quia prohibitum est ut quis in propria causa suus sit judex.

b) *An furti reus sit rem auferens in necessitate?* Distinguendum est inter necessitatem communem, gravem, extremam : in priori casu, certum est apud omnes rem alienam accipientem, invito domino, committere furtum ; talis necessitas non facit res communes, nec tribuit jus in re aliena.

1° Si agatur de necessitate *extrema*, certum est auferentem a furti labe immunem esse : in hoc casu, res ablata fit communis, et sic desinit esse aliena; deinde dominus irrationabiliter esset invitus, cum denegare nequeat quod ipsa natura tribuit. Hæc necessitas est potior divisione bonorum. Hoc intelligi potest, non

solum de comestibilibus, sed etiam de rebus aliis : si comestibilia non reperirentur, istæ res vendi possent, ut ex eorum pretio cibaria emantur. Verum, si ageretur de re magni valoris, plures negant necessitatem excusare a furto, quia charitas non obligat cum tanto dispendio, et necessitas non confert jus ad bona extraordinaria ; sed sententia probabilior affirmat, quia necessitas facit bona communia (S. Lig., *l. c.*, n. 520).

2° Sed quando agitur de necessitate *gravi*, non omnino concordant CC. Igitur opus est distinctione. Si agatur de gravi quæ sit *quasi extrema* seu extremæ proxima vel gravissima, cujusmodi est periculum proximum subeundi jacturam *valde* gravem vitæ, sanitatis, libertatis, famæ, probabilius potest accipi res aliena ; quia etiam in hoc casu, dominus esset irrationabiliter invitus, cum immineat periculum personæ, et aliter, ut supponitur, huic necessitati subveniri nequeat. Censentur homines per pactum implicitum consensisse. Suffragatur S. Lig., *Hom. Apost.*, II, 15. Sed non potest semper facile definiri quandonam quis versetur in *quasi extrema* necessitate : unde TT. varios expendunt casus. In foro externo, judicium relinquitur prudentiæ judicis.

3° Si agatur de gravi quæ sit quasi communis, non licet rem alienam accipere, cum non æstimari possit naturam alicui velle succurrere per gravem jacturam alterius ; ideo non præsumitur Deum, auctorem naturæ, vel homines communi consensu dare licentiam accipiendi rem alienam pro tollenda tali necessitate.

Priori parti distinctionis non obstat damnatio propositionis 36 inter proscriptas ab Innocentio XI : « Permissum est furari, non tantum in extrema necessitate, sed etiam in gravi ; » nam, juxta plures, damnaretur tantum furtum formaliter sumptum (vide P. Baller., not. ad n. 616, tom. II) ; porro furtum est intrinsece malum. Juxta alios, Schmalzg. (tit. *de Furtis,* n. 48), posset intelligi hæc propositio de necessitate gravi latius sumpta, seu de quasi communi.

Sequitur, 1° pauperem in extrema necessitate positum, non posse plus auferre quam sibi necessarium, cum bona desinant esse communia statim ac cessat necessitas ; quare si sufficeret usus rei, proprietatem sibi tribuere non posset pauper. Unde generatim bona fiunt communia in extrema necessitate, non

quoad dominium, sed quoad usum necessarium; tamen res ipsa posset vendi, ut emantur victualia.

2° Ad subveniendum necessitati alienæ, potest suscipi res aliena, non secus ac si ageret de necessitate propria, cum auferens rem alienam tunc censeatur vices gerens ipsius indigentis: quod quis potest per semetipsum potest per alium; deinde lex charitatis tunc obligat ad providendum proximo, nisi gravia incommoda providens subire debeat.

An ille qui consumpsit rem ablatam in extrema necessitate teneatur postea illam restituere, dicetur infra.

c) Qui rem inventam, non derelictam a domino, retinet, pro fure habetur, si constat de rei inventæ domino, et res retineatur animo eam non restituendi. Si res fuisset derelicta a domino cum animo eam non amplius possidendi, detentor non esset fur in foro externo, licet in foro interno retineat sine titulo, ac proinde furti reus remaneat. Item, si ignoratur dominus rei inventæ, et inventor nullo modo inquirat dominum illius rei: nam rem alienam animo lucri faciendi et invito domino contrectat. Sed si per præconem vel aliter dominum inquisierit, a furti labe immunis est, si rem inventam retineat, saltem quando nulla spes apparet de inveniendo domino. Posset in illo casu rem illam conservare, cum res censeatur derelicta, sive dominum non amplius habeat: censetur nacta naturalem libertatem. Consultius tamen ageret qui rem ejusmodi usibus piis aut pauperibus expenderet, licet possit illam in proprium usum expendere, cum facta sit primi occupantis.

Quandonam nulla remaneat spes de comparituro domino, non potest definiri ex solo intervallo temporis alicujus assignati, cum hoc pendeat ex circumstantiis. Posset tamen generatim definiri ex diligentia adhibita juxta leges vigentes. Porro jus Gallic. per art. 2279 Cod. civ. concedit domino contra detentorem rei inventæ actionem rei vindicativam per tres annos a die amissionis.

§ III. *Modus procedendi contra fures.*

Nota. Ex furto nascitur duplex obligatio : una restituendi rem furto ablatam; altera subeundi pœnam a jure taxatam. Hinc

læso per furtum datur tum *rei vindicatio* et *condictio furtiva*, tum *actio furti* et *accusatio criminalis.*

I. Rei vindicatio.

a) Rei *vindicatio*, seu actio realis ac rei prosecutoria, datur adversus possessorem rei furtivæ, sive fur ipse possideat, sive alius quilibet, quia vitium rei furtivæ reale est. Hæc actio potest etiam institui contra emptorem rei furtivæ, sive bona sive mala fide rem emerit. Obligatio restituendi rem furtivam oritur tam ex re accepta, quam ex injusta acceptione ; unde quando res illa in se vel in æquivalenti seu fructu a se relicto, est penes furem, obligatur iste ex utroque capite. Si res fuerit a fure in alium translata, qua ditior iste inde factus est, cessat obligatio ex re accepta, et manet obligatio ex injusta acceptione.

b) An qui in extrema necessitate alienam rem abstulit, postea teneatur ad restitutionem ? Si locupletior factus non sit, evidenter non tenetur ad restitutionem, cum non remaneat nisi solus usus rei ; sed si locupletior sit factus, non omnino consentiunt CC., cum ipsa res ablata remaneat in se vel in æquivalenti.

Juxta primam sententiam, teneretur ad restitutionem, tum quia extrema necessitas facit res communes solum quoad usum, non autem quoad dominium, tum quia dominus non tenetur rem suam donare patienti extremam necessitatem ; sufficit ut eam det in mutuum.

Juxta alteram sententiam, quæ est communior, distinguendum est, an res accepta sit usu consumptibilis vel non : in secundo casu, eam accipiens, postquam necessitas transiit, restituere debet : ita omnes. In primo casu, si res fuerit consumpta, nulla est obligatio eam restituendi ; nam non videtur unde nasceretur obligatio illam restituendi : non ex re accepta, quæ bona fide fuit consumpta ; non ex injusta acceptione, quippe quæ facta est licita in hac extrema necessitate ; tandem non ex contractu vel quasi-contractu, quia talis reapse non intercessit, nec a jure præsumitur intercessisse.

II. De condictione furtiva.

a) Hæc condictio est actio personalis, civilis, rei persecutoria,

extraordinaria, perpetua, qua rei furto ablatæ restitutio, si exstat, vel si non exstat amplius, ejus æstimatio omneque interesse, petitur.

b) Duplex est, scilicet *condictio certi*, seu simpliciter condictio, qua res ipsa furto ablata repetitur, et *condictio incerti*, qua non res ipsa, sed possessio, usus vel interesse postulatur. 1° *Condictio certi* competit soli domino ejusque hæredi : condicere etiam possunt bonæ fidei possessores, quia locum domini sortiuntur ; item tutor, curator loco pupilli et minoris ; non vero commodatarius, conductor, etc., quia non sunt domini nec instar domini.

2° *Condictio incerti* datur creditori cui pignus surreptum est, commodatario et conductori quibus res commodata aut locata fuit subtracta. Ratio est, quia eorum vel maxime interest rem subreptam non esse.

3° Datur hæc condictio tum adversus ipsum furem, sive manifestum, sive non manifestum, ejusque hæredes, tum etiam adversus illos quorum opera, vel consilio conjuncto cum opera, furtum aut rapina est perpetrata : requiritur enim ut cooperatores per modum causæ physicæ, et non tantum per modum causæ moralis, furem adjuverint. Etiamsi res sit in aliam formam transmutata, potest hac condictione repeti.

4° Quando condictio certi instituitur, probari debet, præter furtum seu factum, ipsum dominium, saltem minus perfecte : etenim non requiritur probatio perfecta et plena ipsius dominii, quæ difficiliorem redderet institutionem illius condictionis. In condictione incerti probandum est quod actoris intersit rem ablatam non fuisse.

III. De actione furti.

1° Duplex erat : alia, quæ consurgebat ex furto manifesto, prætoria erat et dabatur in quadruplum ; alia autem ex furto non manifesto, et erat civilis ac dabatur in duplum. Utraque dicitur mere pœnalis actio, quia tantum ad pœnæ persecutionem pertinet. Res vel ejus pretium quadruplicabatur in furto manifesto, quia ultra læsionem datur scandalum quod reparari debet. In jure Gallico, sola res vel ejus pretium restitui debet.

2° Competit tam domino rei quam alteri cujus interest rem

ablatam non fuisse. Datur contra eum qui furtum fecit vel ad id, auxilio vel consilio suo, efficaciter cooperatus est; sed non datur contra hæredem furis, quia mere pœnalis est. Generatim etiam non datur parentibus contra liberos, aut liberis contra parentes, aut uni conjugum contra alterum, si aliquid sibi invicem auferant : ratio est, quia hæc actio est famosa. Ex jure Gall. (art. 380 Cod. pœn.), conceditur rei vindicatio, sed subtrahentes tunc non declarantur rei furti.

3° Hæc actio non solet moveri ob rem minimam, quia æquitati adversatur ut ob furtum rei minimæ fama sugilletur, tum quia actio doli ob rem minimam non conceditur; tamen, absolute loquendo, moveri posset, quia mens furantis attendi debet.

4° Effectus actionis furti est, præter obligationem restituendi rem furto ablatam vel ejus æstimationem, infamia, saltem quando res ablata notabilis erat; nam sola actio furtiva non infamat. Unde infamia incurritur potius ratione rei ablatæ, quam ratione ipsius actionis furtivæ.

IV. De actione criminali.

a) *De jure canonico*, 1° clericus fur notorius aut furti condemnatus, fit *infamis*, sicut infamis fit fur laicus condemnatus de furto in foro sæculari; idem enim effectus in utroque foro (can. *Infames*, 17, causa 6, q. 1). Ratio est, quia quicumque secundum legem civilem infamis est, generatim infamis est etiam secundum canones, seu nisi reperiatur oppositum statutum; porro actio criminalis furti per leges civiles infamat. Sequitur quod fur notorius aut furti condemnatus fiat irregularis, ut neque ad ordines promoveri, nec in susceptis ministrare possit.

2° Præterea, si clericus in furto notabilis quantitatis, aut iterato deprehensus vel convictus sit, ab ordine et officio clericali deponendus est (can. *Presbyter*, 12, dist. 81); si vero non resipiscat, excommunicandus est (const. Clem. III, c. 10, *de Judic.*). Excommunicandi sunt etiam laici, quando fures sunt aut rem furtivam injuste detinent, ex cap. 4.

3° Excommunicatio fertur aliquando ad finem revelationis, ut, si intra certum tempus non restituant, vel qui scirent non revelent furem, sint ipso facto excommunicati (conc. Trident., sess. 25, cap. 3, *de Rest.*). Hæc igitur excommunicatio fertur per

litteras monitorias contra fures ad instantiam partis læsæ latas. Hac tamen excommunicatione non tenentur ii qui in extrema necessitate rem abstulerunt et consumpserunt.

b) *De jure civili*, si de furto agatur criminaliter coram judice civili, datur magna varietas pœnarum pro qualitate delicti. De jure antiquo pœna fuit verberatio, mulcta pecuniaria fisco applicanda, relegatio, deportatio, non tamen pœna mortis ; sed crescente audacia furum, constituta est pœna mortis, saltem pro tertio furto (const. Carl., art. 159 seqq.).

Ex jure Gallico (art. 381 Cod. pœn.), furtum commissum in quibusdam circumstantiis aggravantibus, scilicet nocte, a pluribus personis, cum armis apparentibus vel occultis, cum effractione vel falsis clavibus, etc., cum violentia aut minaci ostensione armorum, punitur pœna triremium in perpetuum. Ex art. 382, 384, 385, pœna est triremium ad tempus, quando adhibita fuit violentia, et simul duæ concurrunt vel etiam una ex quatuor prioribus circumstantiis in art. superiori enumeratis. Ex art. 386 ejusdem Codicis, pœna reclusionis sancitur, si agatur de furto cum aliquibus circumstantiis aggravantibus quæ enumerantur. Sed de his casibus diximus supra, quia agitur de furtis quæ ex toto vel ex parte revocantur ad illa specialia genera superius enumerata.

Quando agitur de furto simplici, in art. 401 decernitur pœna incarcerationis et privationis jurium civilium, quæ tempore longiore vel breviore durat, pro qualitate delicti.

TITULUS XIX.

DE USURIS (1).

Nota. Post furtum et rapinam, agitur de usura, qua etiam læditur proximus in bonis fortunæ. Usura enim in jure (can. *Si quis*, causa 14, q. 4) vocatur rapina, quia est injusta usurpatio ; recte igitur post titulos de raptoribus et furtis agitur de usuris, quæ est crimen valde affine furto et rapinæ.

(1) Quoad jus Rom., vid. Inst. lib. III, tit. xv ; Pandect. lib. XXII, tit. I ; Cod. lib. IV, tit. xxxii.

§ I. *De natura, varietate et prohibitione usuræ.*

I. Quid sit usura?

1° Usura sic dicitur ab usu, sicut cultura a cultu, ac proinde in genere significat usum alicujus rei. In hoc sensu, Cicero (*pro Rabir. Posth.*) usum vitæ appellat « usuram lucis ». Magis stricte adhibetur ad significandum incrementum vel lucrum et commodum, seu fructum ex usu rei provenientem, juxta eumdem Ciceronem (*de Senectute*) : « Terra, inquit, nunquam sine usura reddit quod accepit. » Tandem specifice accipitur pro lucro quod ex mutuo provenit, et in hac significatione hic sumitur : inde vocatur usura lucratoria.

2° Usura proprie dicta sumitur formaliter vel objective. Formaliter sumpta, est ipsa conventio de lucro dando ultra sortem, præcise ex vi et causa mutui; significat ergo contractum seu conventionem. Objective autem accepta, significat illud lucrum quod ex tali contractu percipitur. Primo modo sumpta, definitur : « Actus voluntatis interior vel exterior dandi aut accipiendi aliquod temporale ultra sortem, ex causa et vi mutui principaliter. » In secundo autem et maxime proprio sensu definitur : « Lucrum immediate ex mutuo proveniens. » Consequenter, quando creditor ultra sortem, vi solius mutui alteri dati, aliquid exigit, dicitur et est usurarius.

3° Quod mutuo datum est, dicitur *sors* sive *capitale;* quod vero accipitur ultra hanc sortem, dicitur *usura* seu fœnus vel lucrum ultra sortem. Notandum est quod nomine lucri usurarii hic non tantum intelligitur pecunia, sed quæcumque alia res temporalis pretio æstimabilis, v. g. frumentum, vinum, oleum, sive quodcumque aliud temporale, quando creditor illud ultra sortem ex vi solius mutui alteri dati exigit, et quasi ex justitia debitum accipit.

II. Quotuplex sit usura?

1° Dividitur in compensatoriam, moratoriam et lucratoriam. *Compensatoria* seu restauratoria est, quando lucrum accipitur in compensationem ejus quod nobis aufertur, puta ratione lucri cessantis, damni emergentis, expensarum in mutuo recuperando,

periculi sortis, etc. : illam esse licitam perspicuum est. *Moratoria* seu punitoria ea est, in qua pactum fit de subeunda pœna ob moram culpabilem in solvendo commissam ; et liquet etiam illam non esse illicitam. *Lucratoria* est lucrum ultra sortem præcise ex causa mutui acceptum ; et hæc est proprie usura, non vero duæ priores, quæ non proveniunt ex titulo mutui, sed ex aliis causis.

2° Dividitur in internam et externam. *Interna* est quæ in sola mente consummatur ; *externa,* quæ prodit in opus exterius.

3° Est mentalis, conventionalis vel realis, ad similitudinem simoniæ.

Mentalis est, dum ex mutuo dato intenditur aliquod lucrum ex justitia dandum, attamen sine prævio pacto. *Conventionalis* est, dum ex prævio pacto petitur aliquid ultra sortem mutui ; si hoc lucrum reipsa detur, est *realis;* si non detur, est simpliciter conventionalis.

4° Dividitur in expressam et tacitam. *Expressa* seu formalis vel manifesta est, quæ fit disertis verbis, seu per quam expresse exigitur pretium pro mutuo. *Tacita* seu virtualis illa est, quæ fit pacto implicito, in factis aut verbis relucente. Vocatur palliata, quando pactum illud videtur specie diversum a contractu mutui, ac proinde veluti pallio occultatur, ut si mercator, ob solam dilationem solutionis pretii, merces multo carius venderet.

III. De prohibitione usuræ lucratoriæ.

a) Usuræ lucratoriæ sunt prohibitæ jure naturali, divino et ecclesiastico. 1° Certum est illas prohibitas esse jure ecclesiastico : patet ex conc. Nicæn., cap. 18 relato in can. *Quoniam,* 2, dist. 37 ; ex cap. *Super eo* huj. tit. et ex Clement. *de Usuris,* ubi dicitur : « Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat exercere usuras non esse peccatum, puniendus est velut hæreticus. »

2° Communis sententia DD. est usuras esse etiam prohibitas jure divino : Lev., XXV ; Deut., XXIII, 19 ; Ps. XIV ; Ps. XLIV, 10, 12 ; Ezech., XVIII, 10, 20 ; et deinde hoc clare testantur Alex. III (cap. *Quia in omnibus,* 2, et cap. *Super eo,* 4, huj. tit., Urbanus III (cap. *Consuluit,* 10, huj. tit.), Innoc. III (cap. *Quam perniciosum,* 11, eod. tit.), tandem Leo X in conc. Later., sess. 10.

3° Quod sint etiam prohibitæ jure naturali, jam colligitur ex supra dictis ; nam Patres, concilia et S. Pontifices probant ex V. Testamento usuras esse illicitas ; âtqui non valeret probatio, si usuræ non essent illicitæ jure naturali; nam hæc prohibitio fuisset lex cæremonialis vel judicialis, quæ non amplius obligat post Christum : ergo remanet ut sit lex moralis, seu jus naturale.

Confirmatur, 1° quia omnes gentes et reipublicæ non barbaræ existimant usuras esse illicitas, ut adeo sit quasi communis persuasio hominum. 2° Jure naturæ illicitus est modus acquirendi quo, si permissus foret, facile absorberentur egentium fortunæ. Atqui hoc fieret per usuras lucratorias : sensim enim mutuatarii solvendo usuras omnia perderent. 3° Lucrum exigeretur vel pro sorte principali, vel pro ejus usu ; atqui neutrum sine injustitia fieri potest : etenim, spectata sorte, justitia commutativa exigit æqualitatem in contractu, seu non permittit ut acceptum sæpius restituatur : ex parte usus, nihil etiam accipi potest, cum usus seu utilitas rei pertineat ad dominum ; porro mutuatarius factus est dominus rei mutuatæ, quæ vi mutui spectat ad mutuatarium.

Benedictus XIV, in *Syn. diœc.*, lib. X, c. 4, n. 2 et seq., fuse exponit omnes disputationes circa usuram, et in sua celebri const. *Vix perveni,* ostendit omne lucrum, causa solius mutui, esse illicitum, utpote jure naturali, divino et ecclesiastico reprobatum.

b) Quærunt canonistæ, an princeps supremus, per leges civiles vel alias permittendo usuras, possit eas facere licitas, ita ut licite et sine peccato exigi vel accipi possint? Respondent communiter negative, tum quia Clemens V in conc. Viennensi proscripsit omnia statuta et decreta hæresi faventia, tum quia princeps sæcularis non potest tollere leges divinas aut canonicas, maxime in his quæ continent peccatum. Imo nec Summus Pontifex posset dispensando facere licitas usuras, quia S. Pontifex nequit dispensare contra prohibitionem juris divini et naturalis, in his quæ secundum se et ex objecto suo mala sunt.

Nec obstat quod titulus civilis toleratur ; nam hæc tolerantia, ut legitima dicatur, non proprie ac vere fundatur in alto dominio principis, qui posset de bonis subditorum disponere. Cætero

materia proxima usurarum non sunt res et bona civium, sed lucrum supra sortem principalem « ex sterili re vi mutui » perceptum : et ideo princeps immutaret naturam rerum et rem infrugiferam converteret in frugiferam.

§ I. *De titulis quibus cohonestari possunt usuræ.*

I. An usuræ possint aliquando cohonestari?

Usuræ possunt ex certis titulis cohonestari, ut sint licitæ. Constat 1° quia materia usurarum non est ita intrinsece mala, sicut materia mendacii, hæresis, etc., ut in nullo casu variari possit : itaque in quibusdam circumstantiis ita potest purificari, ut id quod supra sortem accipitur, juste et licite accipiatur. Materia enim usurarum subduci potest a præcepto naturali non fœnerandi, et in hoc casu non est usura formaliter sumpta, quæ nunquam potest esse honesta; sed est usura materialiter accepta, quæ evaderet honesta, ut furtum in quibusdam casibus fit honestum.

Reipsa id quod accipitur ultra sortem, non exigitur vi mutui, sed vi alicujus contractus simpliciter diversi a mutuo, qui est contractus essentialiter gratuitus; quapropter circumstantiæ efficiunt ut tollatur contractus mutui, et sufficiatur contractus onerosus. Inde formula : Ex titulis extrinsecis mutuo, non vero intrinsecis, aliquod accipi et exigi potest ultra sortem.

2° Usura cohonestatur, si Deus det jus petendi et accipiendi ultra sortem; nam Deus, cum sit dominus omnium, potest ex bonis alienis aliquid alteri attribuere. Hoc modo usuræ quas Hæbræi a gentibus exigebant, fuerunt licitæ, aut saltem permissæ, ut docet D. Thomas (2ª 2ᵃᵉ, q. 78, a. 1, ad 3).

II. Tituli ex quibus usuræ sunt licitæ.

Generatim, necesse est ut illi tituli sint mutuo extrinseci et pretio æstimabiles, secus non tollerent malitiam seu injustitiam usuræ.

a) Primus titulus est *damnum emergens* seu jactura quam patitur creditor ex mutuo dato : v. g., si nequeat reparare ædes quæ ruinæ exponuntur, vel si res suas vilius vendere cogeretur, etc. Ratio ob quam titulus ille est justus, petitur ex eo

quod beneficium non debeat esse auctori damnosum, et alias ipsa æquitas requirit ut sit æqualitas in contractu.

Tamen necesse est, juxta multos, ut super tali damno pactum liberum præcesserit, ac proinde creditor præmonuerit mutuatarium: etenim sine consensu mutuatarii non haberetur contractus circa compensationem damni emergentis. At omnes requirunt, ut mutuum vere sit causa damni, et ut nihil exigatur præter compensationem; secus non esset æqualitas in contractu.

Olim Scotus negavit titulum damni emergentis esse legitimum, et aliquis auctor recentissime exsuscitare voluit illam sententiam; sed argumenta Scoti et D. Julii Morel nullius sunt momenti, cum procedant ex falso principio; quapropter sententia affirmans seu approbans illum titulum, retinenda est, ut hodie communis et in se certa.

b) Ex titulo *lucri cessantis* etiam licita est usura, saltem juxta quantitatem spei consequendi lucrum. Lucri cessantis nomine intelligitur incrementum bonorum quod quis facturus fuisset, si pecuniam mutuo non dedisset. Creditoris enim interest ne tempore illo pro quo mutuum dedit, suo lucro legitimo privetur: secus pateretur verum damnum. Ita communis sententia, contra nonnullos qui negant; iidem ipsum damni emergentis titulum recusant.

Excipitur casus quo quis per vim, metum vel dolum injuste cogeretur ad mutuandum.

At requiritur semper æqualitas in contractu, ac proinde 1° ut illa spes lucri sit certa aut saltem probabilis, et ideo petenti lucrum incumbit onus probandi. Requiritur 2° ut mutuum sit vera causa cur cessat lucrum : v. g., si pecunia sit destinata emptioni rei frugiferæ.

3° An necesse sit ut spes lucri manifestetur mutuatario? Redit eadem varietas sententiarum ac pro damno emergente. Communis affirmat.

c) Titulus *amittendæ sortis* seu periculi sortis. Si periculum illud sit extraordinarium et proximum, constituit titulum legitimum usuræ exigendæ : tale enim periculum est pretio æstimabile, cum res in tuto pluris æstimetur, quam in periculo posita. Præterea, si abdicata sit spes lucri pretio æstimabilis, æstimabile

a fortiori erit periculum damni probabilis. Ergo ratione hujus periculi licet aliquid ultra sortem petere. Constat ex declaratione S. Congr. de Propaganda ab Inn. X approbata, anno 1645 : « Si aliquid recipiant ratione periculi probabiliter imminentis et qualitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum et id quod accipitur..... non esse inquietandos. » Excipe 1° si mutuatarius sit pauper, quia tunc præceptum mutui ex charitate urget; 2° si mutuatarius sortem per pignus assecuret, quia sic periculum cessat» (Gury, I, 859, post S. Lig.).

Olim tamen nagabant multi, cum Navarr., Soto, etc.; sed hæc sententia est obsoleta.

d) Titulus *assecurationis,* dum creditor in se suscipit periculum pecuniæ, ita ut sors sibi, et non mutuatario, pereat. Est periculum juris, et hic contractui mutui additur contractus assecurationis. Hæc assecuratio, quam nemo gratis præstare tenetur, est pretio æstimabilis. In jure civili Romano, jam admittebatur nauticum fœnus pro pecunia per mare trajicienda; sed illud fœnus est species in genere assecurationis sortis, et idem plane dicendum est de periculo marino ac de terrestri.

Nec obstat cap. fin. huj. tit.; nam vel textus intelligi debet cum negatione, « usurarius non est censendus, » vel agitur de casu quo periculum amittendæ sortis non est probabile; nam ut titulus ille sit legitimus, requiritur certum vel probabile periculum, ut supra dictum est; etenim hic titulus ad superiorem revocari potest.

Ex hoc et superiori titulo, aliquid accipi potest, licet sors non pereat, ac proinde mutuans nullum de facto damnum patiatur; nam ipsum periculum est pretio æstimabile.

e) Titulus *venditionis justæ mutuo immixtæ.* Hic titulus est legitimus, 1° si prævideatur pretium rei diminuendum, et conveniatur quod restitutio flat secundum præsentem æstimationem : v. g. pro tribus modiis tritici quorum singuli nunc valent 10 francos, restitui debent sex, quorum singuli non valerent nisi 5 francos.

2° Si non prævideatur pretium augendum vel minuendum, secluso alio pacto, restitutio mutui debet fieri in natura, secundum idem genus, quantitatem et qualitatem, sive pretium crescat sive decrescat.

f) Titulus *pœnæ conventionalis*, dum mutuatarius se obligat ad aliquid supra sortem solvendum, si tempore præfixo illam non restituat. 1° Hic titulus est legitimus, saltem si mora debitoris sit notabilis et culpabilis, nec non si pœna sit culpæ proportionata et in se moderata. Usuræ quæ percipiuntur ut pœna conventionalis, vocantur moratoriæ seu punitoriæ; cæteræ vero usuræ ex damno emergente, lucro cessante, etc. exactæ, appellantur compensatoriæ sive restauratoriæ.

2° Cum titulo pœnæ conventionalis confundi non debet titulus *dilatæ solutionis*, qui in eo consistit ut quis se obliget ad non repetendum debitum intra certum terminum; nam in hoc casu nihil exigi potest, cum hæc obligatio non repetendi intra illum terminum sit intrinseca mutuo, ut tali : quare Inn. XI damnavit sequentem propositionem : « Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor ultra sortem aliquid a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari. »

3° Pœna ob moram in solvendo potest imponi lege, statuto vel consuetudine, cum hujusmodi constitutio nihil habeat iniquitatis, imo conducere possit ad accuratiorem observantiam initorum contractuum.

Utrum etiam conventione inter contrahentes imponi possit hæc pœna? Dubitarunt olim plures. Communis tamen opinio admittit pœnam conventionalem in conditionibus supra indicatis, scilicet quando mora est notabilis et culpabilis. Procedit hoc, etiam si ex mora creditori nullum emergat damnum; quia pœna adjicitur, non tam ad damnum cavendum, quam ad firmandum contractum.

g) Titulus *legis civilis*. 1° Olim acris viguit disputatio inter canonistas, utrum, secluso alio omni titulo, usura cohonestari possit ex causis publicis, quibus innitens princeps lege sua concederet eam tanquam licitam? Plures affirmabant, quia principium generale est quod princeps, vi dominii alti, ob causas publicas possit disponere de bonis subditorum, prout melius est bono publico : quamobrem poterit dispensare princeps, ut lucrum aliquod ultra sortem ex alienis bonis proveniens cedat creditori; sed de hac ratione supra (s. 1°) actum est. Confirmant a pari ex detentione rei alienæ et usucapione, quæ sunt

ab intrinseco malæ et contrariæ præcepto naturali justitiæ, non secus ac usura ; tamen ob publicas causas princeps illas usucapiones cohonestat. Ergo.

Causæ illæ publicæ quibus innititur princeps essent : 1° ut consulatur necessitatibus et indigentiæ civium, speciatim miserabilium personarum ; 2° ut homines excitentur ad honesta commercia ; 3° ut tranquillitati tam privatæ conscientiarum quam publicæ tribunalium consulatur, ne innumeræ lites oriantur.

2° Sed potestas illa disponendi de bonis subditorum ob causas publicas non videtur vera et propria, seu proxima ratio ob quam titulus ille evadit legitimus, ut jam sufficienter constat ex supra dictis; sed vera ac legitima ratio potius est, quia taxa illa legalis respicit, non unum aut alterum privatum, sed ipsam societatem, et juxta lucrum cessans et damnum emergens, ex ordinariis conditionibus, determinatur. Quare Bened. XIV, in const. *Vix pervenit*, declarat mutuum non reddi licitum per legem, nisi concurrat titulus particularis qui sit distinctus a mutuo.

3° At quidquid sit de variis rationibus adductis et de veris causis cur titulus legalis toleretur, certum est S. Sedem sæpius de hac re interrogatam invariabiliter respondisse : « Non sunt inquietandi accipientes 5 pro 100 juxta legem civilem, donec S. Sedes circa hoc definiverit (S. Congr. S. Off. 18 aug. 1830, 9 sept. 1837, 26 mart. 1840, 28 feb. 1872; S. Pœnit. 14 aug. 1831 ; 11 feb. 1832). In his responsionibus non datur positiva permissio, sed praxis toleratur, ut expresse dicitur in respons. S. Pœnit. 7 mart. 1835, et ideo quæstio juris non fuit soluta per illas declarationes S. Sedis (Vide decreta apud Thom. ex Charmes, t. IV, ad calcem). Quibus addi potest sequens responsio ibi non recensita : S. Congr. S. Off. die 25 febr. 1872 interrogata « se oggi sieno da inquietarsi quei luoghi pii, monache et monasteri, che ricevano il frutto del loco capitale *dei sei per cento*, stante che oggi si da et si riceve nell' andiamento commune ? » S. Congr. respondit : « Juxta responsiones alias datas, dummodo sint parati stare mandatis S. Sedis, non esse inquietandos. »

h) Quid sentiendum sit de titulo, recentius invecto, qui dicitur *fecunditas pecuniæ?* 1° Non desunt auctores qui admittunt illum titulum, distinctione tamen facta inter mutuum datum pau-

peribus et datum divitibus ; nam prioribus datur ad usum tantum, divitibus vero datur ut fructificet et isti ditiores fiant ex mutuo : propterea pecunia dicitur fecunda, cum videatur per se fons et causa divitiarum, ut patet ex tot societatibus mensariis, in quibus pecunia, non mutata in res alias, fructificat. Inde titulus novus quo usura cohonestaretur.

2° In hac re non habetur responsum decisivum S. Sedis, licet sint quædam verba satis dura contra sententiam affirmantem. Sed, spectata rei natura, hæc fecunditas videtur potius figmentum quam factum comprobatum ; ideoque tanquam verior tenenda est sententia quæ rejicit illam fecunditatem. Imprimis pecunia non est per se fecunda; nam aliud est pretium pecuniæ in re, aliud pretium ejusdem in alias res frugiferas per activitatem mutatum : ante laborem pecunia erat sterilis de se. Si ergo esset titulus exigendi usuras, hic titulus esset quædam participatio actioni alterius, et non proprie mutuum ; verumtamen illa actio alterius consistit, in societatibus pure mensariis, in meris commutationibus inter pecuniam in re et titulos illam pecuniam repræsentantes : quibus de causis hic titulus non fuit introductus sine aliquo fundamento probabili. Sed quidquid sit de hac fecunditate pecuniæ, remanet ut nullus possit admitti titulus intrinsecus ipsi mutuo, ut sic ; sed omnes tituli debent esse extrinseci.

§ III. *Contractus usuræ affines.*

a) *Anatocismus*, seu usuræ usurarum, et *antichresis,* seu fructus ex re pignorata ultra sortem, continentne usuram? Respondetur affirmative, nam quoad primum, constat ex variis juribus ; deinde non videtur quo titulo extrinseco cohonestari possint ejusmodi usuræ, cum sint lucrum ex lucro usurario non soluto. Excipiunt tamen communiter DD., si usura fuerit numerata, nempe si quæstus ex mutuo jam fuerit solutus, quia tunc nihil prohibet eum invertere per modum sortis seu capitalis. Gury (n. 873) putat « interesse ex ipso interesse (les intérêts des intérêts) », ut ait, percipi posse, si adfuerit conventio particularis, sive explicita sive implicita, « quia redditus, elapso termino, semper capitali adjiciuntur». Sed multi rejiciunt hanc

doctrinam, quotiescumque agitur de usura non soluta (Schmalz., h. t. n. 220 et seq.).

Quoad secundum seu antichresim, hæc fuit reprobata a concilio Lateranensi sub Alex. III, ut usura palliata. Deinde, spectata rei natura, est etiam reprobanda, quia ex una parte creditor recepit sortem integram, et ex altera fructum rei frugiferæ ultra sortem accepit.

b) Contractus *mohatra,* ut dicunt Hispani. Per illum contractum aliquis, pecunia indigens, merces credito emit, et statim eas vendit eidem mercatori viliori pretio, sed numerata pecunia. Est ergo mutuum palliatum cum auctario, et nihil aliud intendunt contrahentes. Quare damnatus est ille contractus ab Innocentio XI, prop. 40 : « Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri. »

c) *Trinus contractus.* Est contractus societatis cui adjicitur duplex contractus assecurationis, vel contractus assecurationis et venditionis majoris lucri incerti pro minore certo : v. g. aliquis tradit mercatori, et cum eo societatem init, vi cujus particeps fit lucrorum, quæ juxta spem erunt 15 p. °/₀; sed metuens ne capitale pereat, mercatori promittit 5 p. °/₀, ut illud assecuret, et sic non amplius sperat nisi 10 p. °/₀. Tandem quia illi redditus adhuc sunt incerti, vendit mercatori lucrum illud incertum pro minori certo, seu tradit alia 4 p °/₀, ut mercator assecuret 6 quæ supersunt. Sic obstringitur mercator ad reddendam integram sortem, cum auctario 6 p. °/₀.

Quando tres contractus ineuntur simul cum eadem persona, a multis reprobantur, ut usura palliata : alii tamen trinum contractum putant immunem ab usura, quia non reapse recedit in mutuum, sed est contractus alterius speciei. Multo magis excusatur ab eisdem auctoribus, ut immunis ab usura, si ineatur successive, vel etiam cum diversis personis.

d) *Pactum antidorale,* quo aliquis sibi quid reservaret titulo gratitudinis vel benevolentiæ, habendum est pro usurario; nam, vi pactionis, petit aliquid sibi præstari, ut debitum. Unde Inn. XI damnavit sequentem propositionem : « Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum. » Tamen si quis peteret aliquid sibi præ-

stari libere, non esset usurarius, licet talis petitio sit periculosa: vera libertas plerumque deest, qualis requiritur ad donum gratuitum.

e) *Cambium,* montes pietatis, olla fortunæ, emptio chirographi seu debiti litigiosi et difficulter consequibilis, contractus societatis, ex sese sunt immunia a vitio usuræ; nam 1° in cambio reali, seu manuali, in quo pecunia, v. g. argentea, permutatur cum pecunia aurea vel locali (dum pecunia datur campsori in uno loco et restituitur in altero), adsunt tituli sufficientes, vi quorum aliquid accipi possit ultra pecuniam permutatam.

2° *Montes pietatis* sunt cumulus rerum quarumdam, ad id collectus, ut pauperes, dato pignore, necessaria ex monte illo accipiant. Sunt ergo pietatis æraria, piorum liberalitate constituta, ex quibus indigenti datur certa quantitas pecuniæ, frumenti, receptis pignoribus, ea lege ut si præfixo termino non solvat, pignus vendatur, et ita mons pietatis suam sortem et aliquid ultra recipiat, reliquum vero debitori restituatur. Ut montes pietatis sint liciti, requiritur ut non accipiatur ultra sortem, nisi id quod est necessarium ad mercedem ministrorum domusque administrationem. Ille excessus recipitur ex titulo extrinseco.

3° *Olla fortunæ* est etiam immunis a vitio usuræ, quia spes emitur, sicut emi solet jactus retis; talis autem spes est pretio æstimabilis.

4° Emptio chirographi litigiosi et difficulter receptibilis fieri potest, retenta parte valoris nominalis; nam in communi æstimatione, minus valet, et ideo si minoris ematur, nulla est usura; secus, si debitum esset liquidum et facile consequibile, et minoris ematur : tunc esset usura palliata, ut patet ex prop. 41 ab Innoc. XI damnata.

5° In contractu societatis ubi lucra et damna sunt communia, nihil usurarum apparet: secus, si adderetur pactum quo lucrum sit commune, non vero damnum : tunc enim deficit æqualitas et justitia, estque talis societas leonina.

6° Emptio census sive realis sive personalis est licita, attento jure naturali. Sed Pius V in const. *Cum onus* prohibuit emptionem census personalis. Census seu pensio annua dicitur realis, quando constituitur in re frugifera, ut agro, vinea, domo, etc.,

et personalis, quando constituitur in personæ industria et labore.

Sunt etiam alii multi contractus de quibus dubitari potest an sint usurarii. Cum de illis nihil statuatur in jure canonico, et alias a moralistis expendantur, ad alia progredimur.

§ IV. *De judice, pœnis et restitutione usurarum.*

a) *Judex.* 1° Crimen usurarium est mixti fori, adeoque judex illius est laicus, vel ecclesiasticus et servatur jus præventionis. Ita communior sententia ex cap. 12 huj. tit. contra quosdam, qui putant quæstionem juris de usura pertinere ad solum judicem ecclesiasticum. Ratio illius communioris sententiæ est, quia usura non plus spiritualitatis habet, quam alia delicta adversantia justitiæ, ut furtum, homicidium, etc. 2° Judici constare potest aliquem esse manifestatum usurarium, tum si factum ipsum fuit notorium, tum ex confessione delinquentis, tum per legitimos testes, tum denique ex conjecturis vel ex libris rationum.

b) *Pœnæ* usurariorum sunt sequentes :

1° Infamia jure Romano introducta est, et in jure canonico recepta fuit (can. *Infames,* 2, causa 3.). Cessat tamen, si usurarius resipiscat. Propter illam infamiam, usurarii fiunt irregulares (can. 2, dist. 37, can. 8, dist. 46, etc.). 2° Satisfacere nolentibus deneganda est absolutio sacramentalis, Eucharistia et ecclesiastica sepultura (c. 3 h. t., c. 2 eod. in 6°). Olim clerici eos sepelientes erant ipso facto excommunicati ex Clem. 1ª, *de Sepult.;* sed hæc pœna fuit sublata per const. *Apostolicæ Sedis.* 3° Fiunt intestabiles active (c. 2 huj. tit.), et olim confiscabatur sors illorum, vel tota vel pars, pro qualitate delicti. At istæ pœnæ juris locum non habent, nisi in usurario manifesto; sed judex potest afficere non manifestos pœna arbitraria, pro qualitate delicti.

c) *Restitutio usurarum.* 1° Usurarius tenetur ad restitutionem ejus quod inique accepit. Hæc obligatio transit ad hæredes, ut constat ex cap. 9 huj. t. Ratio est, quia res illæ non fuerunt defuncti, ac proinde nec hæredis esse possunt. Tamen hæredes, et multo magis legatarii, saltem juxta probabiliorem sententiam,

non tenentur, nisi juxta vires hæreditatis, cum et ipsi parentes, quibus in jure canonico æquiparantur hæredes, non teneantur ultra facultàtes. Probabilius etiam non tenentur in solidum, saltem si factum est inventarium.

2° Cooperatores ad usuras exigendas, si sunt causa efficiens cur usuræ exigantur et solvantur, tenentur ad restitutionem, saltem secundo loco, quando usurarius non vult vel non potest restituere. Sic notarius faciens scienter intrumentum quo palliantur usuræ; judices, procuratores, quorum ope exiguntur usuræ; tutores, curatores, administratores et negotiorum gestores qui nomine pupillorum, vel eorum quorum negotia gerunt, mutuant sub usuris, tenentur ad restitutionem. Ita communiter canonistæ.

3° Mutuatarius non tenetur solvere usuras promissas mere lucratorias; nam cum istæ injuste petantur, nemo tenetur ad illas solvendas. Si tamen promissio usurarum fuisset juramento firmata, ob reverentiam juramenti, quod hic sine peccato servari potest, solvendæ sunt usuræ, ut colligitur ex cap. 6 *de Jurej.* et cap. 5 huj. tit. Sed solutum mox repeti potest, vel revindicatione, si pecunia exstet, vel condictione, si pecunia bona fide consumpta est.

TITULUS XX.

DE CRIMINE FALSI (1).

NOTA. Post crimen furti et usuræ, agitur de falsi crimine; nam ex una parte, usurarii plerumque utuntur falsitate ad extorquendas usuras illicitas; ex altera, fures, etiam falsitatis fuco, decipiunt, ut tutius rapere possint. Igitur crimen falsi simile est criminibus furti et usuræ.

(1) Quoad jus Rom., vid. Inst. § 7 *de Publ. jud.;* Pandect. lib. XLVIII, tit. x; Cod. lib. XIX, tit. XXII-XXV; Nov. 73; — Quoad jus Gall., art. 53, 139, 149, 1319, Cod. civ.; art. 214-251, 427, 480 Cod. proc. civ.; 448-464 Instr. crim.; lib. III, c. III, sect. 1. Cod. pœn.

I. Quid et quotuplex sit crimen falsi?

a) *Quid?* 1° Falsum generatim est id quod non est verum; strictius, in ordine ad præsentem materiam, est mutatio veritatis cum dolo facta, quamvis alteri ex hoc nullum enascatur præjudicium; tandem proprie acceptum, est illud quod committitur cum dolo simul et damno alterius, et in hoc sensu definiri potest : « Fraudulenta immutatio veritatis facta in præjudicium alterius. »

2° Sequitur quod ad crimen falsi tria requiruntur : 1° fraus seu dolus, et ideo qui dicit falsum quod putat esse verum, falsi criminis non tenetur : imo non sufficit dolus præsumptus, sed vere illum adfuisse probari debet; 2° immutatio veritatis; etiamsi dolus fuisset adhibitus, si veritas non immutaretur, crimen falsi non existeret : unde si testis doloso animo verum deponeret, putans se falsum dicere, non est reus falsi; 3° nocumentum alteri illatum vel inferendum, etsi per accidens impediatur; quia potentia actui proxima habetur pro actu ipso.

3° Falsum est crimen gravissimum, quod assimilatur homicidio et veneficio. Est crimen publicum, ita ut quilibet possit de illo accusare, etiamsi sui nihil intersit. In jure canonico, et olim in jure Romano, est crimen exceptum, et propterea in generali remissione et dispensatione non comprehenditur.

b) *Quotuplex sit?* Dividitur 1° in verum et quasi tale. *Verum* olim dicebatur quod lege Cornelia erat notatum, scilicet quod committitur circa testimonia, testamenta et nummos. *Quasi tale* dicitur quod illa lege non erat notatum, sed aliis constitutionibus, ut si qui rationes, instrumenta falsaverint.

2° Est personale vel reale. *Personale* est quod circa personam committur, ut mutatio nominis, subornatio testium, judicis corruptio. *Reale,* quod committitur circa res; estque verbale, si flat verbis; scriptum, si scriptura; simpliciter reale, quando fit facto aut usu vel potius abusu rei. Unde ratione modi quadrifariam communiter dividitur, prout committitur dicto, scripto, facto et usu. Juxta illas quatuor species subjectas, describemus crimen falsi.

II. Quandonam in specie committatur crimen falsi hoc quadruplici modo?

a) Committitur *dicto*, quando quis dolose in præjudicium alterius falsum profert, maxime in judicio. A triplici genere personarum, a *teste*, ab *advocato*, a *judice* committi potest : a *teste*, dum scienter ac dolose dicit falsum testimonium et supprimit verum; ab *advocato*, dum ex dolo malo causam clientis sui sive prodit, dissimulando probationes proprias, vel admittendo probationes et exceptiones falsas ; a *judice*, dum is dolose sententiam injustam pronuntiat contra leges. Nonnulli canonistæ expendunt casus particulares in quibus testes, advocatus et judex committere possunt crimen falsi.

b) Committitur crimen falsi *scripto*, quando litteræ seu quodcumque instrumentum dolose falsatur in nocumentum tertii. Hoc fit præsertim quando quis testamenta, instrumenta publica falsat, vel falsa scribit, signat, subjicit : v. g. qui in testamento, in sui vel alterius gratiam, notabilem aliquam falsitatem dolo malo immiscet ; qui aliena instrumenta, rationes, etc., in parte aliqua considerabili, radit, immutat, lacerat vel supprimit. Mendici qui in litteris mentiuntur casum fortuitum incendii, morbi, etc., ut stipem publicam emendicent, sunt rei falsi præsertim dum litteris et sigillis alienis ad hunc finem decipiendi abutuntur. Qui privatas alicujus litteras desigillant et aperiunt, non tenentur crimine falsi, licet hoc fieri non possit sine peccato et injuria illius ad quem litteræ pertinent.

Crimen falsi committitur præsertim in falsatione litterarum apostolicarum, nempe in earumdem litterarum confectione, falsa sigillatione, etc. Per litteras, apostolicas hic intelliguntur quæcumque rescripta, bullæ, brevia, tam gratiam quam justitiam concernentia, quæ nomine Papæ expediuntur, et supplicationes quæ ipsi afferuntur et ab eo vel R. E. vice-cancellario eorumque vice gerentibus, aut de mandato Papæ signantur ; sed pro talibus non reputantur litteræ SS. Congr. Quoad materiam illius criminis, tribus modis irrepere potest falsatio, scilicet corrumpendo et adulterando, confingendo et publicando, tandem falso signando supplicationes. Sufficit rasus paucarum litterarum et unius syllabæ, saltem si sensus a Papa intentus fuerit immu-

tatus; si sensus non fuisset mutatus, juxta plures, radens non incurreret pœnas latas contra falsarios.

c) Crimen falsi committitur *facto* in sequentibus casibus. 1° In partus suppositione, ad cujus accusationem admittuntur soli parentes et quorum interest. 2° Qui eamdem rem pluribus vendit. 3° Qui mercibus adulterinam materiam admiscet, vel pondera et mensuras immutat. 4° Falsarii monetæ, qui propria auctoritate monetam cudunt, etiamsi justi ponderis et materiæ. 5° Qui falsum aurum vel argentum pro vero vendunt, seu utuntur in commerciis.

d) Crimen falsi committunt *usu* seu potius abusu, 1° qui nomen, cognomen, patriam, parentes, dolose in nocumentum falsificat; 2° qui alienæ familiæ insignibus utitur, fingendo se esse nobilem, ita et qui fingeret se esse sacerdotem et sub hoc nomine divina celebraret; 3° qui falsas leges, constitutiones dolose allegant.

III. Pœnæ latæ contra falsarios.

a) Contra falsarios *dicto*. 1° Pœna falsi testis olim erat deportatio; pœna advocati falsi erat fustigatio, carcer, etc., vel pœna arbitraria; tandem judex falsus, pro qualitate personæ et delicti, puniendus erat privatione officii, confiscatione bonorum, exsilio, etc. Jus Gall. sequentes decrevit pœnas contra falsarios : ex art. 361 Cod. pœn., falsi testes in causa criminali puniuntur, pœna triremium ad tempus, vel pœna talionis, si accusatus damnatus fuerit ad pœnam majorem triremibus ad tempus; in materia correctionali, pœna est reclusio, et in simplici politia, est incarceratio ab uno anno ad quinquennium (art. 354 Cod. pœn.). Ex art. 364 ejusd. Cod., pœna est acerbior, si pecuniam vel rem aliquam receperint falsi testes. Tandem in causa civili, pœna est reclusio (art. 363 Cod. pœn.). 2° Quoad advocatos falsos, dictum est supra in II lib. 3° Judex falsus in re criminali plectitur, præter mulctam proportionatam damno illato, pœna reclusionis, ex art. 181 Codicis pœn. Imo si quis damnatus fuerit ad pœnam acerbiorem reclusione, applicabitur judici falso pœna talionis (art. 182).

b) Quoad falsarios scripto, falsarii litterarum apostolicarum ipso facto incurrunt excommunicationem speciali modo

reservatam : const. *Apost. Sedis,* art. 9. Præterea si clerici sint, privantur omnibus officiis et beneficiis. Qui litteris falsis utuntur, ipso facto subjiciuntur excommunicationi ordinariis reservatæ : const. *Apost. Sedis,* art. 3.

In jure civili Gall., art. 139, 149, multæ enumerantur species criminis falsi contra securitatem publicam : per effectionem falsi sigilli Status et magistratuum publicorum; per falsam scripturam publicam seu authenticam : pœna generatim est damnatio ad triremes in perpetuum, quoad officiales publicos, vel ad tempus, quoad alios. Quoad crimen falsi in scriptura privata, pœna reclusionis decernitur in art. 150 ejusd. Cod.

c) Pœnæ latæ contra falsarios facto, variæ sunt in jure tum antiquo tum novo, juxta varietatem criminum : 1° In suppositione partus, pœnam reclusionis statuit art. 345 Cod. pœn. 2° Falsarii monetæ qui monetam cudunt, variis puniuntur pœnis, juxta naturam monetarum (ex auro, argento vel tantum ex cupro), damnantur ad triremes in perpetuum vel ad tempus (art. 132, 133). Pœna lata in art. 132 applicatur etiam falsationi quæ committeretur tondendo, rodendo, aut alio modo pondus monetæ publicæ diminuendo. 3° Falsarii qui mercibus adulterinam materiam admiscent, si earum plaustrarii sunt, incurrunt pœnam reclusionis, si admixtæ sunt substantiæ nocivæ, vel incarcerationis ab uno mense ad annum, si substantiæ adjectæ non sunt nocentes (art. 387 Codicis pœn.). In extravag. unic. h. t. inter comm. prohibetur moneta ex auro alchymistico, quia sophisticum et deceptorium est.

d) Contra falsarios usu, pœnæ jure Gall. latæ sunt sequentes : qui insignia, vestem, ornatum militarem vel civilem, sibi non competentem, publice gestat, puniri debet pœna incarcerationis, quæ a sex mensibus ad duos annos protrahitur (art. 259 Cod. pœn.). Sic, v. g. huic pœnæ obnoxius erit ille qui usurpat insignia ordinis clericalis, seu vestem talarem gestat, quin sit clericus, aut si clericus, post degradationem. In nostro Codice non remanent pœnæ alias latæ contra illos qui insignibus nobilitatis utuntur, cum et illa insignia hodie non sint in usu, nec agnoscantur, seu determinentur et admittantur a lege.

TITULUS XXI.

DE SORTILEGIIS (1).

NOTA. Sortilegium est falso affine, cum speciem falsi, et non raro malitiam, in se contineat; nam aliquando in sortibus homines superstitiosi de rebus reconditis aut futuris conjicere volunt, et sic sortilegium est ars deceptoria.

Sortilegium sumi potest in sensu lato vel in sensu stricto. In sensu lato accipitur pro superstitione; in strictiori, pro aliqua specie superstitionis. Itaque agemus, 1° de superstitione universim sumpta et de sortilegio in specie, seu describemus varia crimina quæ sub nomine generico sortilegii vel superstitionis veniunt; deinde 2° de pravitate et pœnis illorum criminum tractabimus.

SECTIO PRIMA.

De superstitione et sortilegio.

§ I. *Quid et quotuplex sit superstitio generatim spectata?*

I. Superstitio, sic dicta, juxta plures, quia homines timent iram Dei, quasi superstantem, est vitium religioni oppositum secundum excessum, quatenus exhibet cultum divinum cui non debet, seu creaturæ, vel modo quo non debet; in hoc ultimo casu, Deo quidem redditur, sed modo indebito. Dicitur ergo vitium oppositum per excessum, secundum circumstantias tantum; nam nihil potest dici secundum se nimium in materia religionis.

Superstitionis quatuor sunt species, tam ratione rei cultæ quam ratione ipsius cultus : 1° quando cultus divinus exhibetur creaturæ, et hæc superstitio appellatur idololatria; hæc divisio desumitur ex objecto seu re culta; 2° quando Deo exhibetur cultus modo indebito, et hæc appellatur superstitio indebiti modi colendi Deum; 3° quando quis per media inutilia et a Deo vel ab Ecclesia minime ordinata conatur aliquem effectum externum

(1) Vide Codic., lib. IX, tit. XVIII.

obtinere, et appellatur vana observantia. Ad eam revocari potest magia, quæ potius speciem distinctam constituit (S. Lig., l. III, n. 1); tandem 4° quando homo futura vel occulta cognoscere vult per creaturas, ope cultus divini illis exhibiti, et appellatur divinatio. De idololatria hic non est agendum, nam de illa agunt theologi, et magis notanda sufficienter diximus in tit. VI; de tribus aliis speciebus speciatim dicere oportet.

II. Per superstitionem *indebiti cultus divini* peccari potest dupliciter : 1° Quando cultus est falsus, ac proinde perniciosus; quod iterum potest contingere dupliciter, juxta D. Thom. (2ª 2ᵃᵉ, q. 93, a. 2), scilicet ratione rei significatæ, ut si quis ritibus judaicis, ac proinde cæremoniis præfigurativis, hodie coleret Deum ; — tum ex parte colentis, seu potius ratione significationis, ut si quis nomine Ecclesiæ adhiberet aliquid ad colendum Deum contra institutionem Ecclesiæ, vel falsas revelationes aut falsa miracula prædicaret, etc... (Vide S. Lig., l. III, n. 3.)

2° Peccari potest etiam per cultum superfluum, quod fit quando cultus talibus cæremoniis exhibetur quæ non conferunt ad Dei gloriam, nec elevant mentem ad Deum, seu ad finem cultus minine spectant : v. g. si quis ex fine aliquid obtinendi, adhiberet tot candelas in missa et in tali situ, contra vel præter præscriptum Ecclesiæ; vel si eodem fine aliquid adderet missæ, pluries diceret *Alleluia, Credo*, etc... contra præscriptionem rubricarum (S. Lig., *l. c.*, n. 4).

III. *Divinatione* hoc loco intelligitur significatio occultorum ex pacto cum dæmone. Dicta est autem divinatio, quasi divinitatis æmulatio, et qui huic studebant, *divini* vocabantur. Rationem nominis dat S. Aug. relatam in can. 1, causa 46, q. 3, quia divinitate plenos se esse simulant, et astuta quadam fraudulentia hominibus futura conjectant.

a) Pactum cum dæmone in divinatione potest esse explicitum, quando homo expressam habet voluntatem aliquid sciendi a dæmone, implicitum vero, quando pro cognitione rerum occultarum signum aliquod vanum adhibetur, vel inspicitur quod ex se non habet a Deo vel a natura potestatem significandi quod desideratur; unde nonnisi a dæmone potest accipere talem vim significandi.

Divinatio quæ fit per pactum expressum, generali nomine vo-

catur necromantia, ejusque novem sunt species : 1° est præstigium, dum dæmon variis apparitionibus, seu per fictas figuras, illudit superstitiosos, se illorum aspectibus objiciens et occulta docens; 2° oniromantia, dum per somnia cognitio quæritur a dæmone; 3° necromantia specifice, dum ad certos ritus certasque preces videntur mortui resurgere, loqui et docere; 4° divinatio per pythonem, dum dæmon per homines arreptitios loquitur; 5° geomantia, dum per signa et corpora terrestria; 6° hydromantia, dum per signa aquæ seu in aquis apparentia; 7° aeromantia, dum per signa in aere; 8° pyromantia, dum per signa in igne occultum aperitur, et tandem 9° aruspicium, dum per signa in visceribus animalium apparentia dæmon futura et occulta docet.

b) Divinationis quæ fit ex pacto implicito seu tacito, duæ sunt species : 1° Prima quærit cognitionem in consideratione dispositionis naturalis vel motus spontanei alterius rei : sic *genethlia* seu astrologia, ex siderum motu et situ; — *augurium,* ex animalium vocibus aut hominum sternutatione; — *aruspicium,* ex volatu avium et motu animalium; — *omen,* ex hominum vocibus præter intentionem prolatis; — *physiognomia,* ex totius corporis hominis signis; — *spatulomantia,* ex spatulæ signis; — *metaposcopia,* ex fronte; — *chiromatia,* ex manibus et variis lineis inspectis. Qui ex talibus signis futura et occulta prædicit, divinus et augur est.

2° Secunda species divinationis ex pacto implicito quærit cognitionem ex dispositione eorum quæ nos consulto facimus propter aliquod occultum cognoscendum. Varia etiam accepit nomina, juxta varios modos quorum ope quæritur cognitio occultorum : dicitur divinatio per sortes, quando cognitio futurorum quæritur ex variis signis, scilicet ex plumbo liquefacto et in aquam jecto, ex consideratione festucæ ex duabus oblatis electæ, ex schedulis in urnam injectis, vel projectione taxillorum, aut consideratione ejus quod aperienti librum fortuito occurrit, etc.

IV. Superstitio *vanæ observantiæ* est, quando per media inutilia et a divina Providentia vel a natura ad hoc minime ordinata, procuratur aliquis effectus, v. g. consecutio alicujus boni, vitatio mali. Dicitur « vana observantia, » quia vel non conse-

quitur effectum intentum, vel si consequitur, plus noxii affert quam commodi : etenim afferret commodum in temporalibus et corporalibus, detrimentum vero esset animæ. Differt a divinatione, quia divinatio primario et per se ordinatur ad solam cognitionem occultorum, indebito modo comparandam ; vana autem observantia ad effectum externum obtinendum vel vitandum tendit.

a) Fieri potest dupliciter, non secus ac divinatio, scilicet per pactum expressum cum dæmone, vel per pactum implicitum duntaxat et tacitum, et sic ratione modi duæ sunt generaliores species :

1ª Est, quando quis a dæmone, expresse invocato aut in commercium adducto, addiscit aliqua incognita media, quæ alias sunt naturales causæ ad effectus producendos ; quandoque sic paciscens cum dæmone aliqua etiam media addiscit quæ non sunt naturales causæ ad productionem effectus intenti, sed, quibus applicatis, dæmon occulte operatur.

2ª Vana observantia per pactum implicitum tribus modis contingit : 1° quando alicujus calamitatis vel prosperitatis cognitio per vanam observantiam procuratur, ut ea cognitione homo edoctus aliquid faciat aut vitet ; 2° quando adhibentur preces vel voce, vel scripto, vel appensæ collo, concurrentibus variis aliquibus circumstantiis, ex quibus appareat illas preces minime ad Deum referri, ut sic ab illo exspectetur effectus ; 3° quando varia aliqua media, tanquam efficaces effectus alicujus causæ, adhibentur sive sint naturalia, ut herbæ, sive artificialia, ut characteres, figuræ, quæ de se inefficaces sunt ad eum effectum producendum.

b) Ratione objecti, quatuor species vanæ observantiæ enumerari solent : 1° Ars notoria, qua quis credit se consecuturum scientiam absque labore, per quasdam orationes et jejunia, adhibitis inspectionibus quarumdam figurarum, prolatione quorumdam verborum ignotorum. 2° Observatio sanitatum, quando homo ad sanitatem propriam aut brutorum obtinendam vel servandam, varia quædam et inutilia media sumit, ut sunt quædam verba, signa, certi characteres, talis numerus crucium et orationum. 3° Observantia futurorum eventuum, quando ex casuali et fortuito occursu rerum aliquarum impertinentium,

aliquid prosperum vel adversum exspectatur. Ita quando quis in ludo mutat locum vel chartas, etc., vel non vult adire convivium in quo sunt 13 convivæ. Tandem 4° observantia reliquiarum, quando quis gestat reliquias, agnos Dei, vel aliquas orationes, ut evangelium S. Joannis, certo modo, et cum certa circumstantia, ratione cujus putat illa esse valde utilia ad tales fines. — Rectus est usus crucium, reliquiarum, agnorum Dei, etc..., quando cum fiducia adhibentur, sed sine exspectatione infallibilis effectus.

§ II. *De sortilegio in specie et quibusdam aliis delictis distinctius definiendis.*

I. Sortilegium, *specifice sumptum*, est divinatio per sortes; generice acceptum, nomen sortilegii convenit omnibus superstitionibus, divinationibus et magiis, ut jam supra dictum est. In præsenti titulo, specifice præsertim sumitur, licet latius a nobis fuerit acceptum. Definitur : « Divinatio qua per sortes divinatorias et falsa signa, ope dæmonis, futura et occulta manifestantur. » Sortes sunt vel *divisoriæ*, vel *consultoriæ*, vel *divinatoriæ*. 1° Divisoriæ sortes sunt, quibus jus indivisum aut dubium pluribus competens, inter eos dividitur aut applicatur. 2° Sortes consultoriæ sunt, quæ adhibentur ut Deus anceps consilium dirigat. 3° Tandem sortes divinatoriæ sunt, quarum ope occulta vel futura contingentia investigantur.

II. *De magia.* Magia est ars operandi mira et insolita. Dividitur in *naturalem* et *superstitiosam* seu *diabolicam*. Naturalis est, si quædam operantur mira per causas naturales sine dæmonis ope; superstitiosa est, quæ producit mira et insolita ope dæmonis, per signa ab eo instituta, quæ quidem mira, si non excedunt potestatem et virtutem dæmonis, possunt ab eo fieri, sic Deo permittente; si vero excedunt, vel dæmon mentitur, vel decipit illudendo sensus humanos. Hæc magia tacitam vel expressam dæmonis invocationem continet, ac proinde aliquam benevolentiam erga ipsum, imo societatem cum ipso dæmone.

III. *De maleficio.* Maleficium, a « male » et « facio » dictum, differt a magia proprie dicta, quia ista sistit in sola ostensione signorum et effectuum mirabilium; maleficium autem tendit

ad noxam aliis inferendam. Tamen revocari potest ad magiam latius sumptam. Maleficium ergo est ars nocendi aliis, ope ac potestate dæmonis, et est duplex : 1° amatorium, quando tendit ad excitandum amorem carnalem vel odium, dæmone phantasiam, non tamen voluntatem, hominis commovente et immutante ; 2° veneficum est, quando nocumentum corporale infertur homini ant animalibus : maleficia venefica vulgo vocantur « sortes ». Theologi facile ostendunt illicitum esse, maleficium solvere alio maleficio, cum non sint facienda mala ut eveniant bona, et multo minus malum morale ut eveniat bonum corporale.

IV. *De astrologia.* Astrologia duplex distinguitur : 1° naturalis, qua ex siderum situ, cursu, motuque determinantur aut conjectantur ea quæ naturaliter contingunt, ut eclipsæ, phases lunæ, fluxus maris, pluviæ, grandines, etc.; 2° judiciaria, qua ex astrorum inspectione prædicuntur futuri eventus fortuiti, et a libero hominis arbitrio dependentes, vel præsentia prorsus occulta manifestantur. De hac ultima tantum hic agitur.

V. *De magnetismo, somnambulismo, spiritismo.* Superstitio, nostris temporibus, quasdam novas induit formas, quæ recenseri debent.

a) Prima forma consistit in mesmerismo, quæ ab auctore Antonio Mesmer nomen accepit ; vocatur etiam magnetismus animalis, a credito quodam fluido qui esset medium seu instrumentum mirorum quorumdam phænomenorum. Quoad rem, quæri posset in quo præcise consistat. Sed, ut ostendit P. Perrone, magnetologi nullam mesmerismi dare potuerunt definitionem claram et distinctam (*de Virt. relig.*, p. II, s. 2, c. 1), nec consentiunt in describendis conditionibus personarum et apparatus materialis requisitis ad phænomena magnetica.

b) Somnambulismus psychologicus est altera forma magnetismi animalis, seu potius progressus et ulterior gradus. A describendis variis formis somnambulismi et variis mediis quibus somnus excitatur, abstinemus, cum talis descriptio hic sit plane inutilis, sicut et recensio phænomenorum somnambulismi, qualia sunt intuitio in distans, translatio mentalis, attractio magnetica, etc.

P. Perrone (*l. cit.*) sequentes probat propositiones : 1° Licet

nonnulla physiologica magnetismi animalis ac somnambulismi phænomena per se materialibus causis naturalibus adscribi valeant, pleraque tamen illis tribui nullatenus possunt. 2° Neque a causis naturalibus physiologicis mesmerica omnia phænomena repeti possunt. 3° Voluntas humana, neque immediate per se, neque per vim motricem animæ propriam, potest esse causa physica phænomenorum mesmericorum, sed moralis tantum et mediata. 4° Causa proinde proxima phænomenorum magneticorum est intelligens ac libera, distincta ab anima humana. 5° Ejusmodi causa natura sua est anima humana præstantior et præternaturalis. In 6ª et 7ª concludit illam causam aliam esse non posse præter spiritus pravos seu dæmones.

c) Spiritismus arcto nexu colligatur cum magnetismo animali, ita ut haberi possit ut specialis ejus forma, seu altera species hujusce generis; plura enim habentur communia phænomena (Vide descript. apud P. Perrone, *l. cit.*, a. 2). At somnambulismo et magnetismo animali addidit directam spirituum evocationem, ac proinde minime dubium est, quin causa efficiens phænomenorum spiritismi sit præternaturalis; præterea ex factis constat, illam esse natura sua malam, in perniciem religionis christianæ ordinatam, atque finaliter ducentem ad obsessionem aut possessionem hominum per dæmones.

SECTIO II.

De pravitate et pœnis superstitionis et sortilegii.

I. Superstitio *indebiti cultus* est peccatum contra virtutem religionis, quod potest esse mortale vel veniale, prout magnam aut parvam adjunctam habet irreverentiam et rituum ecclesiasticorum mutationem. Speciatim *superflui* cultus superstitio, secluso scandalo ac mala intentione agentis, ordinarie est peccatum veniale, saltem si materia sit levis, et actio, alias ex se non mala, nulla lege sit prohibita; irreverentia non censetur gravis, ob simplicitatem; sed si materia esset gravis et præsumptio gravis, non excusaretur a mortali.

II. *Divinatio* quæ fit 1° per pactum expressum cum dæmone, semper peccatum mortale est, sive pactum hoc verbis fiat, sive facto ipso. Ignorantia hic non excusat, cum non possit esse

talis ut paciscens non valeat aliquatenus deprehendere deformitatem actus. Hoc est luce clarius, quando pactum fit cum solemnitate, seu quando dæmon apparet in similitudine monarchæ, in forma visibili, multis stipatus dæmonum catervis, coram quibus utrinque fiunt promissiones : homo promittit se negaturum Deum, omnia sacramenta et res sacras, et declarat illud pactum se nunquam proditurum. Tale pactum est evidenter horrendum peccatum.

Si divinatio fit 2° per pactum implicitum, est etiam ex genere suo peccatum mortale contra religionem et cultum Deo debitum. Per illam enim initur etiam consortium et societas cum dæmone, perpetuo Dei hoste, et homo se subjicit ejus disciplinæ, ut ab eo res occultæ manifestentur : est ergo dæmonem honorare et a Deo deficere ; itaque non admittitur parvitas materiæ. Tamen ex diversis capitibus peccatum potest fieri veniale, scilicet per ignorantiam vincibilem quidem, sed non crassam et affectatam ; ita etiam ex parte intentionis, ut si istas superstitiones quis exerceat, non quasi efficaces, sed tanquam vanas, ex quadam levitate, ut si ex joco et ad experiendum effectum causa curiositatis, adhiberentur : erit vanitas potius quam superstitio. Unde qui illis mediis utitur, credens totum esse futile et vanum, non peccat mortaliter, cum deficiat animus superstitiosus indagandi occulta. Similiter venialis est divinatio quando observantur somnia, auguria, etc., si illis utens non adhibeat illis certam fidem. Tamen est res valde periculosa, quia dæmon per hujusmodi actiones sæpe in pejora protrahit.

Variæ species divinationis non differunt in specie morali, sed duntaxat materialiter et in genere entis ; nam quocumque modo fiat divinatio, sive per aquam, sive per ignem, etc..., eamdem semper habet deformitatem eamdemque oppositionem cum ratione, sitam in eo quod a dæmone inquiratur et exspectetur cognitio rerum occultarum. Quapropter quoad culpam et pœnam non differunt variæ species divinationis. Divinatores et magi, etiam laici, puniri possunt, etiam per judicem ecclesiasticum, seu per inquisitores, ut declarat Sixtus V, in const. *Cœli et terræ*.

III. Quoad *sortilegium*. *a*) Sortes *divisoriæ* per se licitæ sunt, ut patet ex sola definitione, cum sortes in se non sint malæ, nec ullam contineant superstitionem, nec in damnum alicujus

cedant; unde datur rectus usus sortium divisoriarum. Tamen sortes fieri possunt illicitæ, si contra prohibitiones juris adhibeantur, v. g. in electione ad dignitates et beneficia ecclesiastica. Itaque electio ad prælaturas et ad beneficia ecclesiastica per sortes divisorias, et multo magis consultorias, est graviter prohibita et nulla, ex cap. 42, *de Elect.*, et quidem jure naturali, cum sortibus committeretur determinatio digni et indigni : quod vergeret in damnum Ecclesiæ, inducendo indignum pastorem. Prohibita est etiam jure ecclesiastico, si sortibus committantur æque digni, etiam in casu quo duo paria haberent vota, et neutra pars eligentium cederet (cap. fin. h. t., cap. 42, *de Elect.*). Ratio est, quia electio personarum in Ecclesia non debet fieri cæca fortuna, sed ex delectu, et juxta majorem capacitatem ad dignitatem.

Tamen lites aliæ beneficiales et ecclesiasticæ ex mutuo partium consensu, et accedente auctoritate superioris, possunt terminari per sortes.

b) Sortes *consultoriæ* regulariter sunt illicitæ (can. 7, *Sortes*, 26, q. 5). Ratio est, quia per illas Deus tentatur et sortilegi exponunt se periculo ne, Deo permittente, a diabolo decipiantur. Dicitur « regulariter », quia aliquando istæ sortes speciali instinctu divino adhibitæ sunt : v. g. ad detegendum furtum Achani, ad electionem S. Matthiæ, etc. Si tamen fiant ex levitate, curiositate et vanitate, absque ullo commercio cum dæmone et sine fide, non essent nisi peccata venialia. Si vero cum fide, quasi veritas occulta hoc modo manifestaretur, sunt graviter illicitæ.

c) Sortes *divinatoriæ* sunt graviter illicitæ, non tantum quando fiunt per expressam invocationem dæmonis, sed etiam per verba, scripturam, aut alia signa nullam connexionem cum re occulta et eventu futuro habentia (c. 1 h. t.). Ratio est, quia in istis sortibus, saltem tacite, dæmon colitur tanquam Deus et revelator occultorum. — Sortilegi, divinatores, de jure canonico, si clerici sint, ab officio et beneficio deponi debent, et in perpetuum carcerem detrudi, ex can. 4, 5, 6, causa 26, q. 6; insuper curiæ sæculari tradi solebant. Si contumaces fuerunt, excommunicari debent (can. 15, causa 26, q. 6). Deinde sortilegi seu divinatores, tam clerici quam laici, sunt infames, ex can. 9, causa 3, q. 5. Si sortilegia sapiant hæresim, sortilegi puniendi

sunt ut hæretici. De jure civili, puniebantur pœna publicationis omnium bonorum et ultimi supplicii, aliquando per ignem inferendi.

IV. Quoad *vanam observantiam*. *a*) Ars notoria est peccatum ex genere suo grave, quia tacite diabolus invocatur eique tribuitur potestas infundendi scientias, quod est proprium solius Dei. Sed, an licitum sit uti scientia acquisita ope dæmonis? Affirmant communiter DD., dummodo hujus scientiæ conservatio et usus non pendeat a dæmone; quia talis usus est in se bonus.

b) Observatio sanitatum, seu, ut vulgo dicitur, curatio per secreta, ope signorum, cæremoniarum, formularum quarumdam, est peccatum grave, nisi excuset ignorantia invincibilis; etenim hæc media nullam de se habent efficaciam respectu illorum effectuum ; tota ergo efficacia ex pacto tacito vel expresso dæmonis exspectatur et venit. — Ad hanc superstitionem reducitur modus curandi vulnera, etiam in loco distanti, adhibendo medicamentum quod vocant sympathicum (ope pulveris sympathici applicati panno sanguine perfuso aut gladio sanguinolento).

c) Observantia eventuum est affinis divinationi, licet non sit proprie divinatio, cum per illam observantiam quæratur directio operationum, non autem principaliter notitia futurorum. Ut plurimum, illa observantia est solum peccatum veniale, ne forte quis monitus illis pertinaciter adhæreat, nam tunc peccaret mortaliter. Sic non videtur mortale, si quis, domo egrediens, pedem offendat, et ideo timeat iter infaustum fore, inde domum revertatur, ut omen avertat; vel si quis inter ludendum mutet locum vel tantisper surgat ad malam fortunam abjiciendam (sect. I, § 1, IV, 6); item qui conservant ova die Parasceve a gallinis exclusa, ad exstinguendum incendium.

d) Observantia reliquiarum in sensu explicato, seu quando est superstitiosa, est illicita et peccaminosa. Potest esse mortalis vel venialis, juxta materiam aut etiam pertinaciam : sic, v. g. qui collo appensum defert evangelium in charta, ut dicunt, virgine descriptum, cum quibusdam signis ac ritibus vanis, vel quasdam orationes tali modo ac charactere scriptas, aut tali modo complicatas secum affert, ut in bello vel aliter vulnerari nequeat, — seclusa pertinacia post monitionem, et multo magis

secluso pacto cum dæmone, non videtur peccare nisi venialiter.

Quoad omnes superstitiones hactenus enumeratas, habetur celebris constitutio Sixti V quæ incipit *Cœli et terræ*, in qua distinctissime definiuntur fraudes et fallaciæ divinationis, sortilegii, etc... Quoad pœnas contra superstitiosos latas, nulla specialis reperitur expressa in jure. Sed vere superstitiosi sunt denuntiandi; tamen, ut eorum superstitio pariat obligationem denuntiandi, duo requiruntur: ut adsit expressa vel tacita dæmonis invocatio; ut sit mortaliter peccaminosa.

Gobat nonnullas tradit regulas ex quibus facilius discernuntur variæ ac illicitæ superstitiones; referuntur a Ferraris (*Biblioth.*, v° *Superstitio*, IV, 55, 62).

V. *Magia et maleficium.* *a*) Crimen magiæ est ex genere suo peccatum mortale, quia continet tacitam vel expressam dæmonis invocationem. Non datur parvitas materiæ, quia parum interest quod in re parva vel in re magna dæmon invocetur; ex jure naturali, positivo divino et ecclesiastico severe prohibetur. Nonnulla quæ speciem pietatis præ se ferunt, ut sunt verba vel signa sacra, possunt esse magica vel superstitiosa, si illis admisceantur vana et inutilia, quæ ad cultum Dei non pertinent: v. g. quod verba sacra dici debeant ad aures jumenti ægrotantis, ut curetur; quod ligatura membri infirmi ligari debeat tribus funiculis cum tali ritu sacro applicatis, etc.

b) Maleficium, præsertim veneficum, est etiam peccatum gravissimum, quia continet tacitam vel expressam dæmonis invocationem, et sæpe etiam conjungitur cum hæresi, idololatria vel apostasia a fide: nam strigæ, in principio suorum scelerum, pactum cum dæmone ineuntes solent fidem abnegare et dæmones adorare. Quare solebant deferri ad inquisitores, quia erant suspectæ in fide.

Quæritur, an licitum sit cuilibet tollere et comburere signa maleficiorum inventa, puta capillos, ligaturas, nodos et alia signa malefica posita a maleficis? Respondetur affirmative, quando talis destructio fit eo fine ut diabolus desinat nocere; hæc enim destructio signi, nec pactum, nec amicitiam cum dæmone importat, nec ullum honorem illi affert; quinimo dæmon ipse contemnitur, et ob id signum ipsum comburitur: non tantum hoc licitum est, sed etiam lege charitatis est obligatorium,

si commode fieri possit et minister justitiæ non adfuerit qui ex officio hoc faciat.

Licitum est petere a saga et malefico, ut signa tollat et maleficium solvat, quando solvi potest sine novo maleficio, quia rem illam sine peccato maleficus facere potest ; secus si requireretur novum maleficium, quia non sunt facienda mala ut veniant bona, ut jam supra diximus.

c) Pœnæ magorum et eorum qui libros de tali materia tractantes edunt. Illi subjiciuntur sequentibus pœnis : 1° De jure canonico, incurrunt infamiam, ex can. 9, causa 3, q. 5 ; adeoque a testimonio et accusatione repelluntur ; si sint clerici, ab officio et beneficio deponi debent et in carcerem detrudi (can. 4, 5, 6, causa 26, q. 5). Omnes affici possunt censuris ecclesiasticis, item pœna incarcerationis aliisque similibus pro qualitate delicti. Imo judex ecclesiasticus potest de jure communi illos tradere curiæ sæculari ; si tradendus sit clericus, debet degradari antequam tradatur. Modus procedendi determinatur in constitutionibus Inn. VIII, quæ incipit : *Summis*, et Leonis X, incipiente : *Honestatis*, ét Greg. XIV *Omnipotens*. Delrio, qui fuse de magis et sortilegiis tractat in disp. mag. l. V, s. 16, formam sententiæ contra maleficos ferendæ et traditionis ad curiam sæcularem faciendæ exhibet.

2° De jure civili antiquo, pœna gladii constituta erat. Ex constitutione crim. Caroli V, quæ viguit in Hispania, Belgio et toto imperio Romano, qui cum damno tertii exercebant magiam, erant igne cremandi ; dum autem sine aliorum damno hac arte utebantur, puniendi erant pœna arbitraria, v. g. relegationis vel alterius supplicii. In jure recentiori, nulla reperitur pœna contra magos lata, et hoc mirum non est, cum plerique legislatores possibilitatem hujus criminis non admittant (Cf. III, *c*).

3° Crimen magiæ, sicut et sortilegii aut maleficii, subjicitur speciatim judici ecclesiastico, ut colligitur ex bulla *Cœli et terræ* Sixti V. Itaque inquisitores habebant facultatem procedendi contra sortilegos, magos, divinatores, aliosque similes, etiam laicos. Tamen illud crimen de se est mixti fori ; unde illud punire potest etiam judex sæcularis, quia est pariter crimen contra securitatem societatis civilis ; sed non potest punire clericos sortilegos, etc., propter immunitatem ecclesiasticam.

VI. *Astrologia* naturalis non est illicita, cum nihil aliud sit quam scientia naturalium quorumdam phænomenorum, ad suas proprias ac naturales causas relatorum. Sed astrologia judiciaria est jure canonico sub gravibus pœnis prohibita : Sixtus V, in *motu proprio,* et Urbanus VIII, const. *Inscrutabilis,* damnarunt facientes « judicia ex nativitate hominum », qui genethliaci vel horoscopi jam vocantur a S. August., relato in can. 1, causa 26, q. 3.

Quod dictum est de duplici astrologia, intelligi potest etiam de physiognomia et chiromancia, etc., quarum una est naturalis et licita, altera superstitiosa seu astrologica, et illicita. Observantia somniorum, si fiat, non ad occulta vel futura cognoscenda, sed ad colligendam dispositionem corporis, nihil superstitionis habet.

VII. *Magnetismus animalis* est illicitus, dum adhibentur media, etiam pure physica, ad res aut effectus vere supernaturales obtinendos (S. Congr. S. Off. 25 jan. 1840). Eadem S. Congr., die 21 apr. 1841, declaravit « usum magnetismi, prout fuit expositus, non licere », et distinctius mentem aperuit in fusiori declaratione diei 30 aug. 1856. (Vide hæc documenta ad calcem hujus libri.) Pravitas moralis hujusce magnetismi satis constat ex supra dictis.

Idem plane sentiendum est de somnambulismo, ac de magnetismo animali, cum hæc nomina duos gradus unius ejusdemque superstitionis designent. Tandem spiritismus, cum sit directa dæmonum evocatio atque superstitio religioni christianæ infensissima, est praxis valde reprehendenda : idem de illa sentiendum est, ac de divinatione per pacta cum dæmone.

TITULUS XXII.

DE COLLUSIONE DETEGENDA.

Hic titulus est complementum tituli de calumniatoribus ; nam collusio idem est quod prævaricatio quædam in judicio : sed con-

nectitur cum superioribus, quia respicit periculum impunitatis in sceleribus gravissimis hactenus enumeratis.

I. Quid sit collusio et inter quos contingere possit?

a) Collusio est latens et fraudulenta conventio inter actorem et reum. Contingere potest duobus præsertim modis. Primus est quando actor vel accusator rei partes accusati tacite adjuvat, veras probationes celando vel omittendo, aut falsas rei exceptiones admittendo, ut pœnam reus evitet, in hoc casu a civilistis vocatur prævaricatio. Secundus modus est, quando accusator ab accusatione jam incœpta omnino desistit, ut reus pœnam evitet, et sic judicium publicum reddatur illusorium : a civilistis vocatur tergiversatio.

b) Collusio contingere potest, non tantum inter actorem et reum seu inter principales, sed etiam inter advocatos et procuratores, dum videlicet horum aliquis in præjudicium rei principalis cum altero principali vel ejus advocato colludit, manifestando ei secreta vel omittendo probationes, etc. Tamen advocatus sic procedens non proprie dicitur collusor, sed improprie, et est potius falsarius, ut dictum est in titulo de crimine falsi.

c) Notandum est quod in civili causa, juxta plures, non daretur proprie collusio, quia actor et reus in civilibus transigere inter se possunt, cum agatur tantum de privato interesse ipsorum ; tamen, juxta alios, posset dari etiam in civilibus : tandem alii melius distinguunt inter causas quas agitant principales per semetipsos, quo casu non daretur; vel dum lis agitatur per procuratores et advocatos ; nam in his causis dari posset. In jure Gallico, ex art. 722 Cod. process. civ., admittitur collusio in causa civili, cum illa fraus exhibeatur ut motivum seu ratio obtinendi subrogationem, quando bona proscribuntur et collusor jura inferioru creditorum læderet.

Sed in criminalibus, juxta omnes, committi potest collusio, quia in processu criminali agitur de bono communi, quod exigit ut delicta non maneant impunita : unde licita non est transactio, concordia, amicitia collitigantium, in detrimento ordinis publici. Tamen in jure Gallico, non videtur dari locus collusioni in criminalibus, cum judex semper procedat ex officio, et processus non amplius instituatur per viam accusationis.

II. Quid juris circa collusionem?

a) Si actor et reus colluserunt circa beneficium ecclesiasticum, ita ut actor in gratiam rei pateretur sibi litem fieri circa illud, uterque illo est privandus ex cap. 3 huj. tit. : ratio est, quia secus jus conferendi læderetur.

b) Si accusator in criminalibus collusit reo accusato, uterque fit infamis ex jure Romano. Accusator extraordinarie punitur, vel pœna talionis : reus vero absolutus iterum accusari aut inquiri potest, quia sententia ex collusione lata est invalida : ita jus Romanum. In jure Gallico, non sunt pœnæ speciales contra colludentes in processu criminali, cum processus ejusmodi non instituatur per viam accusationis. Unde, cum non sit actor proprie dictus, collusio stricte sumpta inter principales locum habere nequit, ut supra dictum est.

TITULUS XXIII.

DE DELICTIS PUERORUM (1).

NOTA. Post consideratas diversorum delictorum pœnas, oportet discutere, an eisdem etiam teneantur pueri?

I. Qui nomine puerorum hic veniant?

a) Illud nomen generice sumptum significat tum infantes, qui nondum compleverunt septimum ætatis annum, tum illos qui, infantiam egressi, nondum ad pubertatem devenerunt. Sed sensu specifico, hoc nomine veniunt qui infantiam, scilicet septimum annum ætatis, egressi sunt, et nondum annos pubertatis ingressi sunt; qui nondum septimum ætatis annum egressi sunt, *infantes* dicuntur : qui vero ætatem pubertatis, hoc est annum 14 quoad mares, 12 quoad feminas, appellantur *puberes*.

At notandum quod, licet in ordine ad matrimonium ineundum mas præsumatur pubes anno 14 completo et femina anno 12, ex

(1) Vide art. 66-69 Cod. pœn.

can. 3, 14 *de Desp. impub.;* tamen in ordine ad delicta et pœnas, nulla videtur esse distinctio ætatis inter marem et feminam. Ratio est, quia capacitas non advenit citius in femina quam in mare.

b) An pubertas anno 14 vel anno 17 aut 18 adveniat pro judicio criminali, mathematice definiri nequit; sed totum hoc pendet ex circumstantiis, et consequenter judicis arbitrio relinquitur.

Aliqui, etiam in ordine ad delicta, distinguunt ætatem vicinam ad illas ætates : sic jura et interpretes distinguunt inter infantes et infantiæ proximos, inter eos qui plenam pubertatem dicuntur adepti, et proximos pubertati. Pubertas plena in feminis datur ab anno 14, in mare anno 17 vel 18. Quoad proximos pubertati, non conveniunt DD. Alii assignant quoad feminas decimum annum, quoad mares undecimum ; alii assignant tempus quod sex mensibus distat a pubertate, etc. Unde quod supra dictum est de pubertatis determinatione, applicari debet tempori proximo pubertati, seu hoc determinari debet arbitrio judicis.

II. An puniri possint infantes, pueri, furiosi, etc., et quibus pœnis?

1° Infantes septimum annum non egressi, amentes, furiosi, nec civili nec criminali pœna animadverti possunt, quia, ut legimus in jure Romano, « alterum innocentia consilii tuetur, alterum fati infelicitas excusat ». Cum jure Romano concordat Clem. un. *de Homic.* Ratio est, quia propter defectum sufficientis usus rationis, doli capaces non sunt, et quid agant, ignorant. Quod vero in uno vel altero infante annum septimum nondum egresso, malitia ætatem prævertat, id, tanquam rarum, non est trahendum in consequentiam, nec propterea dicendum infantes in delictis suis puniri posse.

2° Pueri infantiæ proximi, seu qui septennium non multum excesserunt, puniri non possunt, si doli nondum capaces sunt, quia valent rationes superius allatæ quoad infantes, et sola ratio numeri septimi non sufficit ut reputentur præditi sufficienti usu rationis : ætas ergo septennii est præsumptio, quæ tamen cedit veritati. Si autem doli capacitas signis non obscuris appareat in ipsis, compescendi sunt, ne delinquere assuescant. Tamen non subjiciuntur communibus pœnis delictorum.

3° Pueri infantiæ non proximi, ad pubertatem tamen non proxime accedentes raro puniuntur ob delicta omissionis, quia

imprudentia, potius quam malitia, actum debitum omisisse præsumuntur. Excipitur, nisi probetur dolum in omissione intervenisse : quo casu a pœna non omnino eximuntur, licet mitius puniri debeant.

Illi pueri ob delicta commissionis, ut sunt furta, homicidia, etc., puniri possunt et debent, sed pœna mitiori quam alii, attenta non tam ætate quam qualitate doli et malitiæ : ita c. 1 huj. tit. Ratio est, quia ob defectum judicii minus malitiose et dolose delinquere præsumuntur, quam ætate perfectiores, et ideo mitius quam isti puniuntur : unde etiamsi crimen capitale committant, ultimo supplicio affici non possunt.

4° Qui pubertatem adepti, tamen 25 annis minores sunt, puniri debent pœna ordinaria ob delicta commissionis, ut expresse declarat jus Romanum in jure canonico receptum. Tamen regulariter loquendo, judex mitius punire potest minores quam majores, nisi concurrant circumstantiæ crimen aggravantes, aut crimina sint in se gravissima, et magnam perversitatem in delinquente supponant : ut sunt hæresis, veneficium, repetitio delicti, etc. Ita etiam omnes, post jus Romanum. Judex ergo solet mitigare pœnam quoad minores.

III. An pater teneatur ex delicto filii impuberi vel minoris quoad pœnam pecuniariam?

Respondetur generatim, seu tam quoad puberes quam quoad impuberes, quod pater non tenetur, si non fuit particeps delicti; nam generaliter in jure constitutum est, ut nemo alienæ culpæ successor constituatur; deinde peccata suos tenent auctores. Unde pater non tenetur solvere ex peculio profectitio (seu quod ex bonis paternis proficiscitur) neque ex bonis adventitiis (seu quæ ex bonis paternis non proficiscuntur), ne usufructu privetur, neque ex legitima, quia hanc ante mortem suam dare non tenetur. Secus quoad damnum illatum, ex art. 1384 Cod. civ.

Itaque filius delinquens satisfacere cogitur ex peculio suo castrensi seu ratione militiæ armatæ acquisito, vel quasi castrensi (h. e. ratione militiæ togatæ, ut ex officio judicis, advocati, professoris, etc., acquisito); vel, si tale non habeat, alia pœna puniri potest.

TERTIA PARS

DE DELICTIS PROPRIIS CLERICORUM.

In prima parte consideravimus crimina quæ adversantur fidei et religioni, et in secunda illa delicta quæ proximum lædunt in bonis vitæ, famæ et fortunæ ; nunc agendum est de criminibus quæ clericis sunt vel unice vel maxime propria. Inter hæc, primo loco occurrit venatio. Itaque,

TITULUS XXIV.

DE CLERICO VENATORE.

I. Quotuplex sit venatio?

a) Triplex distingui solet species venationis : 1° *Oppressiva*, sic dicta ab injusta oppressione hominum; sic Nemrod in Scriptura dicitur robustus venator, hoc est oppressor hominum, ut dicitur in cap. fin. Hæc venatio est illicita. 2° *Arenaria*, quæ exercetur cum bestiis pugnando in arena; de illa superius dictum est. 3° *Occupativa*, quæ ad ferarum, volucrum et piscium capturam ordinatur : dicitur etiam saltuosa seu silvatica. Piscatio sub nomine generico venationis comprehenditur. In hoc titulo agitur de tertia specie seu de venatione occupativa feræ liberæ.

b) Occupativa iterum est duplex : *clamorosa* quæ fit cum magno tumultu armorum, retium, canum aliorumque requisitorum, et capiendo apros, cervos aliasque majores feras præsertim exercetur; *quieta*, quæ fit sine magno strepitu, et lepores, vulpes aliasque feras minores et volucres capiendo exercetur.

II. Quæ venatio sit clericis prohibita?

a) Venatio occupativa seu proprie dicta est per se licita. Potest tamen fieri illicita ex quadruplici maxime capite : 1° Ex persona venantis, et sic interdicta est clericis (cap. fin. huj. tit.; conc. Trident., sess. 24, cap. 2, *de Ref.*). 2° Ex tempore quo fit, si scilicet instituatur diebus festivis, et ita ut per eam fiat ne missa audiatur, ut monent aliqui DD. 3° Ex loco in quo instituitur, si scilicet fiat in saltu alieno, contra voluntatem domini. 4° Ex detrimento boni communis vel particularis, quod exsurgeret, si v. g. piscatio fieret cum escis venenosis, quibus pisces omnes necarentur.

b) Venatio quieta, secluso scandalo vel turbatione officiorum ecclesiasticorum, personis ecclesiasticis permittitur, si utilitatis aut necessitatis corporalis vel etiam honestæ recreationis et rarius exerceatur : ita communiter DD. Ratio est, quia venatio in se est permissa jure naturali, cum sit actus seu res indifferens : ergo nisi jus positivum illam clericis prohibeat, erit permissa omnibus : porro jus, scilicet c. fin. huj. tit.; Clem. 1ª, *de Statu monach.;* concil. Trid., sess. 24, cap. 12, *de Ref.*, videtur prohibere tantum clamorosam, juxta communem interpretationem DD. Accedebat olim consuetudo, optima legum interpres, qua factum est venationem passim, etiam a doctis et timoratis clericis, pro licita reputari, indeque sine scrupulo practicari.

Tamen hodie consuetudo fere ubique videtur rigidior, et non permittere venationem quietam seu voluptuosam, saltem si fieret cum canibus; secus si cum laqueis, retibus tantum, exerceatur, vel si de sola piscatione agatur, quæ alias speciatim excipitur in jure, can. *Nunquam,* 33, dist. 5. Diximus « secluso scandalo », quod hodie vix abest, quando clerici venationem exercent cum armis et canibus. Quapropter, in pluribus provinciis et diœcesibus, jure speciali prohibita est venatio quieta cum canibus vel bellica fistula. Tamen in jure venatio non desinit esse quieta, etiamsi fiat cum canibus, saltem paucis, et cum armis, sed sine magno strepitu et tumultu, atque ad capiendos aut feriendos lepores, volucres, ferasque minores. Discrimen inter quietam et clamorosam videtur reponi, non tantum in diversitate modi, sed etiam in diversitate objecti venationis.

Adnotandum est etiam, quod quælibet venatio vehementer distrahit et avocat animos ab orationibus et officiis spiritualibus. Quare jam olim monebant omnes canonistæ, quod si venatio quieta esset nimis frequens, eo ipso esset prohibita, quia per eam clerici a divinis officiis aliisque spiritualibus occupationibus abstrahuntur, dum tempus feris aut volucribus investigandis impendunt.

c) Venatio clamorosa prohibita est clericis (c. 19 fin. huj. tit.). Ratio est, quia venatio non convenit modestiæ clericali neque lenitati, propter immitem sanguinis animalium effusionem : sic præ se fert speciem belli, simulque in animis excitat aliquam asperitatem, lenitati clericali valde adversam. Accedit quod clericos a divinis officiis aliisque spiritualibus occupationibus valde abstrahit. Episcopus nequit concedere clericis arma pro voluptuosa venatione, cum juxta declarationem S. Congr. Imm. (apud Ferrar., v° *Clericus*, a. 6, n. 10) facultas ferendi arma generatim concedi nequeat « nisi legitima causa ».

Multo magis venatio interdicta est monachis et aliis religiosis (Clem. *de Statu monach.*).Ratio est, quia illos magis dedecet, ita ut nec recreationis causa venatio eis sit licita; ita communis sententia. Tamen in his venationis usus non est peccatum mortale, si scandalum absit; et hoc multo magis verum est de clericis sæcularibus.

III. De pœnis latis contra clericos venatores.

a) Ex cap. 1 huj. tit., si sæpius exercita fuerit, episcopus jubetur tribus mensibus a communione arceri, presbyter duobus, diaconus vero suspendi ab officio sine determinatione temporis. Hæc suspensio est ferendæ sententiæ, ut clare præ se fert verbum « suspendatur », quo utitur textus in eod. decreto : imo requiritur, ut quis in venatione exercenda sæpius fuerit. Ratio disparitatis pœnæ est, quia dignitas in his rebus quæ statum clericalem dedecent, gravitatem delicti auget; quapropter merito episcopi graviori, quam inferiores clerici, pœna afficiuntur.

Ex indeterminatione pœnæ quoad diaconos, sequitur quod, quando placuerit, episcopus cum diacono poterit dispensare. Pœna lata contra diaconos extenditur a glossa (cap. 1) etiam ad

subdiaconum; sed hæc sententia non videtur amplectenda, cum fundetur in quadam identitate privilegiorum, ac proinde et pœnarum inter diaconos et subdiaconos; sed non datur vera communicatio privilegiorum, et etiamsi daretur, nihil posset colligi quoad communicationem pœnarum. Verumtamen subdiaconi puniri possunt ex arbitrio episcopi; minores clerici, saltem si sunt beneficiati, arbitrio judicis etiam plectendi sunt.

b) At, juxta plures, istæ pœnæ consuetudine abrogatæ sunt. Certo valere potest consuetudo contra leges venationem prohibentes, cum venatio sit res de se indifferens et jure naturali permissa; sed an de facto sint abrogatæ in omnibus regionibus? Communiter affirmant DD.; multi tamen negant, quia talis consuetudo fundatur in facto abusivo, quod juri non derogaret. Sed quidquid sit de illa diversitate sententiarum, certum est quod hodie, in multis statutis synodalibus, reperiatur sancita contra clericos venatores pœna suspensionis ad tempus determinatum, etiamsi agatur de venatione quieta, si hæc cum canibus fieret. Inde quæri potest:

c) Sub qua pœna hodie episcopus interdicere posset venationem? Monet Benedictus XIV, in *Syn. diœc.*, l. XI, cap. x, quod pœna non debet esse nimis rigorosa, præsertim pro prima vice, nec sub excommunicatione ipso facto aut privatione privilegii clericalis, ut constat ex decretis S. Congr. Episcop. et Regular. 10 mart. 1622, 5 april. 1604 (apud Ferraris, vº *Clericus*). Tamen clericis in sacris constitutis prohiberi potest ab episcopo delatio bellicæ fistulæ sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrendæ, ut declaravit S. Congr. Conc. 12 aug. 1641. Sed nequit aliis clericis arma deferentibus comminari aut infligere pœnam privationis privilegii fori; aliis ergo pœnis animadvertendi sunt, ut declaravit eadem S. Congr. an. 1625 (Apud Girald., ann. ad Thesaur. *de Pœnis ecclesiast.*, p. II).

TITULUS XXV.

DE CLERICO PERCUSSORE.

a) Post venationem agitur de percussione, quæ etiam opponitur mansuetudini ac modestiæ clericali. Duplex distinguitur percussio, manu scilicet et lingua. Manu percutientes, *malefici*, lingua percutientes, *maledici* appellantur. In præsenti titulo sermo est de maleficis, in sequenti de maledicis. Specialiter cuivis clerico, præsertim in majoribus constituto, prohibitum est laicum, etiam delinquentem, sive fidelem, sive infidelem, propriis manibus percutere. Constat ex variis juribus, speciatim ex cap. 1 hujus tit. post can. 1 et 7, dist. 45. In cap. 1 legimus : « Si quis in aliquo gradu sacro percussor exstiterit, corripiatur a crimine, et si se non emendaverit, deponatur. » Ratio jam superius data est : percussio repugnat mansuetudini Christi et modestiæ clericali : unde in canone *Episcopum* dicitur, post prohibitam percussionem, « quia nunquam nos docuit hoc Dominus. E contrario ipse cum percuteretur, non percutiebat; cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur. »

b) Verum hæc prohibitio limitationem patitur; nam aliquibus clericis percussio moderata sibi subditorum non est prohibita. Hinc,

1° Præceptores et magistri artium liberalium, si verba et minæ non proficiant, possunt venire ad verbera moderata, juxta personæ et culpæ qualitatem et locorum consuetudinem. Ita can. 19, dist. 1, *de Pœnit.*; et etiamsi discipuli sint clerici, valet exceptio; nam si moderata est percussio, et causa correctionis sit legitima, magistri corrigentes non incurrunt excommunicationem canonis, ex cap. 1 et 10 et 54, *de Sententia excomm.*; etenim percussio illa non fit suadente diabolo, nec violenta censetur.

2° Similiter excommunicationem non incurrunt seniores sacerdotes et alii clerici, si zelo devotionis, pueros vel adolescen-

tes in minoribus ordinibus constitutos, dum officium divinum turbant, leviter percutiant (c. 54 supra cit., et c. 16, *de Sent. excom.*, etc.).

3° Possunt prælati ecclesiastici, tum sæculares, tum regulares, disciplinæ causa, moderate percutere clericos et religiosos sibi subditos in minoribus ordinibus constitutos, etiam pro levibus culpis, in majoribus autem tantum pro gravibus (can. 8, dist. 45; can. 25, dist. 86). Sed utrum prælati possint propria manu sic percutere? Respondetur distinguendo. Episcopus nequit propria manu percutere, ut constat ex can. 25, dist. 86, nisi alium clericum qui id faciat, reperire non possit; verum hoc demandari non potest alicui laico, alioquin tam mandans quam verberans incurreret excommunicationem, excepto casu quo clericus penitus esset incorrigibilis. Ita omnes DD., ex can. 24, 33, *de Sent. excomm.* Sed alii prælati possunt propria manu verberare clericos sibi subditos.

Notandum est tamen, quod de consuetudine, tam episcopi quam cæteri prælati possunt curare, ut per laicos verberentur clerici delinquentes, cum difficile sit reperire clericos qui velint in se suscipere munus capiendi, incarcerandi et verberandi alios delinquentes clericos; deinde, talis punitionis exsecutio minus decet personam ecclesiasticam. Igitur hæc consuetudo est rationabilis, ac proinde legitima ubi invaluit.

c) *Pœnæ clerici percussoris.* Ex cap. 1 hujus tituli, clericus illicite percutiens, primo corripi debet pro excessu percussionis et qualitate delicti ac delinquentis, ad arbitrium superioris : si correptus non resipiscerit, deponi debet. Igitur depositio non potest fieri propter unicam aut alteram percussionem simplicem, quia non deponitur, nisi correptus qui se non emendaverit. Devenitur proinde ad depositionem, quando clericus consuetudinem habet percutiendi, ita ut facile procedat ad verbera, etiam pro minimis rebus, præsertim juncto scandalo.

Diximus : propter percussionem « simplicem », nam si clericus letaliter vel enormiter percussisset, etsi tantum semel fecisset, deponendus est, etiam absque ulla monitione, ut eruitur ex c. 2 huj. tit., et ex ratione, cum illa percussio gravissime adversetur statui, modestiæ et lenitati clericali.

TITULUS XXVI.

DE MALEDICIS (1).

I. Quid sit et quotuplex maledictio?

1° Maledictum, vel maledictio, a male dicendo vel loquendo sic nuncupatum est, et est maledictio de alio. Qui ita male loquuntur, *maledici* vocantur. Tribus modis quis maledicere potest : enuntiative, affirmando malum de altero ; imperio, malum alicui afficiendo, ut v. g. judex per sententiam condemnatoriam ; tandem imprecatorie, cum fit maledictio per modum optantis seu imprecantis. Hic accipitur primo modo.

2° Maledictum dividitur in detractionem, calumniam et blasphemiam ; blasphemia committitur in Deum vel sanctos, detractio et calumnia in homines. Est detractio, quando quis de absente male loquitur, ejusque famam injuste minuit vel tollit; calumnia est, quando quis in faciem alterius seu in illius præsentia malum objicit : vocatur etiam contumelia, quæ est injusta honoris diminutio : contumelia igitur fit instar rapinæ contra præsentem, dum detractio fit instar furti contra absentem. Notandum est, quod calumnia vulgo sumitur pro violatione famæ, ex appositione falsi criminis.

Maledictio in homines fieri potest vel in privatum, vel in superiorem, præsertim supremum, eumque ecclesiasticum vel sæcularem.

3° Maledictum in homines est peccatum ex genere suo mortale, ut ostendunt theologi.

II. De pœnis latis contra maledicos.

1° Clericus in proximum maledicus, maxime sacerdos, olim ad injuriæ veniam postulandam cogebatur; et si renueret, degradabatur, id est, suspendebatur, neque ante præstitam satisfactionem ad officium ecclesiasticum unquam revocabatur (Conc. Carthag. IV).

(1) Vide Cod. pœn., lib. III, c. 10.

2° Pœna maledicti in privatum commissi est, præter reatum peccati mortalis, obligatio in foro conscientiæ ad reparationem famæ et existimationis læsæ ; in foro externo, actione injuriarum maledici tenentur.

3° Maledicus in principem sæcularem olim tenebatur crimine læsæ majestatis, teste Arnobio, *Adv. Gentes*, lib. I. — Tamen postea principes christiani noluerunt ut ad extremum supplicium traherentur maledici, quia « si id ex levitate processerit, contemnendum ; si ex insania, miseratione dignissimum ; si ab injuria, remittendum, » ut in Cod. Theod legitur.

Excipitur, nisi maledictum contineat verba spectantia seditionem aut acclamationes turbulentas, quibus salus principis aut status adduceretur in discrimen : talis maledicus puniri potest pœna ad arbitrium principis.

4° Maledictum in superiorem ecclesiasticum, v. g. Papam vel episcopum, si processerit ex levitate, insania vel animi injuria ulcerati commotione, remittitur, juxta can. 27, causa 23, q. 4, quia mansuetudo decet Pontificem, tanquam vicarium Christi. Si vero processerit ex animo injuriandi, distinguendum est, an per maledictum soli personæ derogetur, an vero etiam Sedi Apostolicæ ? In primo casu, mansuetudo Christi requirit ut Pontifex remittat injuriam suæ personæ illatam : tamen alius judex, puta sæcularis, potest pro qualitate delicti punire maledicum, qui offendit episcopum, etiamsi episcopus, qui noluit esse judex in propria causa, illum accusare noluerit.

In secundo casu crimen condonari non debet nec potest, ut constat ex variis juribus, inter quæ c. 1 h. tit. Ratio est, quia ex condonatione grave sequeretur scandalum, et de ipsa auctoritate, ut sic, ejusque decore necessario, princeps disponere nequit. Pœna certa non est declarata in jure, et ideo maledicus arbitrio judicis, pro gravitate culpæ et circumstantiarum, puniendus est.

Si religiosi aliquem Ecclesiæ prælatum, sæcularem vel regularem, offendant vel ei detrahant, de jure communi debent per duos menses subjacere illis pœnis quæ juxta regulas vel statuta eorum ob gravia crimina imponuntur (Clement. 1ª, *de Privil.*).

III. De maledicto in Deum vel sanctos, seu de blasphemia.

a) *Quid et quotuplex blasphemia?* Blasphemia est mala seu contumeliosa locutio in Deum, quæ potissimum triplici modo fieri potest, videlicet : 1° quando aliquid affirmatur de Deo quod ipsi non convenit, vel quando negatur quod ei convenit : v. g. Deus est injustus, non est sapiens; hæc blasphemia vocatur *hæreticalis*, cum aliquid asserat vel neget contra articulos fidei; 2° quando quis detestatur Deum vel ei imprecatur malum aliquod : v. g. ut pereat vel contemnatur; hæc blasphemia dicitur *simplex;* 3° quando contumeliosa verba in Deiparam aliosque sanctos jaciuntur: in hoc casu est etiam contumeliosa locutio in Deum, quia sicut Deus honoratur in suis sanctis, ita blasphemia contra sanctos in Deum redundat.

b) *Pœnæ latæ in blasphemos.* 1° Jure ecclesiastico, olim clerici blasphemi deponebantur ab officio, et laici subjiciebantur excommunicationi ferendæ (can. *Si quis*, 10, causa 22, q. 1); postea vero istis decreta est pœnitentia publica quæ determinatur in c. fin. h. tit.; tandem variæ pœnæ statutæ sunt per diversas constitutiones SS. Pont., nempe Leonis X, Julii III et Pii V. Sed hodie nulla constitutio habet vim juris universalis; imo, in S. Officio, istæ constitutiones non sunt in usu, et ideo blasphemantes puniuntur a judice ecclesiastico, juxta consuetudines locorum : imo judex ecclesiasticus non solet procedere in causa blasphemiæ nisi contra clericos, et pœna est arbitraria, etiam juxta usum S. Officii.

2° Jure civili antiquo, erant gravissimæ pœnæ latæ contra blasphemos : per novell. 77, c. 1, in eos constitutum fuerat ultimum supplicium, cum blasphemia sit vitium omnium maximum. Hodie non modo a rigore pœnarum juris antiqui recessum est, sed etiam ab omnibus pœnis, quia legislatores hodierni nullam curam habent honoris Dei, et ipsi populi plurimum defecerunt in virtutibus justitiæ et religionis.

c) *Causæ excusantes a pœnis.* 1° Ad pœnas incurrendas requiritur blasphemia pronuntiata animo plene deliberato; si hoc fieret ex mala consuetudine, in ebrietate, in calore iracundiæ, non applicarentur ordinariæ pœnæ; ita etiam qui ex gravi atque justa causa iratus, blasphemat, mitius punitur. Sed qui ex

gravi quidem, sed injusta causa, v. g., ob perditam lusu magnam pecuniæ summam, vel qui ex levi, licet justa, causa in blasphemias erumpit, punitur pœna ordinaria.

2° Qui sine respectu ad Deum, ex mala consuetudine, subitanea ira et aliis causis supra enumeratis contra hominem vel jumentum blasphemant, non sunt rei blasphemiæ formalis, et ideo non incurrunt pœnas ordinarias blasphemorum.

d) Judex competens, respectu hujus criminis, generatim est judex ecclesiasticus. Si blasphemia sit hæreticalis, seu conjuncta cum expressa hæresi, cognitio de illo crimine ad solum judicem ecclesiasticum pertinet, ut constat ex tit. VII. Si blasphemia non fuit hæreticalis, sed simplex, est mixti fori, ita ut detur locus præventioni. At hodie judex sæcularis non procedit in causa blasphemiæ, cum nulla pœna in hodierno jure pœnali decernatur contra blasphemos.

TITULUS XXVII.

DE CLERICO EXCOMMUNICATO, DEPOSITO, VEL INTERDICTO MINISTRANTE.

Ratio ordinis. Crimina superius enumerata, seu venatio, percussio, maledicentia, licet clericos præ laicis dedeceant, sunt tamen communia utrisque; sed aliqua sunt crimina clericis propria; talis est temeraria susceptio et usus sacr. ordinum, quod primo fit quando in iisdem ordinibus clericus depositus vel censura irretitus ministrat.

I. Pœnæ latæ contra clericum censuram violantem.

a) Clericus qui in excommunicatione, suspensione vel interdicto existens, aliquem ordinis actum exercet, triplici pœnæ subjicitur, scilicet : 1° Incurrit pœnam depositionis ab officio et beneficio : hæc pœna est infligenda per sententiam, etiam monitione non præmissa, ex can. 4 h. t. cum glossa. Nec obstat cap. *Clericus,* 3, ubi dicitur « nisi moniti, » quia per hunc textum indicatur tantum quod episcopus potest prius, si velit, monere

reum, eique remittere pœnam depositionis, si monitus statim se emendet. Ita communiter DD.

2° Secunda pœna est privatio omnium beneficiorum, ex cap. 6 h. t. Juxta communem interpretationem, hæc privatio fit ipso jure seu ante omnem sententiam, nam verbum ultimum laudati capitis indicat sententiam jam latam.

3° Ultima pœna est irregularitas, quæ etiam ipso jure et facto incurritur. Ita communis et certa sententia, cum jura, scilicet c. 9 h. t., c. 1, *de Sent. excom.*, in 6°, etc., sint clara.

b) Tamen conditiones quædam requiruntur, ut a censuratis incurratur irregularitas : *In primis* necesse est ut exerceant actum proprium ordinis, et non sufficit sola receptio ordinis nec exercitium jurisdictionis, nec simplex assistentia matrimonio : secus si daretur solemnis benedictio conjugum. Ita etiam qui cantaret evangelium sine stola vel epistolam sine manipulo, baptizaret privatim et sine solemnitate, non incurreret irregularitatem ; secus si cæremonias baptismi antea valide dati suppleret, quia illud ministerium sacrum est, et materia talis gravis habetur in Ecclesia. Ratio exceptionum est, quia hi actus quandoque exercentur etiam a non ordinatis.

Deinde necesse est, ut ille actus ordinis exerceatur temere seu cum culpa, quia textus, v. g. c. 4 h. tit., quibus fertur irregularitas, agunt de iis qui « audent, præsumunt » se divinis ingerere : c. medecinalis *de Sent. excom.*, in 6°. Alias, irregularitas ista jure lata est in pœnam culpæ gravis, et quidem temeritate conjuncta : quapropter qui invincibiliter ignorant se censura aliqua esse irretitos (c. 9 h. t.) vel actum ordinis exercent, exigente extrema necessitate (conc. Trid., sess. 14, c. 7, *de Ref.*), vel ad evitandum grave scandalum aut infamiam, vel ob gravem metum (non tamen incussum in contemptum censurarum et Ecclesiæ), non incurrunt irregularitatem. Ratio duorum ultimorum casuum est, quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto incommodo.

Excusat etiam ab irregularitate, tum nullitas evidens sententiæ censuræ, cum sententia nulla careat juris effectu, tum parvitas materiæ, tum generatim quidquid excusat a peccato mortali. Tamen qui dubitaret tantum an sententia fuerit lata, non excusaretur, nisi, saltem juxta multos, jam appellasset a sen-

tentia censuræ contra se latæ : ita Pirhing, n. 43; Schmalzg., n. 13, etc., h. t.

II. Dubia quædam solvuntur circa illas pœnas.

1° An per exercitium actuum ordinis irregulares efficiantur etiam excommunicati tolerati, seu non vitandi? Dubium oritur ex const. *Ad evitanda* Martini V, ubi communicatio cum toleratis permittitur.

Sed respondetur affirmative; nam jura non distinguunt, et illa const. non est in favorem excommunicatorum; at non agitur de excommunicatione minori, quæ opponitur tantum receptioni sacramentorum, non vero administrationi.

Tamen si excommunicatus *toleratus*, legitime rogatus, exerceat actum ordinis, non incurret irregularitatem ; quia in hoc casu, cum moraliter necessarium sit aut valde utile, ut excommunicatus hunc actum exerceat, id facere poterit sine peccato, ac consequenter sine pœna. Est legitime rogatus, quando actus ad favorem petentis pertinet, ita ut isti non leve bonum afferat, seu petitio sit seria et vera causa exercitii ordinis. — Verumtamen, si posset prius absolutionem censuræ petere, vel petenti peralium non excommunicatum satisfacere, vel tandem ex officio non teneretur ministrare hæc sacramenta, non excusaretur. Ratio est, quia nulla est necessitas, et alias petitio ipsa esset illicita. Diximus « toleratus, » quia non toleratus incurreret irregularitatem, etiamsi absolvere sacramentaliter intentet, cum valide absolvere nequeat. Ratio est, quia non licet fidelibus communicare cum vitandis, et ideo illicita esset petitio.

2° An per invalidam administrationem sacramentorum excommunicatus incurrat irregularitatem? Resp. cum distinctione : si ex defectu intentionis requisitæ, probabiliter non incurritur irregularitas, quia actus, etiam ut procedit ex intentione agentis, non est usus ordinis : tamen qui, in sacrificio missæ, omitteret tantum consecrationem, esset irregularis, quia actio ipsa sufficit ad irregularitatem incurrendam : ita Schmalzg. (h. t. n. 25), post Suarez.— Si vero ex defectu materiæ vel subjecti est invalidum sacramentum, excommunicatus incurreret irregularitatem, quia vere violat censuram per exercitium ordinis.

3° An irregularitatem incurrat qui exercet actum proprium ordinis minoris? Prima sententia negat, et docet requiri ut clericus censuratus exerceat actum proprium alicujus ordinis majoris quia functiones minorum ordinum hodie non sunt actus proprii ordinis clericalis : ad eas obeundas deputantur laici. Sed altera sententia affirmat, saltem si clericus talem actum solemniter et quasi ex officio proprio exerceat. Ratio est, quia jura non distinguunt inter actus ordinum majorum et minorum. Giraldus putat controversiam hodie diremptam esse in sensu affirmativo, tum ex stylo Pœnitentiariæ et S. Congr. Conc. tum ex declaratione Benedicti XIV in epist. encycl. *Ad pœnitentiarios Urbis*, anno 1749. Verumtamen, quidquid sit de quæstione doctrinali, hodie cum vix aliquid faciant in minoribus constituti, quod non soleant facere laici, non videtur quomodo ipsi clerici possent solemniter exercere actus ordinis ; igitur vix dari posset casus quo clerici incurrerent irregularitatem, nisi agatur de exorcista, qui veste sacra indutus, exorcismos Ecclesiæ recitaret super energumenos

4° Qui dubitaret, an sit vere excommunicatus, incurreretne irregularitatem, si, stante dubio, exerceret actum proprium ordinis? Resp. cum distinctione :

Si a judice ecclesiastico fuit excommunicatus, et dubitat an legitime et valide lata fuerit excommunicatio, incurreret irregularitatem, quia talis pro excommunicato se habere debet, ut communiter docent DD. — Si vero dubitet, an de facto excommunicatus sit, et adhibeat debitam diligentiam ad rei veritatem indagandam, probabilius non incurreret irregularitatem, si exerceret actum ordinis ; est in possessione suæ libertatis : ita Schmalzg., n. 39, et alii. Nonnulli tamen, inter quos Reiffenst., n. 16, h. t., docent talem dubitantem teneri sub pœna excommunicationis abstinere ab exercitio ordinis, et id volunt eruere ex c. *Audientem* petito de *Homic.* Ad rationem respondent quod in re morali sequi debemus partem tutiorem.

TITULUS XXVIII.

DE CLERICO NON ORDINATO MINISTRANTE.

Crimini clerici censuris irretiti ministrantis affine est crimen clerici exercentis ordinem quem non habet.

I. Crimen et pœnæ usurpationis ordinum.

a) Usus ordinis non recepti est crimen grave, quod committitur, v. g. cum in minoribus tantum constitutus cum dalmatica et manipulo solemniter cantat epistolam, vel diaconus missam celebrat, solemniter baptizat, nuptias aut aquas benedicit, etc.

b) Pœnæ latæ contra ministrantes in ordine non suscepto sunt sequentes :

1° Prima pœna est excommunicatio, ex c. 1 h. tit. in quo legimus : « propter temeritatem (in tali usu ordinis non suscepti) abjiciatur ab Ecclesia ». Ex verbo *abjiciatur*, quod ministerium hominis indicat, patet excommunicationem esse ferendæ tantum sententiæ.

2° Secunda pœna est suspensio, ad biennium vel triennium, ab ordine ultimo suscepto, infligenda, ex cap. fin. h. t. In hoc cap. statuitur quod diaconus qui missam celebrare præsumpserit, a diaconatu maneat suspensus.

3° Tertia et præcipua pœna est irregularitas, saltem partialis, vi cujus ad superiores ordines non possunt promoveri taliter ministrantes. Ita expresse c. 1 et 2 h. tit., et istas pœnas renovaverunt Gregor. XIII, Sixt. V, Clem. VIII (const. *Etsi alias*) et Urban. VIII (const. *Apostolatus*), qui etiam alias addiderunt, scilicet degradationem et traditionem curiæ sæculari.

II. Conditiones requisitæ ad incurrendam pœnam irregularitatis.

1° Requiritur *ex parte subjecti* ut sit capax irregularitatis, seu sit baptizatus et mas ; nam cum non baptizatus et femina sint jure divino incapaces ordinis, sunt etiam incapaces irregularitatis. Unde aliter puniendi sunt.

2° *Ex parte actus et ministrantis,* necesse est ut exerceant actum ordinis proprium, et eo modo quo, vi ordinis, exerceri solet : v. g. si simplex sacerdos conferret ordines, diaconus celebraret missam, aut solemniter baptizaret sine debita licentia, subdiaconus cantaret cum stola evangelium, minorista cum manipulo epistolam, etc. Unde irregularis non esset qui in officio solemni cantaret epistolam vel evangelium, etiam dalmatica indutus, sed sine manipulo et stola, nempe sine propriis insignibus diaconi et subdiaconi. Ita communiter DD. Dicitur itaque « actus proprius ordinis », qui non posset valide vel saltem licite fieri a non ordinato, vel fieri eo modo quo fit : unde præter eos actus qui de jure divino sunt proprii ordinis, adeoque invalidi, si fiant a non ordinatis, alii etiam sunt de jure ecclesiastico proprii, ut benedictiones pontificales, baptismus solemnis, etc.

3° *Ex parte cognitionis et voluntatis,* requiritur ut id fiat temere, ut constat ex c. 1 h. tit. « propter temeritatem », ac proinde scienter. Ratio est, quia hæc irregularitas est pœnalis seu ex delicto, et ideo supponit actum graviter culpabilem : cessante ergo culpa, non incurreretur irregularitas.

Sed quæ ignorantia excusat? Certum est ignorantiam invincibilem qua quis putaret se habere illum ordinem quem exercet, excusare ; in hoc casu nulla esset culpa. — Aliqui putant ignorantiam crassam etiam excusare, quia pœna est valde gravis, ideoque non incurritur, nisi a sciente et temerarie præsumente, sive per contemptum ministrante : ita Suarez, Pirhing et alii apud Schmalzg. (h. t. n. 8), qui simpliciter et sine ulla animadversione illam sententiam refert. Tamen alii probabilius docent, ex c. 9 tit. sup., ignorantiam crassam, vincibilem ac supinam non excusare (Apud Bænninghaus., *de Irreg.*, t. I, p. 165). Qui ministraret in ordine quem suscepit, sed defectuose, quia aliquid substantiale vel accidentale omissum fuit, ita ut dubitet an valide vel invalide, probabiliter non incurreret irregularitatem : verum si defectus in ordinatione esset sine dubio substantialis, et ut talis cognosceretur a ministrante, hic certo incurreret irregularitatem. Generatim ergo ignorantia, dummodo non sit crassa, excusat, seu quotiescumque non est graviter culpabilis.

4° *Ex parte modi,* necesse est etiam ut ministrans in ordine non suscepto, agat serio, saltem quoad actum externum ; nam

si id joco tantum facit, non censetur in ordine ministrare : ita omnes DD. — Actio externa reputatur seria, quotiescumque sic facta, solet haberi ut talis ab hominibus.

5° Juxta plures, duce Navarro, requireretur etiam ut actus ordinis exerceatur cum intentione eumdem exercendi : sic, v. g. excusaretur tonsuratus qui solemniter cantaret epistolam cum manipulo, si nolit id facere « tanquam subdiaconus », licet in foro externo putaretur talis; nam qui talem non habet intentionem, non reapse illud exerceret officium, quantum ex se, cum in ritu ordinis requiratur intentio. Confirmant exemplo rebaptizantis exterius sine intentione, qui irregularitatem non incurreret; tandem nulla lex declarat sufficere actionem externam.

At communis, imo communissima sententia negat, quia alias hæc irregularitas facile eluderetur prætextu nullius intentionis; imo nonnisi a crassissime ignorantibus incurreretur, cum absurdum sit, ut quis habeat intentionem exercendi quod est in se impossibile. De sententia Navarri fuse disputat Suarez, qui impugnat rationem illius theologi, et ostendit sufficere, ad irregularitatem incurrendam, ut quis exterius serio usurpet ministerium ordinis.

III. Dubia quædam solvuntur.

1° An, ad irregularitatem hanc incurrendam, necesse sit ut quis ministret in ordine sacro?

Redit varietas sententiarum in tit. sup. enumeratarum : alii affirmant, quia in minoribus ministrare solent laici; sed juxta communem sententiam, sufficit ut quis solemniter et quasi ex officio exerceat actum minoris ordinis; nam jura non distinguunt, ac proinde nec nos distinguere debemus. Imo concilium Tridentinum decrevit « ut in posterum hujusmodi ministeria (ordinum min.) nonnisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur » (sess. 23, c. 17, *de Ref.*). Verumtamen ex consuetudine fere ubique vigenti, hæc ministeria a laicis exercentur.

2° An irregularitatem incurrat laicus actus ordinis, præsertim majoris, exercens?

Multi affirmant apud Schmalzg. (*l. c.*, n. 21). Ratio eorum est, tum quia laicus sic ministrans gravius peccat, tum quia jus

loquitur indistincte de non ordinato ministrante. At sententia negans non est improbabilis, imo communior et probabilior judicatur (S. Lig., VI, 118, VII, 359), tum quia irregularitas non incurritur nisi in casibus in jure expressis : porro licet, in cap. 1 h. tit. non speciatim agatur de clerico, tamen in ipsa rubrica tituli agitur « de clerico » non ordinato ministrante. Tamen qui primam propugnant sententiam, respondent in omnibus antiquis codicibus huic legi istam esse inscriptionem : *De non ordinato ministrante*, non autem, ut legitur hodie : De « clerico... » ministrante.

At laicus missam celebrans vel confessionem sacramentalem audiens gravissime peccat, et puniendus est ut reus criminis idololatriæ vel falsi ; tradi debet curiæ sæculari, ex const. *Etsi alias* Clem. VIII, *Apostolatus* Urb. VIII, et *Sacerdos in externum* Bened. XIV. Tamen istis pœnis non subjiciuntur qui annum vigesimum non compleverunt, juxta exceptionem factam ab eodem Urb. VIII in prælaudata const. ; unde excusat minor ætas, sed tantum in statuto limite.

IV. De potestate dispensandi in hac irregularitate.

1° Jure antiquo Decretalium, dispensare poterat solus Pontifex Romanus (c. 1, *de Sent. et re judic.*); et jure novo potest etiam solus dispensare in casibus publicis. — 2° Jure novo Trident., episcopus potest dispensare, si delictum sit occultum (sess. 24, c. 6, *de Ref.*); si vero sit publicum aut ad forum contentiosum jam deductum, solus Papa, ut dictum est, dispensat. Casus occultus ad forum contentiosum deductus desinit esse occultus.

TITULUS XXIX.

DE CLERICO PER SALTUM PROMOTO.

I. Quid sit promotio per saltum, et an sit valida?

1° Promotio per saltum est aliud crimen clericorum. In eo consistit, quod quis, uno vel pluribus ordinibus prætermissis, ad

superiorem ascendat : v. g. acolytus qui, prætermisso subdiaconatu, ascenderet ad diaconatum aut presbyteratum. Leges civiles et ipsa natura dictat, ut a minimis incipiatur, et nonnisi gradatim a minoribus ad majora officia ascendatur. Qui, omissa prima tonsura, ascendit ad ordines minores, dicitur etiam per saltum promotus ; nam, licet prima tonsura non sit ordo, est tamen primus gradus et quasi fundamentum ordinum, ad quos disponit et capaces efficit fideles; quare nullum fit discrimen inter primam tonsuram et ordines.

2° Promotio per saltum est graviter illicita, licet valida, excepto tamen episcopatu. *Est graviter illicita*, ut constat ex variis prohibitionibus Ecclesiæ (can. 1, dist. 52 ; can. 2 et fin., dist. 59; conc. Trid., sess. 23, can. 2 et c. 11 *de Ref.*) et pœnis contra sic promotos statutis. — *Est valida*, cum nihil impedit quin sic ordinatus recipiat characterem ordinis; est enim subjectum aptum sacramenti ordinis, et unus ordo non exigit characterem ordinis inferioris, tanquam conditionem sine qua non. Hoc ostendunt theologi. Tamen ordo episcopalis invalide susciperetur ab eo qui non suscepit prius ordinem sacerdotalem, quia hunc essentialiter supponit, cum sit illius extensio.

II. Quibus pœnis subjaceat sic promotus ?

1° Ordinatus per saltum ipso jure suspensus est ab ordine sic suscepto, ex c. h. tit. in 6°, et colligitur ex conc. Trid., sess. 23, c. 14, *de Ref.*, ubi permittitur episcopo potestas dispensandi ex justa causa cum promotis per saltum, si non ministraverunt. Aliqui tamen docent sic promotum non suspendi ipso jure; sed huic sententiæ obstant ipsa verba conc. Trid., declarantis « episcopum ex legitima causa posse dispensare cum promotis per saltum, si isti non ministraverint » (sess. 23, c. 14, *de Ref.*), saltem quando agitur de scienter ordinatis per saltum ; sed dubium est, an remaneat hæc suspensio post const. *Apost. Sedis.* Videtur negandum, cum de illa nulla fiat mentio in laudata const., et conc. Trid. non nisi indircete illam suspensionem commemoret. Verum opus est distinctione : nam suspensio, ut habet rationem censuræ, videtur quidem sublata; sed, sub ratione impedimenti seu inhabilitatis, remanet (*Comment. Patav.*, p. III, n. 463). Tamen sic ordinatus probabiliter non suspenditur ab

ordinibus rite susceptis : ita plures contra multos alios; ratio est, quia in materia pœnali adhibetur benigna interpretatio.

Sequitur quod suspensio illa triplicem habeat effectum : 1° inducit impedimentum respectu ordinis ad quem facta est talis promotio ; 2° impedit ne fiat accessio ad superiores ordines, et tandem 3° inducit speciale impedimentum quoad ordines prætermissos, ut non possint suscipi sine dispensatione. Ita omnes ex juribus supra citatis, quibus non officit jus novum constit. *Apostolicæ Sedis.*

Aliqui dubitarunt, an promotus ad ordines minores ante receptum sacramentum confirmationis, incurrat suspensionem, paritate data cum prima tonsura. Sed sententia communis negat, cum nullibi in jure detur talis pœna, imo satis probabiliter censeri possit in hoc non esse peccatum mortale.

2° Promotus per saltum non incurrebat irregularitatem ob violationem censuræ, nisi ministrasset temere in ordine sic suscepto; ratio est, quia nullo jure hoc expressum erat; deinde conc. Trid. permittit ut episcopus possit dispensare cum taliter promotis, « si non ministrarunt » ; igitur nulla incurrebatur irregularitas. Sed hodie non remanet censura. Tamen, quia non tollitur suspensio, quatenus simplex inhabilitas, sequitur quod clerici sic promoti, si ministraverint in ordine per saltum suscepto, aut si ad superiorem ordinem accesserint, peccarent graviter (Patav., *l. c.*, n. 464).

III. Potestas dispensandi in illis pœnis.

1° In suspensione dispensare potest episcopus, quando ordinatus per saltum non ministravit in ordine ita suscepto : hoc verum est, sive agatur de eo qui ignoranter suscepit ordines per saltum, sive dispensandus sit qui scienter fuit promotus per saltum : constat quoad utramque partem ex conc. Trid., quod (sess. 23, c. 14, *de Ref.*) dicit sine distinctione : « Cum promotis per saltum, si non ministraverint, ex legitima causa episcopus dispensare possit. » Collator Patavinus supra citatus varios profert auctores qui docent ab hac suspensione incurrenda non excusari ignorantes.

Tamen episcopus dispensare nequit, sive ut sic promotus ascendat ad superiores ordines, antequam ordines omissos

receperit, quia hoc esset contra primam institutionem ordinum; sive ut ante ordinis prætermissi susceptionem possit ministrare in ordine per saltum suscepto, propter rationem supra allatam; tandem episcopus nequit dispensare cum eo qui in ordine per saltum suscepto vel prætermisso ministravit, ut aperte declarat conc. Trid. Tunc fieri debet recursus ad S. Pontificem, nisi delictum administrationis fuerit occultum, quia episcopus, ex conc. Trid., dispensare potest in suspensione ob delictum occultum.

2° In ipsa irregularitate, dispensat etiam episcopus, vi facultatis Trident. (sess. 24, c. 6, *de Ref.*), cum iis qui ministraverint in ordine per saltum suscepto, quando delictum est occultum : si delictum est publicum, solus Rom. Pontifex dispensare potest.

TITULUS XXX.

DE EO QUI FURTIVE ORDINEM SUSCEPIT.

Ultimum delictum clericorum in susceptione ordinum est furtiva susceptio eorumdem ordinum. Hæc furtiva susceptio plerumque fit in ordinationibus per saltum, et ideo rectus ordo postulat, ut post titulum de promoto per saltum, agatur de eo qui furtive ordinem suscepit.

I. De furtiva susceptione ordinum et validitate vel invaliditate talis susceptionis.

a) Dicuntur ordinem furtive suscipere, in primis qui, absque licentia et consensu episcopi, vel sine prævio examine et approbatione, dolose et ordinatore ignorante, se ordinandis immiscent (can. 5, dist. 24; can. 4, dist. 63, et cap. 1 h. tit.). Item qui ad ordines minores admissus, eadem die recipit subdiaconatum, ex c. 2 h. tit. : excipitur tamen casus quo consuetudine introductum esset, ut eadem die ordines minores cum subdiaconatu conferantur. Tandem furtive ordinem suscipit qui contra superioris inhibitionem eodem tempore dolose recipit duos majores ordines (c. fin. h. tit.).

b) Licet talis susceptio sit gravissimum peccatum, tamen, seclusa intentione contraria conferentis ordines, ipsa ordinatio esset valida : colligitur ex c. 1 h. tit., ubi furtive ordinatus non debet iterum ordinari, sed sublata censura quam incurrit, permittitur ministrare in ordine furtive suscepto.

Diximus « seclusa intentione contraria », nam in quibusdam Pontificalibus, non vero in Pontificali Romano, reperitur aliqua declaratio pontificis protestantis se « non intendere ordinare non examinatos aut approbatos ». Porro certum est, ordinem furtive susceptum valore destitui, si revera ordinans habuit talem intentionem : fuse disputant nonnulli CC. de validitate talis ordinationis.

Sed cum hoc totum pendeat ex vera et subjectiva intentione ordinantis, tota quæstio reducitur ad explorandam hanc intentionem. Porro hæc intentio non semper resultat ex tali declaratione, quæ potius videtur adjecta animo absterrendi sic volentes furtive ordinari, quam animo non ordinandi. At ordinatio esset dubia, cum non constet sufficienter de intentione vera et subjectiva, vel de intentione prævalente. Quare ordinatio sic facta deberet iterari sub conditione, potissimum si ageretur de sacerdotio, ne remaneat dubium cum periculo invaliditatis aliorum sacramentorum quæ a sacerdotio dependent (S. Congr. Conc. 11 febr. 1710).

II. De pœnis latis contra furtive suscipientes ordinem et potestate relaxandi illas pœnas.

a) 1° Incurrunt suspensionem ab exsecutione ordinum sic susceptorum, ut patet ex c. pr. h. t., ubi prohibetur ministrare in ordine sic suscepto. Sed idem dicendum est de hac suspensione, ac de illa quæ fertur contra promotos per saltum, scilicet adempta est in ratione censuræ per const. *Apostolicæ Sedis;* remanet autem ut impedimentum seu inhabilitas.

2° Ex prohibitione facta in Pontificali Romano, incurrunt excommunicationem, et de consequenti suspensionem ab exsecutione ordinis sic suscepti, imo et cæterorum ordinum rite susceptorum : constat ex dictis in titulo XXVII et ex dicti ssupra, Notandum quod hæc suspensio non est irregularitas proprie dicta, sed tantum inhabilitas quædam ad exercitium ordinis.

3° Utrum incurrant irregularitatem eo quod suscepissent ordinem ligati censura excommunicationis? Alii affirmant, quia in cap. *Veniens* h. t., sic ordinatus nequit, etiam dispensative, ad altiorem ordinem promoveri, quod est præcipuus effectus irregularitatis. Alii distinguunt inter casum quo susceptio furtiva prohibita fuerit antecedenter ab episcopo sub pœna excommunicationis, et illum quo episcopus nullam protestationem fecerit: in primo casu, evidenter contrahitur irregularitas, ob violationem censuræ; in altero, jura solum declarant quod ita ordinatus ministrare nequeat in susceptis, et hoc significat suspensionem tantum. Ita Schmalzg. (h. t. n. 8, 9) post alios. Tandem alii docent sic ordinatum esse irregularem quoad ordines suscipiendos, et suspensum quoad susceptos (Layman, apud Thesaur., *de Pœn.*, p. II, c. 7).

Ab hac suspensione excusat tum ignorantia, si hæc excusaret a mortali, cum hæc suspensio sit pœnalis; tum vis aut metus gravis, modo metus incussus non fuerit in contemptum prohibitionis ab Ecclesia factæ.

b) *De potestate relaxandi pœnas ob furtivam ordinum susceptionem incursas.* 1° Si furtiva ordinum susceptio prohibita fuit sub pœna excommunicationis, ut communiter fit juxta Pontificale Romanum, solus Papa dispensare potest, nisi delictum fuerit occultum; hoc enim casu dispensare potest episcopus, ex concessione Tridentina (sess. 24, c. 6, *de Reform.*). Datur etiam altera exceptio: si furtive ordinatus intret religionem, et ibidem aliquandiu laudabiliter vivat, dispensare etiam potest episcopus, ut in furtive et rite susceptis ministrare possit, ac insuper ad ordines superiores promoveri valeat (c. 1, 2, 3 h. t.).

2° Si talis susceptio non fuisset antecedenter prohibita sub excommunicatione, cum sic ordinato dispensare posset episcopus (c. 1 et 2 h. t.).

TITULUS XXXI.

DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM ET SUBDITORUM.

Hactenus egimus generaliter de delictis clericorum; nunc agendum est specialiter de delictis prælatorum. Sed sicut prælati excessus committere possunt in subditos, ita et subditi delinquere possunt in prælatos. Itaque hic titulus est de delictis seu excessibus prælatorum et subditorum. Non agitur de omnibus excessibus, cum omnis transgressio legis sit excessus, sed de quibusdam ac speciatim de delictis per aliquam usurpationem vel indebitum exercitium potestatis.

I. Excessus superiorum.

a) Episcopi et alii superiores delinquere possunt in inferiores sibi subditos : 1° si eos gravent indebitis oneribus, vel si vexent censuris et aliis pœnis indebite inflictis, aut ex alto spectent ac viliter tractent, ita ut aliis, etiam laicis, sint despectui (c. 1 h. t.); 2° si eorum jura, immunitates et jurisdictionem ipsis competentem diminuant aut tollant (c. 2 h. t.); 3° si ecclesias vel beneficia, quorum collatio ad ipsos spectat, sibi retineant (c. 11 h. t.); 4° si beneficia conferant indignis, ex eod. c. 11; 5° si aliquid præcipiant aut interdicant contra tenorem privilegiorum ecclesiasticorum, seu exemptis aliquid præcipiant contra suorum privilegiorum tenorem (c. 5 h. t.). Aliqui CC. enumerant in specie varios excessus prælatorum contra regulares : Reiffenstuel quindecim excessus recenset contra regulares in communi, et duodecim in specie contra fratres prædicatores et minores.

Si ferrent censuram contra subditum, quia non paret contra privilegium, hæc censura esset ipso jure nulla (c. 7 h. t.). Tandem aliquando episcopi, ut delegati Sedis Apostolicæ, procedere possunt contra regulares, non obstantibus regularium privilegiis : sed illi casus in quibus episcopus legitime sic procedere potest, determinantur in tit. *de Off. judic. ord.*

b) Prælati regulares, vel generatim prælati episcopo inferiores,

duplici præsertim modo excedere possunt : 1° cum ecclesias sibi subditas uniunt auctoritate propria (c. 8 h. t.), at de unione ecclesiarum dictum est in titulo XII, lib. III; 2° cum sibi vindicant concessionem indulgentiarum, publicarum pœnitentiarum impositionem, et cognitionem causarum matrimonialium (c. 12 h. t.) : cum hæc omnia pertineant ad dignitatem episcopalem constituunt aliquem excessum, seu usurpationem auctoritatis; 3° quando monasteria ædificant contra formam a jure et constitutionibus pontificiis præscriptam, vel transferunt de loco in alium locum sive diversæ, sive etiam ejusdem civitatis, juxta communiorem sententiam, ex can. 41, causa 16, quæst. 7. De hac forma dictum est in tit. XL, lib. III, et consistit præsertim in consensu episcopi. Sed si ædificarentur in loco exempto et nullius diœcesis, nullus excessus committeretur, ut docent omnes, ex conc. Trident. et constit. *Quoniam* Clem. VIII.

II. Excessus subditorum.

Subditi sequentibus præsertim modis peccant in suos prælatos : 1° quando festivitates ab episcopo indictas, aut censuras et interdicta ab iisdem promulgata non observant; nam in his etiam regulares exempti parere debent episcopo (c. fin. h. t.; Trid., sess. 25, c. 12, *de Reg.*), ut dictum est in libro III. Iidem regulares debent etiam parere episcopo eos vocanti ad processiones indictas pro causa gravi, saltem quando monasterium non distat a civitate ultra medium milliare, ex conc. Trid. (sess. 25, cap. 13, *de Reform.*). Deberent etiam accedere, si monasterium distaret a civitate ultra spatium supra determinatum, si vigeret consuetudo accedendi : hæc consuetudo servanda est, ut declaravit S. Congr. Rit. 12 sept. 1699. Eximuntur etiam sæculares clerici qui non habent beneficium aut officium in civitate vel diœcesi, ut resolvit S. Congreg. Conc. 9 maii 1597.

2° Si trahant episcopum ad judicium sæculare, vel consilio aut auxilio juvent ejus adversarium : sic agens deponendus est suo officio et beneficio privandus (c. 15 h. t.), præter pœnam latam in const. *Apost. Sedis* contra trahentes clericos ad forum sæculare.

3° Quando beneficiati mutant causam sibi in beneficio possidendi, ut si vicarius sibi arrogaret titulum rectoris principalis ;

sic agens habetur ut perjurus et infamis, et ab officii sui exsecutione est amovendus (c. 6 h. t.).

4° Quando plures clerici sine consensu prælati sibi faciunt et usurpant commune sigillum, aliaque collegiorum jura (c. 14); quia non constituunt reapse unum corpus, sive collegium, sive capitulum.

5° Fit excessus sive ab inferioribus, sive etiam a prælatis, tam regularibus quam sæcularibus, si violentur clausuræ monasteriorum per ingressum et egressum sine debita licentia.

---

* TITULUS XXXII.

DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE (1).

Modus aliquis particularis quo excedere possunt prælati, consistit in ædificatione ecclesiæ, monasterii, etc. in præjudicium ecclesiarum, domorum piarum, etc. vicinarum; quare superiori titulo adnectitur præsens de novi operis nuntiatione.

I. Quid sit et a quo ac contra quem fiat hæc nuntiatio?

a) Novi operis nuntiatio est legitima prohibitio ne ecclesia, monasterium, vel aliud novum opus exstruatur, aut exstructum immutetur, donec constiterit de ædificantis jure : hæc præscriptio juris Romani fuit recepta in jure canonico : « Sicut leges non dedignantur SS. canones imitari, ita et SS. statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur, » ut expresse legimus in c. 1 h. t.; hæc verba ut axioma juris fuerunt semper considerata. Ille ergo nuntiat seu denuntiat novum opus qui prohibet ne fiat tale opus novum. Quid proprie veniat nomine novi operis, indicant jurisconsulti et canonistæ.

b) Novum opus nuntiare potest quilibet de populo, si agatur de novo opere circa res publicas seu in præjudicium boni publici; si vero ædificium sit circa res privatas, denuntiare possunt illi omnes quibus damnum quovis modo imminet, seu quorum

(1) In Pand. et Cod, h. t.

interest. DD. enumerant in specie illos omnes qui novum opus denuntiare possunt. Fit ergo hæc denuntiatio vel ad conservandum jus nostrum, vel ad avertendum præjudicium aut damnum, vel ad conservandum jus publicum. Sed cum illa quæstio hodie vix ad praxim spectet, prætermittimus illas enumerationes. Facile est discernere a quo fieri debeat, si præ oculis habeantur causæ ob quas fiat nuntiatio : ut dictum est, sunt tres, seu fit vel ad conservandum jus nostrum, vel ad avertendum præjudicium seu damnum ex novo opere oriturum, vel ad tuendum jus publicum.

c) Potest denuntiari contra quemcumque, etiam proprium superiorem, in præjudicium alterius novum opus molientem facere, idque mediate vel immediate, atque de quovis ædificio agatur, sive pio, sive profano. Non refert etiam, an reapse jus habeat ædificandi vel non, dummodo jus non sit notorium.

II. Quomodo fiat et quid operetur?

a) Fieri solebat hæc nuntiatio tribus modis : vel solo verbo extra judicium, adversario id molienti denuntiando; vel per judicem seu prætorem, petendo ab isto ut novum opus fieri prohibeat; vel per jactum lapidis in locum ubi opus fit, cum indicatione intentionis sic prohibendi novum opus. Ita jus Romanum, quod hæc tria media indicat. In primo et secundo casu, nuntiatio fieri debet coram testibus.

b) Novi operis nuntiatio facit, 1° ut is qui struere illud incœpit, ab eo debeat desistere, donec, re examinata, de ædificationis jure constet. Si secus fecerit, quidquid postea ædificatum est, expensis ipsius ædificantis demoliendum est ante omnem judicialem cognitionem an jus habeat vel non. Hæc dispositio juris Romani locum habet in foro ecclesiastico, et quoad ecclesias et alia ædificia pia aut religiosa.

2° Tamen quando jus ædificandi est notorium et nuntiatio notorie injusta, ipsa nuntiatio vim non habet. Item, si nuntians intra trimestre non probaverit sibi competere jus prohibendi vel si esset periculum in mora, et dilatio ædificii cessura esset in grave damnum volentis ædificare.

3° Si quis ædificaret in fundo suo, non posset opus a vicino prohiberi, licet ex tali ædificio vicinus quamdam incommodita-

tem sentiat : v. g. domus ejus fit obscurior, prospectus illius domus angustior, etc., nisi adsit servitus non officiendi luminibus, prospectui. Sed legitima esset oppositio, si ex novo ædificio, vicinorum ædibus immineat periculum damni. Ita in omnibus jus Rom. a jure can. receptum. Jus Gallicum penitus silet circa ædificationem novi operis, nisi illud opus fiat in fundo alieno (art. 555 Cod. civ.), vel agatur de pariete medio (tit. IV, *de Serv.*).

TITULUS XXXIII.

DE PRIVILEGIIS ET EXCESSIBUS PRIVILEGIATORUM (1).

In rubrica hujus tituli duo exhibentur tractanda: 1° privilegia in se spectata, 2° abusus privilegiorum. Prima pars seu tractatio de privilegiis, tanquam privatis legibus, magis proprie pertinet ad titulum *de Constitutionibus;* unde præsens titulus, quoad secundam tantum partem seu quoad excessus privilegiatorum, pertinet ad librum V, *de Criminibus;* excessus enim privilegiatorum consistunt in abusu privilegiorum, et sunt quædam delicta. Sed propter connexionem prioris partis cum altera, tota quæstio de privilegiis expenditur in præsenti titulo.

SECTIO PRIMA.

De natura et varietate privilegiorum.

I. De natura privilegiorum.

a) Privilegii nomen dupliciter accipi potest, scilicet: 1° materialiter, nempe pro rescripto seu instrumento in quo gratia principis continetur, et sic dicitur lex privata (can. 2, d. 3), juxta etymologiam vocis « privilegium »; 2° formaliter, id est, pro ipso jure, beneficio seu gratia concessa a principe. In hoc secundo sensu accipitur; quare definitur : « Jus singulare contra vel præter tenorem juris communis, ob aliquam utilitatem a principe concessum. » Expenditur definitio :

(1) Quoad jus Rom., vide Pandect., l. XIV, XVI, etc.

Dicitur 1° *jus* seu lex, per modum generis, in quo convenit cum lege, cum ad instar legis obliget; siquidem aliis necessitatem imponit ne usum privilegii impediant.

Dicitur 2° *singulare;* quia datur uni vel alteri personæ singulari aut communitati minori seu personæ morali; tamen ex consequenti obligat totam communitatem concedenti subjectam, ne privilegiatum in usu privilegii impediat.

Dicitur 3° *contra tenorem juris communis;* quia privilegium debet esse contrarium juri communi, ut declarat jus Rom. et communis doctrina jurisconsultorum. Unde id quod conceditur præter aut juxta jus commune, non esset in rigore privilegium, licet sæpissime dicatur privilegium; et ideo id omne quod conceditur speciale, a jure communi non concessum, vocari solet a canonistis privilegium. Hæc diversitas inter civilistas et canonistas est quæstio de nomine. Hinc materia seu objectum maxime proprium privilegii est actus jure communi præceptus aut prohibitus : quare, in dubio an sit privilegium declarativum juris communis aut concessivum contra jus, censetur concessivum, cum privilegium sit lex privata, maxime contra jus.

Dicitur 4° *ob aliquam utilitatem;* quia ad hoc ut quibusdam personis concedatur exemptio ab aliquibus legibus et oneribus communibus requiritur magna utilitas ipsius communitatis seu reipublicæ : patet ex privilegiis clericorum, pupillorum, minorum, etc., ex quibus magnum emolumentum ipsius societatis politicæ sequi solet.

Dicitur 5° *a principe;* quia suprema auctoritas sola potest derogare juri communi. Itaque causa efficiens privilegii est solus princeps supremus, seu legislator proprie dictus, qui habet potestatem relaxandi jus commune. Hinc forma intrinseca privilegii, sicut legis, est actus principis, legitime manifestatus; forma vero extrinseca desumenda est ex stylo cujusque curiæ principalis. Si in scriptis datur, sequitur formam rescriptorum; sed ad substantiam privilegii non requiritur quod sit scriptum (c. 7, causa 25, q. 2, et extrav. ult., *de Pœnit. et remiss.*).

b) Ex definitione eruitur qua ratione privilegium differat, tum a lege proprie dicta, tum a rescripto, tum a dispensatione. Differt a *lege :* 1° quia privilegium immediate spectat bonum personæ, collegii, etc. cui confertur; mediate tantum et de conse-

quenti bonum publicum, ut supra dictum est; lex vero respicit immediate bonum publicum, et mediate tantum bonum privatorum. 2° Lex semper adstringit ad sui observationem eos in quos fertur : non ita obligat ad sui usum privilegium eos quibus collatum est : « Invito beneficium non datur », ut dicit aliqua regula juris.

A *rescripto* differt : 1° quia rescriptum proprie dictum est responsum principis scriptum, dum privilegium potest etiam viva voce concedi, juxta communiorem sententiam; aliqua tamen privilegia requirunt scripturam. Totus valor privilegii, sicut legis, pendet a voluntate principis. 2° Rescriptum proprie tendit ad decisionem juris dubii, privilegium autem a jure communi eximit. 3° Rescriptum est gratiæ vel justitiæ, privilegium vero tantum est gratia respectu illius cui ipsum confertur.

Tandem a *dispensatione* differt, quia 1° dispensatio semper est adversa legi a qua dispensat; privilegium aliquando est præter legem, ut supra diximus; 2° dispensatio fere sine duratione aut stabilitate aliqua est; privilegium contra datur cum stabilitate aliqua, ad modum legis; 3° dispensatio plerumque ad unum duntaxat actum conceditur, privilegium autem ad actus plures.

II. De varietate privilegiorum.

Privilegium dividitur : 1° in *affirmativum,* quod consistit in facultate ad aliquid faciendum, seu quo conceditur actus, alias jure prohibitus, et *negativum* seu ad aliquid omittendum, quo conceditur facultas omittendi aliquem actum jure præceptum; 2° in *mere gratiosum,* quod datur ex pura benevolentia principis, et *remuneratorium,* quod datur ob merita personarum, seu in remunerationem servitiorum, expensarum, etc., in aliquo opere. Dividitur 3° in *favorabile* et *odiosum.* At hæc privilegia non eodem modo explicantur a canonistis : juxta meliorem sententiam, *favorabile* est illud privilegium quod primario et per se conceditur in favorem personæ, licet per accidens odium seu præjudicium alterius contineat; *odiosum* est illud quod per se et principaliter in odium et detestationem alterius conceditur, ut, v. g. privilegium revocandi donationem ob ingratitudinem donatarii. Juxta alteram sententiam, in communi usu

sat receptam, privilegia vocantur odiosa, quando ita favent privilegiato, ut simul adversentur juri communi aut tertii, seu gravamen et præjudicium alterius contineant, ut, v. g. jus exercendi pontificalia in alia diœcesi; sunt ergo favorabilia, quando ita favorem continent, ut nemini noceant : v. g. privilegium vescendi carnibus in quadragesima.

Dividitur etiam 4° ratione durationis in *perpetuum* et *temporale*, prout ex sese et nisi revocetur, durat perpetuo, vel de se tempore limitato finitur; 5° ratione causæ efficientis in *ecclesiasticum* et *politicum;* 6° ratione modi in concessum *motu proprio* et ad *instantiam* seu *preces*, prout causa concessionis fuerunt preces supplicantis, vel non : hæc causa, dum allegatur in ipso privilegio, efficit ut illud accipiat plenissimam interpretationem et omnem suspicionem subreptionis excludat. Privilegium potest etiam esse *clausum in corpore juris communis*, v. g. privilegia ecclesiarum et clericorum, etc., vel *datum per rescriptum speciale;* eorum notitia ex vocibus satis innotescit. Nonnulli opponunt privilegium *clausum in corpore* juris privilegio generatim *extravaganti*, seu extra corpus juris. Hæc divisio hoc habet speciale, quod judex nequeat ignorare privilegia clausa in corpore juris. Notandum est etiam quod privilegium clausum in corpore juris est verum privilegium, licet videatur lex universalis, nam respicit quosdam tantum et non omnes, seu totam communitatem. Dividitur etiam in *commune* et *privatum*, prout primario conceditur communitati seu universitati, et per se respicit bonum communitatis, vel conceditur personis particularibus et per se respicit commodum illarum personarum.

Tandem dividitur in personale et reale : *personale* est quod per se ac immediate conceditur ipsi personæ, independenter a causa, seu re, officio, aut simili titulo perpetuo, et cum persona exstinguitur. *Reale* est, quod conceditur quidem personis, sed dependenter a causa, seu ratione rei, dignitatis, officii, status etc.; unde directe et immediate confertur rei, loco, dignitati, officio, etc., et ultimate personis; et hoc transit ad successorem in eadem re, officio, etc. Itaque personale sequitur personam, et cum ea exstinguitur; reale vero adhæret rei, et ideo tandiu durat, quandiu durat res cui annexum est. Notandum est quod in dubio an privilegium sit personale vel reale, censetur per-

sonale, si est odiosum; reale vero, si est omnino favorabile. Aliqui huic divisioni tertium membrum addunt, nempe privilegium *mixtum*, seu partim personale et partim reale : v. g. privilegia clericorum, quæ conceduntur, non mere respectu personæ, nec mere respectu rei, sed ratione utriusque.

SECTIO II.

De acquisitione, innovatione et confirmatione privilegiorum.

§ I. *De acquisitione.*

Tribus modis acquiri potest privilegium : 1° per actualem concessionem principis, seu sine respectu ad aliud privilegium præexistens; 2° per communicationem, seu per extensionem alicujus privilegii, vel concessionem similis; 3° per præscriptionem, aut per consuetudinem legitimam, sicut ipsa jurisdictio et alia acquiri possunt per consuetudinem.

I. De concessione.

a) A quo concedatur? Ut dictum est supra, omnis et solus ille potest concedere privilegium, qui legem potest condere; nam privilegium est lex privata, et si est contra jus, privilegiatum ab observatione legis communis eximit; si vero est præter jus, cæteros obstringit, ne ipsum privilegiatum impediant ab usu privilegii. Ergo in omni privilegio requiritur potestas legislatoris. In specie conferre possunt privilegia :

1° Summus Pontifex, et quidem in materia spirituali indistincte in toto orbe terrarum; circa temporalia, in quantum opus est per ordinem ad spiritualia. Hoc intelligi debet non tantum de privilegio concessivo ultra jus commune, sed etiam de dispensativo in jure communi; nam Pontifex legem ecclesiasticam sibi subjectam habet simpliciter; civilem vero eatenus, quatenus opus est ad bonum commune Ecclesiæ.

2° Episcopi possunt conferre privilegia, saltem in legibus a se conditis, non vero contra jus commune, nisi quatenus hoc illis vel de jure, vel de consuetudine, aut per indultum speciale est concessum. Idem dicendum est de omnibus prælatis Papæ inferioribus.

3° Imperatores, reges, principes temporales in sua materia et ditione possunt conferre privilegia, cum habeant supremam potestatem condendi leges.

b) Cui concedatur? Privilegia concedi possunt, in primis subditis, cum privilegium, sicut lex, feratur pro subditis. Difficultas esse potest, an concedi possint etiam non subditis? Aliqui negarunt, ob rationem supra datam, quia scilicet lex non fertur nisi pro subditis. Sed opus est distinctione : 1° Privilegia quæ sunt contra jus et dispensativa legis, dari non possunt nisi subditis, seu iis qui lege arctantur ; nam supponunt præceptum obligans ad observationem legis, cum eximant a lege. Datur tamen exceptio, quando privilegium conceditur contra legem quæ obligat etiam extraneos in territorio concedentis versantes.

2° Privilegia quæ sunt præter jus et mere concessiva gratiæ, possunt etiam dari non subditis, quia hæc concessio non est tam actus jurisdictionis quam quædam donatio, seu talia privilegia sunt actus meræ liberalitatis : porro quilibet est capax donationis, ac proinde et privilegii gratiosi.

c) Ut concessio privilegiorum sit licita, requiritur *justa causa.* Ratio est evidens, cum justitia distributiva requirat ut nullus absque rationabili causa eximatur a lege communi, et sic conedatur alicui privilegium contra jus ; idem dic de privilegio præter jus, quia in tali concessione haberetur prodigalitas et acceptio personarum, et sic princeps excederet daretque occasionem invidiæ et perturbationis aliis non privilegiatis.

Potest tamen concessio privilegii esse valida, quamvis sit facta sine justa causa. Valor enim privilegii pendet omnino a voluntate concedentis. Sicut princeps potest, absolute loquendo, valide tollere legem ex toto, ita a fortiori potest unam vel aliam personam eximere ab obligatione observandi illam legem.

II. Communicatio et acquisitio privilegiorum.

a) Communicare, juxta vim nominis, idem est ac commune facere, ac proinde privilegium communicare idem est ac conferre alicui quod prius jam alteri fuerat concessum. Privilegia communicari possunt dupliciter : per extensionem ejusdem privilegii, et per concessionem similis.

1° Priori modo communicatio privilegii fit, quando unum

privilegium et idem, quod aliquibus personis antea concessum erat, ad alios æque extenditur, illos quasi aggregando cæteris qui antea gaudebant eo privilegio: tunc si augeatur vel minuatur privilegium in his quibus fuit primo concessum, augetur et minuitur in omnibus aliis; quia omnes æque primario privilegio illo gaudent. Contrarium tamen tenet Ferraris, post Suarez, Reiffenst., etc., quoad restrictionem, quia privilegium communicatum non penderet a primario, nisi in productione, non autem in conservatione (*Biblioth.*, v° *Privileg.*, a. 1, n. 29).

2° Privilegia communicata per concessionem similis, quæ idcirco dicuntur *privilegia ad instar,* participari possunt dupliciter, scilicet absolute et pariformiter, vel limitate et ex parte. In secundo casu, extensio communicationis desumitur ex tenore privilegii cum tali limitatione concessi.

In primo casu, est participatio plena et perfecta, ita ut is cui facta est talis communicatio, participet eodem modo ac ille qui habet vel habuit privilegia quæ participantur. Sunt tamen quædam exceptiones, ut si ageretur de privilegiis extraordinariis, vel localibus, aut ob specialem causam datis.

3° Speciatim de communicatione privilegiorum inter regulares aliquid notandum est. Hæc communicatio de facto pendet ex mente et voluntate Pontificis. Per bullam Leonis X, mendicantes inter se communicationem privilegiorum habent, et per alias bullas, etiam cum non mendicantibus. Sed non communicantur privilegia unius religionis alteri : 1° si ex hujusmodi communicatione observantia regularis labefactaretur; 2° si in ipso privilegio caveretur ne aliis communicetur; tamen multi, inter quos S. Lig. et Salmantic., affirmant illa communicari, quia in bullis Summ. Pontifex solet dicere, « quod tollit omne impedimentum communicationis »; 3° si essent concessa, non tali ordini, sed alicui religioso, vel aliquibus ecclesiis ad tempus determinatum, vel ob aliquam rationem specialem. Hæc accipienda sunt de privilegiis, gratiis, indulgentiis concessis.

b) Circa *acquisitionem* privilegiorum per consuetudinem vel præscriptionem, nihil specialiter hic dicendum est, cum redeant omnia de consuetudine et præscriptione dicta. Adnotandum est tantum 1° quod privilegia contra jus acquiri possunt per consuetudinem *communem* et legitime introductam, quia hæc

abrogare legem in totum potest; privilegia vero præter jus obtineri etiam possunt per consuetudinem *privatorum* seu præscriptionem legitimam; nam per hujusmodi consuetudinem, quæ inducitur via præscriptionis, acquiri potest jurisdictio (c. 9, *de Off. jud. ord.*).

2° Ad hujusmodi consuetudinem vel præscriptionem, non requiritur consensus principis alius quam qui datus est a jure, seu legalis. Tamen requiritur certum tempus, nempe ut consuetudo sit immemorialis, juxta quosdam, vel 40 annorum contra ecclesiam, et 30 annorum contra privatos; imo et quandoque sufficeret decennium, juxta alios.

3° Quando revocantur privilegia alicui concessa, non revocantur illa quæ consuetudine vel præscriptione comparata sunt; nam licet ista sint vera privilegia, tamen nomen privilegii communiter sumitur pro illis quæ specialiter a principe data fuerunt. Quare in materia odiosa, qualis est revocatio, nomine privilegii venire non debent illa quæ consuetudine vel prescriptione fuerunt acquisita, sed tantum in materia favorabili.

§ II. *Innovatio seu confirmatio et usus privilegiorum.*

I. Innovatio.

Confirmatio seu innovatio privilegii nihil est aliud quam corroboratio, per legitimum superiorem facta, privilegii jam antea legitime habiti. Innovatio potest esse *materialis* tantum, quæ habetur quando instrumentum deperditum de novo describitur; vel *formalis,* qua confirmatur ipsa concessio facta. De hac ultima agitur, quæ est veri nominis innovatio.

Hæc communicatio datur, vel in forma communi, seu modo quo solet concedi tale privilegium, nempe non præcedente alia cognitione causæ; vel in forma speciali, seu ex certa scientia, quando superior legitimus, perspectis ipsius privilegii natura et circumstantiis, privilegium istud corroborat. In primo casu, privilegium relinquitur in statu quo erat antea, sive validum, sive invalidum fuerit, nam hæc confirmatio nullum jus novum tribuit, nec invalidum revalidat: agnoscitur tantum jus antea datum, si fuerit. Unde est utilis vel inutilis, prout est legitime, vel obreptitie aut subreptitie obtentum (Vide tit. xxx, lib. II).

In secundo casu, non modo corroboratur privilegium validum, sed etiam revalidatur invalidum, si aliquo modo invalidum fuisset redditum, cum hæc confirmatio æquivaleat novæ concessioni. Hæc omnia eruuntur ex c. 4, *de Confirm. util. vel inut.*, ex c. 1, *de Transact.*, etc.

II. Usus privilegii.

Notandum est quod privilegium ordinarie non sortitur effectum, nisi postquam ad privilegiati notitiam pervenit; ratio est, quia privilegium invito non datur, ac proinde requiritur voluntas acceptantis, quæ præsupponit notitiam. His positis, quæritur, an et quomodo privilegiatus suo privilegio uti possit? 1° Privilegiatus generatim non tenetur uti privilegio, si illud privilegium est singulare seu *privatum*, quia, ut jam supra dictum est, quod in favorem alicujus factum est, non debet in gravamen ejus retorqueri (reg. LXI in 6° et c. 6 h. t.); tamen per accidens teneri potest, ut si quis, v. g. haberet privilegium audiendi missam tempore interdicti, teneretur die festo audire missam, ex præcepto Ecclesiæ.

Si vero privilegium esset *commune*, illo teneretur uti quilibet de communitate cui concessum est privilegium, quia generatim privatus nequit renuntiare privilegio communi.

2° Adversus alium privilegiatum uti suo privilegio potest privilegiatus, si æqualia essent privilegia et in re simili, quia in hoc casu privilegium unius non derogat alteri. Si vero privilegia essent opposita, præferendum est speciale contra generale, quia «species derogat generi» (reg. XXXIV in 6°); vel si æque generalia, antiquius aut a potestate superiore concessum, namque in contrariis fortius prævalet.

3° Quoad *locum* quo privilegiatus potest uti privilegio suo, distinguendum est, an privilegium concessum sit pro certo loco et tempore, an vero absolute et sine limitatione temporis vel loci. In primo casu, usus privilegii extra locum vel tempus illicitus est, quia privilegium extendi non potest ultra intentionem concedentis, cum ex ejus voluntate totus valor privilegii pendeat. In altero casu, privilegium valet pro omni territorio concedentis, quia non est major ratio pro uno loco quam pro altero; unde si non valeret pro omni loco, esset nullius valoris.

Extra territorium concedentis privilegiatus uti potest privilegio suo, si per illud tollatur inhabilitas et impedimentum ad functiones, v. g. irregularitas, censura; si illud privilegium daret potestatem aliquid agendi vel omittendi, valeret, etiamsi nulli juri repugnaret, quia non videtur quomodo usus posset esse illicitus, cum nulla lege prohibeatur; at si adversaretur juri communi illius loci in quo exerceretur, v. g. facultas vescendi lacticinio in quadragesima, usus esset evidenter illicitus, nisi privilegium sit mere personale, v. g. privilegium non jejunandi; nam tale privilegium adhæret personæ.

SECTIO III.

De interpretatione et extensione privilegiorum.

I. Interpretatio.

a) *Regulæ generales* circa interpretationem privilegiorum:

1° Si privilegium feratur verbis claris, quæ intentionem concedentis sufficienter exprimant, interpretatione non indiget, sed tenor privilegii inspiciendus et servandus est (c. 7, 8 h. t.). Ratio est, quia interpretatio est ad investigandam voluntatem concedentis, quæ hic ex verbis satis apparet.

2° Si in forma privilegii adhibeantur verba obscura, incerta, attendenda est tum supplicatio, cum princeps precibus sibi factis se accommodare soleat, tum initium ipsius indulti, quia cætera solent accommodari initio, tum materia circa quam versatur privilegium, quia ex re subjecta, intentio concedentis rite colligitur, tum ipsum genus privilegii, prout est secundum, contra vel præter jus. Potest etiam adhiberi regula extrinseca, hoc est privilegium aliquod ex similibus declarari. Si ex his criteriis sensus non posset definiri, tum fieri deberet recursus ad concedentem, si res patiatur dilationem; secus ex æquo et bono interpretari potest.

3° In interpretatione privilegii, servanda est verborum proprietas juxta usum communem vel jus, quantum fieri potest, quia princeps censetur adhibere verba secundum significationem communiter receptam, vel secundum jus privilegio proportionatum, nempe civile aut canonicum. Tamen, si jus vel factum sensum translatum verborum exigat, ut si v. g. privile-

gium esset injustum aut inutile, verba translate vel etiam improprie explicanda essent. Ratio est, quia princeps nequit aliquid injustum statuere; atqui non decet ut inutilem et frustraneam actionem efficiat.

4° Privilegium ita est interpretandum, ut non sit onerosum privilegiato; secus aliquid non concederet, sed potius auferret.

b) *Regulæ particulares* interpretationis privilegiorum :

1° Quoad privilegia *favorabilia*, quæ scilicet merum favorem continent, et juri communi non derogant, nec in præjudicium alicujus tertii cedunt, sunt *late interpretanda*. Ratio est, quia sunt purus favor principis; porro, juxta regulam juris xv in 6°, « Odia restringi et favores convenit ampliari; » et ex c. 22 h. t., beneficium et favor principis latam, imo latissimam interpretationem habet.

2° Quoad privilegia *odiosa*, nempe juri communi vel consuetudini derogantia aut in præjudicium tertii, *regulariter sunt strictæ interpretationis*. Constat ex c. 7 et 9 h. t. et ex c. 8, *de Consuet*. Ratio est, quia jus commune et consuetudo ordinata sunt ad bonum commune et utilitatem publicam, et ideo quidquid huic juri derogat, odiosum; ergo restringi debet, ut quam minimum « recedat a norma utilitatis publicæ » : hinc reg. xv in 6°, « Odia sunt restringenda. » Tamen dicitur *regulariter*, quia excipitur privilegium concessum in favorem religionis, communitatis, causæ piæ, vel in bonum commune reipublicæ, qualia sunt v. g. privilegia militum. Ratio est, quia præstantia objecti talis privilegii et bonum quod his privilegiis procuratur, compensant sufficienter vulnerationem juris communis quæ fit per privilegii extensionem.

Si cedat in præjudicium tertii, eamdem strictam patitur interpretationem, ut constat ex c. 15, *de Off. deleg.*, et ex c. 16, 19, 31, *de Privileg*. Ratio est, quia princeps non censetur velle alicui gravamen inferre, nisi de illa voluntate constet. DD. etiam communiter excipiunt privilegium motu proprio et ex certa scientia concessum, quia hoc privilegium est singularis favor et beneficium principis, ac proinde ad ejus honorem latam interpretationem accipit.

II. Extensio privilegiorum.

Extensio distinguitur ab interpretatione : interpretatio enim est de mente legislatoris, quando illa mens verbis ambiguis significatur. Extensio autem fit quando privilegium pro talibus personis vel casibus datum, ad alias personas vel similes casus extenderetur.

1° Privilegium odiosum non potest extendi, quia odia sunt restringenda.

2° Privilegium favorabile extendi potest ad personas et casus virtualiter saltem in privilegii forma comprehensos. Ita communis sententia contra aliquos, qui negant sufficere ut casus virtualiter tantum comprehendantur in forma privilegii. Ratio est, quia non est vera extensio, sed tantum interpretatio comprehensiva : hæc autem interpretatio in hoc tantum consistit, ut detegat casum aut personam quæ quidem in privilegio non exprimitur, virtualiter tamen et implicite continetur, atque in mente legislatoris comprehenditur. Hinc privilegium filiorum, fratrum, virorum regularium, commune est filiabus, sororibus, monialibus, dummodo materia sit eis accommodata.

3° Dubitatur, an privilegium possit extendi etiam ad personas non expressas formaliter vel virtualiter in forma privilegii, vel ad casus similes? Communior sententia negat, contra aliam docentem privilegia extendi ad casus similes, et Sanchez, qui talem extensionem admittit in favorabilibus. Ratio est, quia privilegii efficacia pendet ex intentione concedentis: porro hæc intentio significatur verbis; quapropter quando personæ non sunt nec formaliter nec virtualiter expressæ in privilegio, non comprehenduntur in intentione concedentis.

SECTIO IV.

De amissione et revocatione privilegiorum.

I. De amissione privilegiorum.

I. Amittuntur privilegia primo et principaliter *a*) interitu subjecti. Quando privilegium est personale, pereunte persona, perit ipsum privilegium, ex reg. VII in 6°. Si vero sit reale, pereunte re, perit ipsum privilegium quod rei inhæret : v. g. pe-

reunte ecclesia sine spe reædificationis, pereunt privilegia huic loco inhærentia, ex reg. XLII in 6°. Si vero daretur spes reædificationis, non cessaret privilegium; sed res conservaret omnia sua privilegia. Tamen si privilegia essent concessa principaliter ædificio aut ecclesiæ, altari, et eorum usus requirat locum, v. g. indulgentia altaris privilegiati, non destruerentur quidem, sed suspenderentur usque ad reædificationem : ita communis sent. cum Ferrar. (*l. c.*, a. 3, n. 10).

b) Sed quæritur utrum privilegium finiatur morte concedentis? 1° Respondetur regulariter non amitti, ut docent communiter DD. Ratio, quia regula generalis est quod gratia semel rite obtenta et acceptata non cessat per mortem concedentis, ut eruitur ex c. 9, *de Off. jud. deleg.*, in 6°, et c. 36, *de Præb.*, in 6°. Confirmatur, quia privilegium est quædam liberalis donatio, quæ non exspirat morte donantis. Et hoc procedit de privilegio ad tempus sicut de perpetuo, de privilegio odioso sicut de favorabili, imo etiamsi res sit adhuc integra, excepto saltem rescripto justitiæ, quod exspirat morte concedentis, si res fuerit incœpta: secus, si res non esset integra.

Diximus *regulariter*, quia sunt casus in quibus finitur privilegium per mortem concedentis. Imprimis exspirat, si datum fuerit cum clausulis, *quandiu vixero*, aut *usque ad beneplacitum nostrum*. Hæc verba limitant privilegium ad vitam concedentis. Verumtamen, quoad ultimam clausulam, quidquid sit de sensu obvio verborum, censent communius hodie CC. privilegium sub hac clausula datum perseverare, quia hæc verba benigne interpretari possunt, in hoc sensu quod princeps intendat solum cavere quod privilegium non transeat in contractum. Aliqui tamen distinguunt, ex c. 5, *de Rescript.* : si diceretur ad beneplacitum « nostrum », cessaret; si vero haberetur ad beneplacitum « Sedis Apostolicæ », duraret.

2° Exspirat morte concedentis, re adhuc integra, si sit gratia non facta, sed facienda per exsecutores, nam princeps nihil concessit, sed tantum dedit facultatem concedendi. Ergo, cum morte concedentis exspiret commissio facta exsecutori, exspirat ipsum privilegium. Secus tamen si commissio fuisset facta in favorem ipsius delegati seu commissarii ; ratio est, quia respectu illius est gratia facta.

3° Casus particulares enumerari possunt, in quibus privilegium, etiam re integra, non exspirat morte concedentis, v. g. licentia audiendi confessionem pœnitentium, data a Pontifice vel episcopo, quia est gratia facta præcipue sacerdoti. Ita omnes. Idem dicendum de facultate concessa eligendi confessarium qui absolvat a reservatis, vel dispenset, etc., quia est beneficium jam possessum a privilegiato. Idem etiam de dispensationibus quæ a Pontifice committuntur sub clausula, *si preces veritate nitantur;* sunt etiam gratiæ factæ ipsi dispensando. Idem probabiliter de indulto absolvendi quasdam personas determinatas, quia hoc indultum est simul gratia absolvendorum et absolventis. Quoad dispensationes matrimoniales, diximus supra in lib. IV.

II. His etiam modis amittuntur : 1° *lapsu temporis* pro quo data sunt, vel non servata conditione quacum data sunt. Generatim concessum sub conditione est concessum pro toto tempore, quanto duraverit conditio, ideoque, cessante conditione, cessat etiam privilegium.

2° *Non usu,* seu usu contrario, pereunt privilegia affirmativa quæ gravamen tertii continent : ut privilegium decimandi vel non solvendi decimas. Qui enim tempore legitimo, scienter, sponte et voluntarie non utitur privilegio, dum eo uti posset et deberet, tacite censetur ei renuntiare, illudque submittere præscriptioni exstinctivæ. Tempus ad illam præscriptionem requisitum est varium pro varietate rerum, jurium, actionum et servitutum, juxta dicta in tit. *de Præscript.* Diximus « quæ gravamen... », nam si hæc privilegia affirmativa essent meræ gratiæ in nullius gravamen cedentes, per merum non usum minime amitterentur, ut docet Ferraris (*l. c.*) cum communi.

3° *Abusu,* ut si quis excederet fines privilegii, vel sumeret ex eo occasionem liberius peccandi, vel contra finem privilegii ageret (c. 13 h. t.), etc. Ratio est, quia meretur privilegio privari, qui illo abutitur, ut legimus in cit. cap. Tamen non semper ipso facto et jure amittitur per abusum ; requiritur sententia et revocatio, nisi in jure aliud exprimatur.

4° *Libera renuntiatione,* quando privilegium continet privatum favorem, quia quisque potest juri et favori suo renuntiare (c. 6 h. t.). Si talis renuntiatio fit in gratiam aliorum, requiritur

eorum consensus et acceptatio; si vero in nullius gratiam renuntiatur, requiritur concedentis consensus : colligitur ex c. 7 *de Procur.*, in 6°; secus privilegium durabit, quandiu durat voluntas concedentis. At si privilegium contineat favorem publicum, ut si concessum fuerit in favorem communitatis, dignitatis vel loci, privatus ei renuntiare nequit, ex reg. l. XXXVIII, ff. *de Pactis*; sed tota communitas posset renuntiare, non vero membrum seu pars communitatis. Hinc clericus nequit renuntiare privilegio fori, regulares privilegio exemptionis, etc.

5° *Cessante causa.* Sed hic plures requiruntur distinctiones. Imprimis notandum est quod agitur de sola causa finali, quæ est causa principalis seu determinans, non autem de causa impulsiva, quæ secundario solum movet principem. Si hæc causa finalis cessat ante actualem concessionem, nullum fit privilegium; deficit enim voluntas principis, ideo quia movetur a causa finali, quæ tunc non existit. Deinde, si privilegium, stante causa finali, unico actu perfecte et integre consummatum est, non cessat, cessante causa: ratio est, quia in conservando non pendet a tali causa; constat etiam ex reg. LXIII in 6°. Tertio, si actus privilegio concessus habeat tractum successivum per dies, menses, etc., cessante causa *contrarie*, ita ut ex actu seu usu privilegii ex licito fiat illicitus, cessat privilegium, cum hoc non possit dari super actu illicito. Sic generatim privilegia religiosorum cessant, si incipiant esse noxia disciplinæ regulari. Tandem, si causa privilegii non existit tota simul, sed habet tractum successivum, ea cessante, cessat ipsum privilegium.

Hæc cessatio generatim intelligi debet de privilegio quod derogat juri communi vel alterius tertii, cum ad talis privilegii conservationem requiratur eadem causa quæ illius concessionem primitivam reddidit rationabilem. Secus si ageretur de privilegio juxta aut præter jus, cum sit merus favor.

II. De revocatione privilegiorum.

a) Solus princeps vel ejus successor potest revocare privilegia; nam inferior nequit tollere jus superioris. Tamen sunt exceptiones. 1° Papa vel alius princeps non potest revocare privilegia ex pacto seu contractu oneroso concessa, nisi in casu

extraordinario ex re gravi et publica causa. Ratio est, quia princeps subditur juri naturali, quod dictat *neminem lædere;* porro per privilegium ex pacto oneroso concessum, subditus titulo justitiæ habet jus quæsitum. Confirmatur, quia princeps non potest subdito tollere jus quæsitum, nisi vi alti dominii; porro quælibet expropriatio privatorum, vi alti dominii, publicam et gravem causam exigit. Ad hoc genus privilegiorum pertinent *concordata,* quæ proinde non possunt revocari a Summo Pontifice, nisi ex gravi et publica causa ad bonum commune Ecclesiæ pertinente (Vide Proleg., p. III, c. II, a. 2).

2° Idem dicendum est de privilegio remuneratorio, ex titulo justitiæ dato, ac de privilegio ex pacto oneroso. Sequitur, quod si princeps velit talia privilegia revocare, tenetur compensationem facere subdito, qui evidenter non tenetur jus suum gratis remittere. Inde,

3° Principium generale valet simpliciter pro privilegiis mere gratuitis, seu quæ sunt pura privilegia. Princeps potest illa revocare sine ulla causa, cum totaliter pendeant ab ejus beneplacito; verum enim, ex honestate et decentia, tenetur princeps ea non revocare, nisi accedat justa et proportionata causa, secus talis revocatio saperet levitatem et inconstantiam. Verumtamen si privilegium mere gratiosum fuisset collatum non subdito, revocari amplius non posset; quia post acceptationem transiit in pactum.

b) Modus quo fit hæc revocatio est duplex. 1° Fieri potest *expresse*, dum princeps per verba aperta, specialia vel generalia, privilegium datum aufert. In hoc casu, debet intimari privilegiato, et revocatio non sortitur suum effectum, nisi post illam intimationem. Ratio est, quia per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissolvi debet, ex reg. I *in antiq.* 2° Revocatio fit etiam *tacite*, dum princeps ponit actum seu legem directe contrariam privilegio, seu quæ non possit subsistere sine revocatione privilegii (c. 28 h. t.). Notandum est tamen quod per clausulam generalem, *non obstantibus quibuscumque privilegiis*, non revocantur privilegia specialibus munita clausulis, nisi de illis fiat specialis mentio.

c) De revocatione privilegiorum regularium per concilium Tridentinum fuse disputant veteres canonistæ; sed sufficiunt

dicta de privilegiis in genere, relictis omnibus quæstionibus de privilegiis quibusdam in particulari. Notandum est tamen, quod privilegia vivæ vocis oraculo olim concessa, fuerunt revocata per constitutiones *Alios* Urbani VIII et *Romanus* Gregorii XV.

SECTIO V.

De privilegio exemptionis.

I. De exemptione.

a) Quid et quotuplex sit privilegium exemptionis? 1° Exemptio est personæ aut loci, vel utruisque liberatio a jurisdictione ordinarii vel alterius superioris.

2° Exemptio est triplex : personalis, localis et mixta. *Personalis* est, quæ adhæret personæ eamque sequitur quocumque veniat. *Localis*, qua locus, v. g. ecclesia, monasterium, subtrahitur jurisdictioni ordinarii. Tandem *mixta*, qua personæ et loca, eorumque res, ab ordinarii potestate eximuntur.

Rursus exempti, alii *sunt nullius diœcesis*, qui cum clero, populo et toto territorio eximuntur, ita ut jurisdictionem quasi episcopalem exerceant, ac ordinarii nomine veniant. Alii sunt *in diœcesi*, sed non *de diœcesi*, quia quoad personam et locum sunt exempti; sed certum populum cum territorio exemptum non habent.

Item alia exemptio est *in capite et membris*, dum et ecclesia principalis et capellæ seu ecclesiæ, parochiales vel non, eidem annexæ, exemptæ sunt; et alia *in capite tantum*, quando ipse locus principalis exemptus est, non autem annexæ parochiæ vel beneficia; ideo abbas, cujus ecclesia tantum principalis exempta est, ratione capellarum seu locorum non exemptorum, subjicitur ordinario ; quare ad synodum venire ejusque decreta recipere tenetur, ex c. 17 h. t.

b) Quo jure acquiratur exemptio? Generatim liberatio a jurisdictione ordinarii acquiritur præsertim privilegio Papæ, et sic monasteria et integri ordines religiosi subjiciuntur soli Romano Pontifici. Datur illud privilegium, sive quia interest auctoritatis papalis ut multos habeat sibi immediate subjectos, sive quia consulit tranquillitati monasteriorum, sive denique quia episcopi ex clero sæculari assumpti ad disciplinam regularem pro-

movendam minus idonei sunt. Acquiritur etiam præscriptione 40 ann., aut tandem concessione episcopi, ex justa causa et de consensu capituli, saltem in limine fundationis. An possit etiam post fundationem factam, controversia est apud CC.; juxta veriorem sententiam, posset etiam, accedente justa causa et consensu capituli.

Quoad effectum, distinguendum est inter legem diœcesanam et jurisdictionem episcopi. *A lege diœcesana* religiosi et horum monasteria exempta sunt ex dispositione juris communis, prout patet ex can. 8, causa 10, q. 8, et can. 34, causa 16, q. 1. *A lege jurisdictionali* exemptio eis competere cœpit jure speciali, quamvis deinde aliqua hujusmodi privilegia eximentia a jurisdictione ordinarii cum tempore inserta sint corpori juris communis (c. 15, 16, *de Excess. præl.;* Clem. 1ª, eod.; Clem. 2ª, *de Censib.*, etc. (Vide tit. xxxi, lib. I, sect. 4, § 2).

c) *Interpretatio privilegii exemptionis.* Hoc privilegium, utpote præjudiciosum, stricte secundum terminos est intelligendum. Unde,

1° Si exempta sit ecclesia principalis, non hoc ipso exemptæ sunt capellæ huic ecclesiæ adjacentes; si prælatus ratione sui exemptus sit, non eo ipso exempti sunt clerici. At si ecclesia est exempta, hoc ipso exemptus est prælatus cum clericis et monachis; sed non e contra.

2° Exempti tantum ratione loci, si extra locum exemptum delinquant, contrahant, aut rem sitam habeant, convincuntur in foro ordinarii (c. 4 et fin. *de Foro compet.*), nisi etiam quoad hæc tria exempti sint. Notandum est quod privilegium, saltem si non sit insertum corpori juris aut alias non notorium, probari debet ab allegante, quia est quid facti, quod regulariter non præsumitur. Si vero sit insertum corpori juris aut alias notorium, allegans privilegium non tenetur illud probare.

II. De judice et foro competenti in causis exemptionis et exemptorum.

a) In causa exemptionis, judex est Papa privative (c. 12, *de Judic.*), quia privilegium et jus papale inferior interpretari non potest. Probatur exemptio ex instrumento authentico, re judicata, præscriptione 40 annorum cum titulo. At clerici et religiosi exempti conveniendi sunt coram proprio prælato, qui

in illos jurisdictionem quasi episcopalem habet, ac proinde in eos potest quod episcopus in diœcesanos suos; imo conveniri etiam possunt ratione delicti vel contractus.

b) Licet exemptio sit liberatio a jurisdictione ordinarii, tamen aliquando regulares subsunt episcopo, sive tanquam delegato Sedis Apostolicæ, quandoque etiam per accidens, ratione delicti vel contractus. Recensentur præcipui casus in quibus subsunt : Sub *primo* respectu, seu episcopo, tanquam ordinario, subsunt 1° in omnibus quæ sunt ordinis episcopalis, ut est susceptio ordinum, consecratio ecclesiarum, petitio chrismatis (c. 19, *de Præscript.*); 2° in observatione festorum et censurarum ab episcopo præscriptarum, ut dictum est tit. *de Excessib. præl.*; 3° in controversiis de præcedentia (conc. Trid., s. 25, c. 13, *de Reg.*); 4° in approbatione ad confessiones sæcularium audiendas (conc. Trid., sess. 23, c. 15, *de Ref.*), necnon monialium sibi subjectarum (Greg. XV, const. *Inscrutabili*); 5° in promulgatione indulgentiarum a Papa impetratarum (conc. Trid., sess. 21, c. 9, *de Ref.*).; 6° quoad prædicationem verbi divini etiam in ecclesiis sui quæ ordinis sunt (conc. Trident., sess. 5, c. 2, *de Reform.*); 7° quoad exsecutionem ultimarum voluntatum, ut constat ex Clement. *de Testam.* Minime dubium est quin regulares parochi subdantur episcopo, quoad ea quæ concernunt curam animarum.

Sub *secundo* respectu, seu quando episcopus procedit ut delegatus Sedis Apostolicæ, regulares exempti subsunt : 1° quoad lectionem S. Scripturæ in monasteriis habendam (c. Trid. s. 6, c. 1, *de Reg.*, et pluribus declarationibus S. Congr. Concilii); 2° quoad clausuram monialium (c. Trid., s. 25, c. 5, *de Reg.*); 3° quoad electiones abbatissarum, ex decretis S. Congr. Conc. et const. Greg. XV; 4° in causis hæreseos, et aliis spectantibus officium S. Inquisitionis (c. 9, *de Hæret.*); 5° si religiosi exempti extra monasterium degant et vagentur (conc. Trid., s. 6, c. 3, *de Reform.*); 6° quoad tenendam lampadem accensam ante SS. Sacramentum (conc. Trid., s. 22, etc.).

Sub *tertio* respectu, seu ratione delicti et contractus, subsunt regulares, si exempti sint tantum ob privilegium locale. Tunc exemptio non egreditur locum ratione cujus exempti sunt; quare si deliquerint vel contraxerint extra locum exemptum,

exemptio illis non proderit, sed respondere tenentur ordinario citanti. Secus tamen, si exemptio esset specialiter concessa, etiam ratione delicti commissi, contractus initi, vel rei sitæ extra locum exemptum : ex c. 1 h. t. in 6°, et c. 11 h. t.

At si privilegium sit *personale*, et si extra locum exemptum deliquerint vel contraxerint exempti, non sortiuntur forum in illo loco, sed exempti manent a jurisdictione ordinarii. Ratio est, quia alias privilegium exemptionis esset omnino inutile. Ita omnes DD.

NOTA. *De communicatione privilegiorum* inter varios regulares, dictum est supra et in tit. *de Reg.*, relictis quæ sunt propriissima quibusdam familiis regularibus, quæque non pertinent ad disciplinam generalem.

SECTIO VI.

De excessibus privilegiatorum.

a) Multi recensentur a DD. excessus, qui maxime in templariis et hospitalariis fuerunt animadversi; porro istæ omnes animadversiones hodie sunt nullius momenti, ideoque secunda pars hujus tituli fere vacua evasit.

b) Præcipui excessus notatione digni sunt sequentes: 1° instituere vel amovere presbyteros in ecclesiis pleno jure non subjectis, absque auctoritate episcopi; 2° celebrare in ecclesiis interdictis vel sepelire corpora defunctorum (c. 2 h. t.); 3° in oratoriis privatis campanas publicas habere easque pulsare (c. 10 h. t.); 4° suspensos ab episcopo absolvere (c. 18, *de Sent. exc.*, in 6°); 5° capellas aut eccelsias ædificare in locis non exemptis, absque licentia episcopi; in exemptis vero absque licentia Papæ (c. 4 h. t. in 6°); 6° extremam unctionem et viaticum ministrare, vel matrimonio assistere sine licentia parochi (Clement. 1ª h. t.), quo casu assistentes incurrunt suspensionem reservatam episcopo illius parochi qui matrimonio assistere debebat (conc. Trid., sess. 24, cap. 1, *de Reform. matrim.*).

At de illis excessibus exemptorum sufficienter dictum est antea, in variis titulis.

* TITULUS XXXIV.

DE PURGATIONE CANONICA,

ET

* TITULUS XXXV.

DE PURGATIONE VULGARI.

Nota. 1° Cum purgatio sit ad declarandam innocentiam illius qui de crimine fuit diffamatus, vel ad pœnam eidem infligendam, est quod de purgatione illa agatur post enarrationem criminum. Purgatio illa est canonica vel vulgaris. In corpore juris duplex habetur titulus, primus de purgatione canonica, alter de vulgari. Sed melius conjungerentur hi duo tituli, cum agatur de re hodie vix usitata, et alias de duplici modo, uno licito et altero illicito, unius ejusdem rei; quare a nobis hic erit in eadem dissertatione de utraque purgatione tractandum.

2° Purgatio in genere est ostensio innocentiæ. In materia criminali, ut sumitur in præsenti, est actus solemnis quo innocentia rei contra objectum crimen ostenditur. Est duplex : *canonica,* a sacris canonibus introducta, quæ licite adhibetur ad ostendendam rei diffamati innocentiam; *vulgaris,* a vulgo reperta, quæ temere et illicite usurpatur ad ostendendam rei innocentiam, ut per duellum, per contactum ferri candentis, etc.

SECTIO PRIMA.

De purgatione canonica.

a) Purgatio canonica est ostensio innocentiæ de objecto crimine, juxta præscriptionem SS. canonum facta. Dicitur, « juxta præscriptionem SS. canonum », quia a jure canonico est adinventa, et ab hoc proinde vim et efficaciam suam habet. In quibusdam locis fuit etiam in foro civili recepta.

Olim triplici modo fiebat: per judicium crucis, quod pluribus

modis etiam contingebat; per juramentum, tam ab accusatore quam a reo, præstitum ad reliquias SS. martyrum, præsertim illorum qui miraculis clarebant; per susceptionem sacramenti Eucharistiæ aut celebrationem missæ in testimonium innocentiæ (can. 6, 7, 8, etc., 23, causa 2, q. 5). Deus sæpe mirabiliter patefecit innocentiam vel crimen, virtute aut intuitu SS. Eucharistiæ et reliquiarum.

Hodie, sublatis recensitis purgationum modis, quum deficiat fiducia in Deum et sanctos, suffecta est per SS. canones purgatio per juramentum, quod, tactis Evangeliis in sui purgationem, præstat is qui de crimine insimulatus est. Imo hic ultimus modus vix locum habet. In confirmationem juramenti illius qui purgationem canonicam facit, compurgatores a reo assumi sæpe debebant, qui eamdem innocentiam, juramento per Evangelia facto, testarentur. Illi compurgatores debent esse personæ honestæ, fide dignæ, et in judicio propter crimen non condemnatæ (c. 7, 9 h. t.). Debent etiam esse personæ vicinæ, ita ut notam habeant vitam purgandi (c. 10, 11 h. t.). Debent etiam esse ejusdem ordinis cum purgando, episcopi pro episcopo, presbyteri pro presbytero, etc. (c. 10 h. t.). Numerus compurgatorum est in arbitrio judicis.

b) Quis, cui et super qua materia indicere possit purgationem canonicam?

1° Indicitur purgatio canonica, quando convinci non potest is qui de crimine diffamatus est, etiam apud probos. Ratio est, quia Ecclesia, quæ in ministris suis criminum suspicionem non sustinet, statuit ut cum aliquis laborat infamia criminis quod probari non potest, se purget juramento : satius est purgatos esse quam suspectos. Finis purgationis canonicæ est manifestatio innocentiæ ad tollendum scandalum : quare non esset indicenda purgatio, si crimen esset notorium, cum notoria non indigeant probatione. Verum, si diffamatio a malevolis ortum habuisset, non esset sufficiens ad indicendam purgationem, nisi orta infamia generasset scandalum.

2° Indici potest a solo judice competente, qui de crimine alias cognoscere potest : ex c. 6, 10, 15 h. t. Ille judex potest indicere purgationem vel ex officio, vel ad instantiam partium.

3° Indicenda non est, nisi personis quarum famæ et existima-

tionis integritas christiano populo est valde necessaria, ut sunt episcopi, alii prælati, et generatim sacerdotes aut personæ ecclesiasticæ, imo et omnes viri honesti ac fide digni (c. 1 h. t.). At indicitur cum hoc discrimine, quod requiratur gravior causa pro personis illustrioribus. Si persona diffamata esset fide indigna et de perjurio committendo suspecta, non esset ei indicenda purgatio, quæ scandalum tollere non valeret (c. 1 h. t.).

4° Indici potest super quocumque crimine vel delicto non plene probato neque probabili per testes, imo quandoque etiam super macula, v. g. defectu natalium. Sed necesse est ut præcedat diffamatio apud bonos et graves viros (c. 15). Requiritur etiam ut indicia criminis sint graviora et verisimilia, seu exstent præsumptiones (c. 4, 10 h. t.), et suspectus non possit convinci de crimine per idoneas probationes seu testes idoneos. At si crimen est notorium, non est locus purgationi, quia notorietas sufficit ut pœna imponatur; sed tunc procedi debet via ordinaria ad sententiam condemnatoriam (c. 4, 5, 8, 10, 15 h. t.).

c) *Effectus purgationis canonicæ.* 1° Effectus purgationis, ut *præstitæ*, est absolutio rei tum a suspensione, si hæc inflicta fuisset propter objecti criminis gravitatem (c. 8, 10 h. t.), tum ab objecto crimine, ita ut reus declarandus sit innocens et in pristinum statum restituendus (can. 6, 7, 19, can. 2, 9, 5). Deinde declaratur vir boni testimonii, ex c. 8 h. t., et sic tollitur infamia, et redintegratur honor, præsertim si purgatus vitam bonis moribus adornet (c. fin. h. t.).

Purgatione absolutus super eodem crimine generatim non potest accusari, nisi superveniant nova criminis indicia, vel nova infamia (c. 8, 10 h. t., etc.).

2° Effectus purgationis, ut *indictæ*, est obligatio eam præstandi, nisi ex justa causa reus ab ea appellet : v. g., quia non est diffamatus, vult ordinarius non vult admittere testes nisi extraneos, inter quos reus non vixit, etc. (c. fin. h. t.).

3° Effectus purgationis, ut *recusatæ* aut non *præstitæ*, est quod reus deficiens in purgatione, seu nolens jurare aut non habens compurgatores, habeatur pro convicto, et pœna ordinaria vel plerumque arbitraria puniri possit (c. 7 h. tit.).

SECTIO II.

De purgatione vulgari.

Paucis absolvetur hæc quæstio, quæ est de re prorsus obsoleta.

a) Purgatio vulgaris, sic dicta quia vulgus eam invenit, est demonstratio innocentiæ vel criminis temere usurpata et nullo modo approbata. Modus illius purgationis varius fuit pro diversitate temporum et gentium; tamen quatuor modi præ cæteris in usu fuerunt, nempe *monomachia, judicium ferri candentis, aquæ ferventis* et tandem *aquæ frigidæ*. Primus modus consistebat in pugna accusati cum adversario seu accusatore. In judicio ferri candentis accusatus debebat, per aliquod breve spatium, portare in manibus, aut pedibus calcare, ferrum candens, post litaniarum aliarumque precum recitationem; si post tres noctes, illæsa manus apparuisset, absolvebatur culpatus. Tertius modus in eo consistebat quod diffamatus debebat in aquam ferventem immittere brachium usque ad cubitum, et si illud illæsum inde extraheret, innocens reputabatur. Tandem per ultimum modum, in aquam certo ritu consecratam projiciebatur accusatus, manu dextra cum pede sinistro et manu sinistra cum pede dextro ligatus; si corpus mergeretur, credebatur reus innocens, quia vulgus putabat aquam respuere sontem seu eum non admittere in se.

b) Sed quid sentiendum de purgatione per celebrationem missæ et sumptionem SS. Eucharistiæ, quæ aliquando seu extraordinarie usurpata fuit ut purgatio canonica, et evasit aliquandiu modus ordinarius purgationis vulgaris? Licet iste modus periculosus sit, cum cedere possit in irreverentiam erga S. Eucharistiam, ob indignam susceptionem, tamen non est absolute illicitus. Nulla enim reperitur prohibitio in SS. canonibus, neque malitia intrinseca in hoc invenitur; cum non fiat ad virtutem probandam per miraculum, tentationem Dei non continet. Verumtamen ista purgatio abiit in desuetudinem.

c) Alii modi purgationis sunt illiciti : constat ex can. 7, 20, can. 2, q. 5, et fin. huj. t. Reprobati sunt etiam a pluribus Pontificibus. Ratio est, quia modi isti, cum superstitione gentiliana et præstigiis conjuncti, inepti sunt ad veritatem manifestandam.

Deinde, Deus tentatur ad faciendum miraculum; si aliquando Deus miracula fecit, non eo ipso probavit purgationem illam, sed ob ignorantiam invincibilem eorum qui a Deo petebant manifestationem veritatis. Hinc,

Sententia lata ex purgatione vulgari est invalida; nam est contra ordinem judiciarium, et nititur fallacibus probationibus.

TITULUS XXXVI.

DE INJURIIS ET DAMNO ILLATO (1).

Ob conjunctionem frequentissimam criminum cum damno proximi seu injuria, fit ut titulus de injuriis subnectatur, post recensita crimina fori Ecclesiæ : damnatus ad pœnam ob crimen commissum, damnatur etiam ad reparationem injuriæ, quando crimen conjunctum fuit cum injuria. Injuria multipliciter accipitur : 1° negative, seu pro omni eo quod non jure fit, sive deinde cum culpa fiat, sive sine culpa; 2° positive, seu pro damno culpa dato; 3° specialiter, pro contumelia seu dolosa læsione honoris alieni; 4° pro injustitia et iniquitate; et in hoc sensu complectitur omne peccatum contra justitiam, quo læditur jus alienum. Hic agemus : 1° de injuria accepta pro contumelia ; 2° de injuria accepta pro damno culpa dato.

§ I. *De injuria contumeliosa.*

a) Contumelia a *contemnendo* dicitur, quia contemptio vel dedecus accedit ei qui injuriam patitur. Definiri potest : « Injusta ac dolosa honoris diminutio. » Hinc differt a detractione, tum ratione objecti, quod est honor ex una parte, et fama ex altera; tum ratione modi, quia, ut plurimum, fit contra præ-

(1) Agitur de injuriis in Instit., lib. IV, tit. IV; in Pandect., lib. XLVII, art. 9; In Codice, lib. IX, tit. XXXV, XXXVI, *de Damno dato;* in Instit., lib. IV, tit. III; in Pandect., lib. II, tit. II; in Cod., lib. III, tit. XXXIV. Quoad jus Gall., vide art. 234, 259, 955, 1046 et 1047 Cod. civ.; art. 139 Cod. instr. crim.; art. 367-377 Cod. pœn. collatos cum leg. 17 maii 1819, 25 mart. 1822, etc.

sentem detractio vero contra absentem. Sed hic non præcise accipitur, ut a detractione contradistinguitur, sed latius (Vide supra, tit. XXVI, 1).

b) Contumelia fit tribus modis : *verbo, scripto* et *facto*.

1° Fit verbis, quando alicui, sive præsenti sive absenti, objicitur defectus moris, naturæ, etc., appellando, v. g. furem, mendacem, spurium; hæc injuria dicitur proprie *convicium*. 2° Scripto infertur, cum libellus, carmen, vel historia ad ludibrium, contemptum, infamiam pertingens, editur vel vulgatur. Quando hæc scriptura, omisso nomine auctoris, in vulgus spargitur, *libellus famosus* dicitur (jus Rom.). 3° Facto denique infertur, cum quis alterum pulsat, verberat, alapam ei infringit, vel quandoque per solum gestum, seu per id omne quod facto in corpus, dignitatem et famam alterius fit. Verum reduci potest, ratione modi quo fit, ad *realem* et *verbalem;* hæc fit verbis, vel ore prolatis, seu est convicium, vel scripto comprehensis, et dicitur injuria scripta, ad quam revocatur, ut species inferior, libellus famosus. Ratione excessus quo fit injuria, alia est *levis*, qua leviter honor proximi læditur; alia *gravis* seu atrox, qua attentis omnibus circumstantiis facti, personæ, loci, temporis, graviter honor læditur.

c) Injuria censetur committi in sequentibus casibus : 1° Si quis verum crimen alteri objiciat extra judicium : nam hic adest animus injuriandi et læsio honoris alieni; at si in judicio objiceretur, non esset injuria, modo crimen probetur; nam reipublicæ interest crimen revelari. De jure canonico et lege charitatis, regulariter requiritur prævia monitio, nisi aliud postulet qualitas delicti bono communi nocentis.

2° Si quis injuriosa facta aut verba alteri inferat, etiam dicendo : » Salvo honore tuo. » Nam protestatio, facto contraria, nihil operatur.

3° Si quis verbalem injuriam passus, aliam injuriam faciat, delictum objiciendo : ut si alter te compellavit furem, et tu illum reciproce compellas latronem. Talis retorsio delicti fit animo vindictæ privatæ : igitur est vera injuria; verumtamen si delictum objiciatur ad tollendam injuriæ notam, v. g. « Mentiris, » vel ad necessariam defensionem, ut si testi objiciatur infamia, nulla committeretur injuria, cum delictum non obji-

ciatur animo injuriandi, sed præcise animo se defendendi. Semper præcensetur animus injuriandi, quando verba aut facta injuriosa ponuntur.

d) *Quis et cui injuriam inferre possit?* 1° A quo? Omnis doli capax, qui potest habere animum injuriandi, injuriam inferre potest. Hic supponitur generaliter dolus, nisi agens contrarium probet; nam agitur de materia *generaliter* prohibita.

Sequitur quod infantes, furiosi, amentes, perfecte ebrii, cum doli capaces non sint, non possunt injuriam inferre. Semiebrii, vel qui se inebriarunt quo audaciores essent ad conviciendum, non excusantur ab injuria illata, uti nec iracundi (jus Rom.).

Item, qui correctionis causa adhibent verba contumeliosa, ut parentes erga liberos, superiores respectu subditorum, magistri respectu discipulorum, etc. Etenim quando isti prorumpunt in verba aut facta contumeliosa contra suos, regulariter non præsumuntur jacere injuriam; quia talia agunt ex causa correctionis et sine animo injuriandi (jus Rom.).

2° Cui? Injuria inferri potest cuicumque personæ, etiam amenti (jus Rom.). Tamen nulla servis fiebat injuria, in hoc sensu quod jus Rom. non concedebat servis actionem injuriarum. At in foro interno, evidenter fieri potest contra servum vera et mortalis injuria.

Dupliciter inferri potest : *directe* et in se, et *indirecte* in persona conjuncta, sicut injuria illata prolibus, religiosis, clericis, uxori, etc., redundat in patrem, religionem, clericum, maritum, etc. (jus. Rom.).

At injuria facta marito vel fratri non redundat in uxorem et fratrem, cum casus isti non sint in jure Rom. expressi.

e) *Quæ actio oriatur ex injuria?* In jure Rom. variæ actiones : 1° actio *civilis,* mota tum *civiliter,* seu ad pœnam privatam, ut actori pro suo interesse applicetur, tum *criminaliter* ad vindictam publicam : pœna fisco applicatur. In jure Gallico, in art. 139 Cod. instr. crim., quando injuria est pure verbalis et non gravissima, id est, non publica nec graviter contumeliosa, nec irrogata magistratibus (1), causa agitur coram judice pacis. Tamen ut detur actio, necesse est ut sit injuria proprie dicta, seu qua

(1) Vide leges 17 mai 1819, 25 mart. 1822.

dælitur probitas, honor, fama, auctoritas moralis. Si vero non fuit pure verbalis, sed conjuncta cum reali, tunc judex pacis non est competens (art. 376 Cod. pœn.). Notandum est quod in his art., injuria verbalis non opponitur scriptæ, sed reali.

2° Actio *pœnalis injuriarum :* ejus forma est jure Rom. determinata. In jure Gallico, ex art. 153 legis 3 brum. anni IV, procurator publicus debebat agere ex officio contra injuriantes; et isti nunquam admittuntur in actione injuriarum ad probandam veritatem rei imputatæ, ut colligitur ex art. 368 Codicis pœn. Secus tamen si probatio consisteret in sententia judiciali vel in actu authentico (art. 370).

3° Actio civilis *rei persecutoria,* quæ dicebatur recantatoria seu ad palinodiam : inferens verbalem injuriam debebat judicialiter eam revocare et injuste a se prolatam fateri. In jure Gallico, quando injuria verbalis fuit gravissima seu graviter læsit honorem et fuit publica, vel etiam quando verbali adjuncta fuit realis, causa devolvitur ad tribunal correctionale (art. 376 Cod. pœn.). Verba injuriosa contra magistratum ordinis administrativi vel judiciarii puniuntur pœna incarcerationis, a mense ad duos annos, ex art. 222 Cod. pœn. Idem est modus procedendi eademque pœna, sive agatur de injuria scripta sive de verbali. Quoad injurias conjugum ad invicem, aut illas quæ donatoribus irrogantur, præbentur dispositiones speciales in art. 234, 259, 955, 1046, 1647 Cod. civilis.

4° Notandum est quod, in jure antiquo, actio ob famosum libellum criminaliter intentata tendebat ad pœnam capitalem, si crimen capitale imputatum fuisset (lib. unic. *de Famos. libel.*). Const. Carol., art. 110, vult etiam pœnam imponi talionis. Secus, erat pœna exsilii et deportationis. Typographi amittebant impressa exemplaria et potestatem imprimendi, aliisque arbitrariis pœnis subjiciebantur.

De jure canonico, percutiens clericum incurrit excommunicationem, ut dicetur infra.

f) Cessabat actio injuriarum (jur. Rom.) : 1° retorsione apta; 2° satisfactione; 3° remissione expressa vel tacita; quam tamen facere nequeunt personæ subjectæ, ut religiosi, quia injuria redundaret in superiorem, religionem, etc.; 4° præscriptione; tandem, 5° morte injuriantis vel injuriati ante litem contesta-

tam, quia actio pœnalis ex delicto regulariter ad hæredes non transit.

§ II. *De damno dato.*

I. Quid sit?

a) Damnum, a *demo* vel *diminuo*, sic dicitur a diminutione patrimonii, ut legimus in Pandectis, et dupliciter accipitur, prout lucrum affert damnificanti vel non. At hic non agitur de *damno lucroso* ex bonis alienis, dum damnificans ex bonis alienis ditescit, ut per furtum, rapinam, usuram, etc. ; de illo actum est in aliis locis. Igitur considerandum venit damnum non lucrosum, dum damnificans nullum exinde commodum reportat. Definitur : « Delictum privatum quo patrimonium vel res aliena, animata aut inanimata, dolo vel culpa, destruitur vel diminuitur sine damnificantis lucro. » Consistit ergo materialiter in destructione rei alienæ, ut si quis domum alterius incendat, segetes conculcet, etc. Formaliter vero consistit, non solum in dolo, sed etiam in culpa juridica. In jure Romano, hoc delictum variis coercebatur pœnis quæ enumerantur in lege Aquilia.

Ex definitione patet damnum fieri posse dolo vel culpa ; potest etiam accidere casu fortuito. Fit dolo, quando aliquid ponitur vel omittitur animo nocendi, seu cum intentione ut damnum sequatur. Dolus est aliquando verus seu apertus, aliquando præsumptus tantum, scilicet quando ex indiciis non indubitatis colligitur. Culpa datur, quando omittitur diligentia ad damnum vitandum : est theologica vel juridica, prout continet peccatum seu animum nocendi, vel tantum omissionem diligentiæ inculpabilem coram Deo. Prout omitteretur communis seu ordinaria, vel diligentior seu prudentiorum, vel denique diligentissima seu a prudentissimis adhibita, culpa juridica diceretur lata, levis, vel levissima.

b) *Quid requiratur ad rationem damni?* Requiritur, 1° ut fuerit res destructa, sive integre, sive ex parte, eam adhibendo contra usum suum naturalem : ut si uvas immaturas decerpsisti, vinum effudisti, etc. Sed si res non est corrupta, sed ad usum suum naturalem adhibita, non est damnum, saltem non est illud de quo hic agitur : ut si vinum bibisti, uvas maturas ad comedendum decerpsisti.

2° Ut fuerit res destructa injuria, seu *non jure;* hoc fit per dolum aut culpam. Civilistæ disputabant an requiratur culpa in committendo, vel sufficiat in omittendo. Solvitur dicendo sufficere culpam in omittendo, si hæc omissio sit causa moralis ipsius facti. Sed in foro canonico hæc distinctio est nullius momenti, quia damnum, sive commissum, sive omissum, totum reparari debet, nisi illud casu fortuito detur, vel ab eo qui non est doli capax, aut a pecude.

II. Actio de damno dato.

a) Cui et contra quem concedatur actio de damno? 1° Ex art. 2 Cod. instr. crim. actio *civilis* conceditur illi cujus interest, scilicet domino rei destructæ. In jure Rom. concedebatur actio legis Aquiliæ directa, *utilis et subsidiaria in factum*. Canonistæ in hoc titulo fuse expendunt illas dispositiones juris Romani.

2° Datur contra damnificantem ejusque procuratorem aut mandatorem, ex eod. art. 2. Transit ad hæredes, non quidem in quantum esset pœnalis, sed ut civilis.

b) Quanta sit obligatio reparandi damnum injuria allatum? 1° Si damnum sit dolo, seu scienter et malitiose datum, damnum pro foro interno et externo ad æqualitatem est reparandum, nam tunc obligat præceptum juris naturalis : « Neminem lædere, et suum cuique tribuere; » ex quo generatim læsus omnino, indemnis fieri debet.

2° Si damnum datum sit culpa theologica, absque tamen expresso dolo, id est, sine directa intentione lædendi, licet sit intentio indirecta ob prævisum damnum, jus Rom. ad reparationem damni obligat ante ullam sententiam : nam injusta læsio est etiam radix restitutionis. Unde, juxta plures, hoc valet etiam pro foro interno. Si grave damnum factum sit per peccatum mortale, totum reparandum est sub mortali; si vero grave damnum factum fuisset per peccatum veniale, utrum totum reparandum sit sub mortali, non conveniunt DD. Probabilius est quod tantum pars damni sub veniali reparanda sit secundum quantitatem culpæ et voluntarii, idque pro foro interno. Alii tamen docent damnificantem ad nihil teneri, quia levis obligatio proportionem non habet cum re gravi (Vide S. Lig., III, 552).

3° Si damnum datum sit culpa mere juridica, sive lata, sive

levi, sive levissima, jus Rom. non obligabat ad reparandum ante sententiam condemnatoriam; cum illo conveniunt communius CC. et TT., quia obligatio ista in conscientia non descendit a jure naturali: hic enim non concurrit neque res accepta, neque injusta læsio, quæ supponit culpam theologicam. Ex altera parte, jus canonicum talem obligationem non imponit.

At post judicis sententiam, DD. communiter obligant ad reparationem damni culpa juridica dati, tum quia sententia illa non apparet injusta, tum quia hæc fundatur in *bono communi*, quatenus homines reddit attentos, ut neque directe, neque indirecte damnum proximo faciant.

Ex hoc sequeretur quod damnificatus non posset ante sententiam judicis sibi facere occultam damni compensationem in bonis damnificantis; hæc enim compensatio in conscientia non debetur ante sententiam.

Sed quoad obligationem in foro conscientiæ, vide moralistas, qui hac de re copiose disputant.

QUARTA PARS

DE PŒNIS DELICTORUM.

Hactenus actum est de criminibus; nunc, in sequentibus tribus titulis, agemus de pœnis, tum vindicativis in foro externo seu judiciali, et interno seu pœnitentiali, tum medicinalibus.

TITULUS XXXVII.

DE PŒNIS (1).

ARTICULUS PRIMUS.

De pœnis in genere.

I. Natura, varietas et origo pœnarum.

a) Pœna in genere est justa delicti punitio. Hæc definitio applicatur omni pœnæ publicæ, scilicet civili, medicinali et vindicativæ, quia omnes istæ pœnæ suo modo coercent et puniunt delictum; ideo pœna a *puniendo* dicta est. In hac definitione non agitur de pœna *conventionali,* quæ ex privata partium conventione imponitur, et *publicæ* opponitur. At strictius definitur : « Delictorum sive criminum coercitio seu vindicta, inducta ad disciplinæ publicæ emendationem. » In hoc sensu accipitur de sola vindicativa, non vero de civili aut medicinali. Pœna enim *vindicativa* illa est quæ tendit ad vindictam publicam, *civilis* quæ ad satisfactionem privatam, *medicinalis* quæ ad emendationem rei; pœna ergo differt a pœnitentia, qua satisfit Deo in foro interno.

Ut justa sit hæc coercitio, requiritur imprimis *honestus finis.* Si enim quiesceret in malo alterius, non esset justa; finis est honestus, quando contendit ut reus emendetur, vel si noluerit se emendare, reddatur inhabilis ad peccandum, vel ut scandalum scelere datum exemplo pœnæ reparetur. Requiritur præterea ut *ab auctoritate publica* dictetur, quia ex una parte tendit ad utilitatem publicam, et ex altera non licet alicui privato pœnam propria auctoritate infligere. Tandem requiritur proportio seu æqualitas, ut servetur lex justitiæ.

b) *Quotuplex sit pœna vindicativa?* Dividitur 1° in personalem, realem, et mixtam. *Personalis* est, quæ tantum personam afficit : talis est incarceratio, depositio ex officio, etc. *Realis* est

(1) Vide Pandect., l. XLVIII, tit. XIX, seqq.; Cod., lib. IX, tit. XLVII, seqq. Quoad jus Gall., conf. totum Cod. pœn., speciatim lib. I.

quæ, in odium personæ, rebus imponitur: v. g. mulcta pecuniaria. *Mixta* dicitur quæ partim est personalis, partim realis, ut proscriptio in exsilium, depositio ab officio simul et beneficio.

2° *Est ordinaria* vel *extraordinaria* seu arbitraria, prout lege aut consuetudine instituta est, vel judicis arbitrio pro qualitate delicti et personarum imponitur. Ordinaria infligitur vel ipso jure, vel per sententiam judicis : *ipso jure,* dum ipso facto contracto quo crimen patratur, contrahitur, etiam ante sententiam condemnatoriam judicis; per *sententiam judicis,* quando judex reum secundum leges condemnat.

3° Est positiva vel negativa. *Positiva* est, quæ ad sui exsecutionem exigit actionem, sive dein actio ista facienda sit ab ipso delinquente, sive ab alio tertio in ipsum reum exercenda, ut occisio et flagellatio.

Negativa seu *privativa*, quæ in amissione consistit, seu cujus exsecutio est aliqua privatio sive juris quæsiti, v. g. privatio officii, fructuum, sive juris acquirendi, ut inhabilitas ad beneficium retinendum.

4° Est *capitalis* vel *non capitalis,* prout infert reo mortem aut naturalem, ut occisio, aut civilem, ut deportatio, vel citra mortem naturalem aut civilem infligitur : est immediata subdivisio pœnæ vindicativæ. Pœnæ non capitales aliæ afficiunt corpus, ut incarceratio, fustigatio, et dicuntur *corporales;* aliæ afficiunt animam, ut infamia; aliæ respiciunt bona delinquentis et sunt *pecuniariæ*, si pecuniam, *spirituales,* si jura aut officia spiritualia afficiunt.

c) *Quo jure introductæ sint pœnæ?* 1° Pœna in thesi originem suam habet a jure naturali, et quidem ob causam delicti. Etenim jus naturale dictat malefactores esse puniendos : si omnia crimina manerent impunita, felicitas societatis consistere non posset.

2° Pœnæ determinatæ in specie descendunt ex jure positivo divino vel humano; jus naturale non determinat pœnas in specie, sed hæc determinatio fit ab iis qui supremam habent auctoritatem in societate.

II. De subjecto pœnarum.

a) Illud subjectum est homo delinquens et regulariter vivus.

Dicitur 1° *homo,* bruta enim, sicut ob rationis defectum, sunt incapacia juris, obligationis et culpæ, ita pœnam proprie dictam pati nequeunt; si aliquando jus præscribit ut necentur bruta, hoc fit ut cessent esse noxia, vel in detestationem criminis cujus homines se complices fecerunt.

Dicitur 2° *regulariter vivus,* nam crimina cum morte nocentium exstinguuntur, et delinquentes morte sublati sunt e potestate humana. Tamen aliquando pœna pecuniaria post mortem delinquentis solvi debet, vel bona criminosi confiscantur; imo datur aliqua exceptio quoad personas : nam hæreticis, excommunicatis, etc., Ecclesiæ non reconciliatis, denegatur post mortem sepultura ecclesiastica; ita ut aliquando exhumentur, et extra terram benedictam projiciantur.

Dicitur 3° *delinquens,* quia pœna sequitur culpam. Quare, per se loquendo, unus pro alio puniri non potest, juxta regulam: *Sine culpa aliquis non est puniendus.* At aliquando bonum commune exigere potest ut, ob connexionem innocentis cum nocente, ille puniatur : sic, v. g. filii involvi possunt in punitione parentum, tum quia filii sunt aliquid patris, tum quia bonum commune exigit ut ad aliorum terrorem parentes, non tantum in se, sed etiam in filiis puniantur. Hoc est receptum utroque jure.

b) *Quid, si subjectum est persona moralis,* nempe si delinquat universitas seu collegium, quomodo sit puniendum? 1° Si omnes sunt culpabiles, omnes puniri possunt, pœna tamen dispari, juxta proportionem delicti; nam in communitate delinquere non solet multitudo, nisi a seditiosis et coryphæis fuerit impulsa; unde in auctores sceleris pœnis acerbioribus sæviendum est. 2° Si vero major pars deliquerit, puniri etiam posset tota communitas, ut colligitur ex Script. sacra (Deut., XIII, 12 seqq.). Ratio est, quia major pars trahit ad se minorem, et est moraliter tota communitas : ita omnes CC. 3° Tandem, si essent aliqui tantum delinquentes, deberent singulari pœna plecti, absque præjudicio communitatis : ita communiter post jus Romanum.

c) Delinquens 1° puniri debet toties quoties iterat ex intervallo delictum, juxta c. *Ea* h. t. : « Ea quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti sententia condemnantur.» Ratio, quia est novum delictum, adeoque nova requiritur pœna. Sed,

2° In pœna infligenda, debent considerari circumstantiæ

criminis et ipsius personæ delinquentis : sic v. g. non punitur fur diurnus sicut fur nocturnus ; furtum commune sicut furtum sacrilegum, etc. Unde attendi debet ad tempus, locum, qualitatem personæ, quantitatem damni illati, et certitudinem delicti, ut constat ex utroque jure, et est evidens coram recta ratione.

III. De potestate principis et judicis inferioris in applicandis pœnis.

a) Supremus princeps 1° jus aggratiandi exercere potest, nam princeps est superior jure suo : porro, ut supra dictum est, pœnæ a supremo principe determinantur. Imo potest illud jus exercere etiam in delictis quibus in lege divina V. Testamenti pœna capitalis præfixa est. Negarunt olim aliqui, quia inferior nequit abolere leges superioris ; sed hæc ratio non valet, quia pœnæ criminum a Deo in V. Lege constitutæ non pertinebant ad leges morales seu naturales, sed solum ad leges judiciales, pro statu reipublicæ Judaicæ donatas. Unde communis sententia hoc jus tribuit supremæ potestati politicæ, quia princeps, quando pœnam mortis homicidæ condonat, in lege tantum humana dispensat. Confirmatur ex facto universali apud nationes excultas et catholicas.

2° Tamen ut princeps recte exerceat illud jus, plures requiruntur conditiones : imprimis condonatio criminum non debet esse nimis frequens, ne crimina faciliora et frequentiora reddat. Deinde, rarissime debet ex integro pœnam remittere, quia obligatio puniendi resultat ex jure naturali, quamvis modus puniendi dependeat ex norma legis humanæ. Tandem, nunquam relaxabit pœnam a lege statutam aut eam in arbitrariam commutabit sine causa ; secus lædere posset jus publicum : tamen valet facta relaxatio sine causa.

b) *De judice inferiori*. 1° Judex inferior non habet jus aggratiandi, nisi illud a principe concessum habeat, atque, regulariter loquendo, non potest augere vel minuere pœnas a jure statutas ; nam tenetur servare æquitatem legalem.

Quoad modum infligendi pœnas, per se loquendo tenetur ille judex reis legitime convictis infligere pœnam ordinariam : ita omnes. Ratio est, quia inferior immutare et corrigere nequit legem superioris, et remanet legibus subjectus ; *non licet ei de ipsis judicare*, sed secundum ipsas, ut ait can. 3, d. 4. Consonat

jus Rom. Confirmatur, quia si judex infligeret pœnam aliam, tunc illa esset major quam leges statuunt, vel minor : si major est, injuriam facit reo, plus ab eo exigendo quam ille per leges debeat ; si minor, et tunc committit injustitiam, sive erga partem læsam, sive erga rempublicam, ad cujus bonum commune spectat ut crimina non remaneant impunita. Verum, si ex arbitrio puniret, posset, attentis circumstantiis, pœnam determinare graviorem vel mitiorem, specifice legibus non determinatam; nam talis pœna est extraordinaria, pendens ab arbitrio judicis.

Imo 3° aliquando circumstantiæ exigere possunt ut pœnam majorem vel minorem ordinaria infligat, ratione personæ delinquentis, personæ offensæ, causæ, advertentiæ, etc. Imprimis majorem infligere expedit, ad aliorum terrorem : locus, tempus, iteratio delicti, persona contra quam delinquitur, hoc exigere possunt; sed ad hoc necesse est ut consuetudo hanc judici tribuat facultatem : in jure Gallico, judex nequit excedere latitudinem determinatam in Codice pœnali. Potest etiam, eadem consuetudine permittente, ille judex pœnam lege constitutam minuere, si circumstantiæ crimen minuant, ut si delictum non sit ex proposito, sed ex ira, subitanea rixa, etc. ; vel ex infirmitate animi, ut si ex femina, impubere; vel etiam si ex spontanea confessione, delinquens suum crimen manifestaverit et ultro se judici stiterit, etc. (Vide causas speciales augendi vel minuendi, apud Ferrar., v° *Pœna*, a. 1, n. 29-45).

IV. De obligatione rei ad pœnam subeundam.

a) Generatim 1° pœna ferendæ sententiæ non incurritur ante sententiam judicis ; nam lex vult talem pœnam, mediante condemnatione judicis, infligi.

2° Pœna medicinalis ipso jure et facto incursa stringit in conscientia ante ullam sententiam judicis : ita communis sententia, ex can. 29, 17, q. 4, et ex tit. XL, *de Sent. excom.* Ratio est, quia censuræ, quæ sunt pœnæ medicinales, ordinantur ad correctionem et salutem animæ, et non excedunt gravitatem delicti ; ergo si ipso jure et facto incurrantur, nulla esset ratio, cur non obligarent ante sententiam.

3° Juxta communem sententiam, variæ irregularitates et

inhabilitates ad suscipiendos ordines, obtinenda beneficia ecclesiastica, matrimonium contrahendum, etc., observanda sunt ante omnem sententiam. Ratio est, quia secus pœna non sufficienter arceret a committendis delictis occultis.

b) Pœna positiva et privativa 1° juris plene quæsiti, etiamsi ipso jure et facto incursa sit, non stringit ante sententiam judicis, saltem criminis declaratoriam : constat ex toto tit. *de Pœnis,* et quoad secundam partem, ex t. XIX, *de Hæret.*, in 6°. Ratio est, quia conditioni humanæ adversum est ut quis seipsum afferat ad pœnam positivam, v. g. ad mortem vel incarcerationem, vel etiam pœnam privativam in se exerceat, v. g. privando se officio. Aliqui distinguunt inter pœnam positivam, quæ non obligat ante sententiam, et privativam, quæ obligaret ante omnem sententiam, nisi privet jure plene quæsito, nempe quotiescumque privaret tantum jure quærendo. Sed exempla, in probationem allata, sunt vel irregularitates et inhabilitates, vel pœnæ privativæ improprie dictæ, de quibus infra. Unde nulla diversitas realis inter nostram et illorum doctrinam.

2° Inde non sequitur quod nullum sit discrimen inter pœnam ipso jure et per sententiam judicis illatam; nam v. g. in primo casu, sententia declaratoria criminis retrotrahitur ad tempus commissi delicti, dum sententia condemnatoria non ita retrotrahitur ; sic parochus ipso jure privatus suo beneficio deberet fructus restituere inde a tempore commissi delicti ; si privaretur per sententiam condemnatoriam ob crimen quod non privat ipso jure, non teneretur fructus restituere, nisi perceptos post sententiam condemnatoriam. Igitur, in secunda hypothesi, retinetur possessio et dominium usque ad sententiam ; in prima, non retinetur nisi possessio.

3° Notandum quod in legibus addi solent verba *absque alia declaratione* vel *nulla monitione prævia*. Hæc verba viderentur excludere sententiam, etiam criminis declaratoriam. Tamen non obstantibus illis clausulis, remanet doctrina generalis superius exposita juxta communem DD. sententiam. Reapse jus ipsum tollit reo dominium, ita ut solum differatur occupatio usque ad sententiam declaratoriam.

c) *Pœna privativa* improprie dicta, quæ est negatio favoris sub conditione concessi, ipso jure incursa, cessat ante ullam

sententiam judicis. Ratio est, quia lex statuens talem pœnam est conditionata, v. g. si alter conditionem impleat. Deinde in hoc casu non est jus plene quæsitum, sed inchoative seu *primo quærendum;* ergo deficiente conditione, de jure naturali deficit favor sub ea concessus : sic v. g. episcopus intra semestre negligens suam consecrationem, amittit episcopatum (conc. Trid., sess. 23, c. 4, *de Ref.*); ita quoque beneficiatus, etiam curatus, non persolvens horas canonicas, fructus non facit suos, ex motu proprio Pii V *Ex proximo.*

d) Reus post justam sententiam judicis, obligatur in conscientia ad sustinendam pœnam; nam de jure naturali subditus parere tenetur justo præcepto superioris. Unde tenetur solvere pœnam pecuniariam, manere in exsilio aut in carcere, nec inde aufugere potest, nisi carcer sit valde squalidus, quia non tenetur esse minister pœnæ tam molestæ.

At non tenetur nec potest pœnam mortis in se exsequi, neque etiam obligari potest ad supplicium mutilationis, verberationis gravis sibi inferendum : hoc enim non expedit bono communi et nimis durum foret.

ARTICULUS II.

De pœnis in specie.

SECTIO I. — DE POENIS SPIRITUALIBUS ECCLESIÆ.

Pœnæ spirituales Ecclesiæ sunt irregularitas, privatio beneficiorum et inhabilitas ad illa, depositio et degradatio.

§ I. *De irregularitate.*

QUÆST. I. Natura et varietas irregularitatis.

I. *Natura irregularitatis.*

a) Brevem antea (1) dedimus descriptionem irregularitatis, cum agebatur de præcipuis irregularitatibus ex defectu. Irregularitas, quæ, juxta usum ecclesiasticum nominis, est recessus a regula constituta pro admissione ad sacra ministeria, varie definitur. Sed sufficit definitio superius data in lib. I : « Impedi-

(1) Tom. I, p. III, disq. 2ª, tit. XVII, sect. 1ª.

mentum canonicum, quo quis directe redditur inhabilis ad ordines et beneficia licite suscipienda et eorum functiones obeundas.» Verum, quæ brevius antea notavimus circa naturam et divisionem irregularitatis, hic paulo uberius sunt declaranda, ad distinctiorem conceptum irregularitatis ex delicto.

b) Itaque 1° irregularitas non est proprie pœna, sive positiva, sive privativa, saltem juris plene quæsiti; sed est potius inhabilitas ob honorem status clericalis introducta, quia non decet aliquos defectuosos et criminosos ad ordines vel eorum exercitium admitti. Licet aliquando imponatur per modum pœnæ in vindicationem delicti, tamen non tam in pœnam delicti imponitur, quam ob honorem status ecclesiastici. Hæc inhabilitas solo jure canonico fuit introducta, ac proinde femina, quæ jure divino removetur ab ordinibus suscipiendis, potius incapax quam irregularis dicitur, cum irregularitas proprie afficiat subjectum de se capax ordinationis. At non solum ratione originis irregularitas dicitur impedimentum « canonicum », sed etiam in hoc sensu quod non ab homine seu per judicis sententiam, sed a jure communi infligitur; nulla enim alia irregularitas, quam quæ jure communi reperitur expressa.

2° Irregularitas directe et per se impedit licitam ordinum susceptionem et usum, et sic differt a censuris, quæ per accidens et eatenus impediunt ordinationem, quatenus subjectum privant passivo usu sacramentorum. Finis enim censuræ est emendatio delinquentis, et id prorsus adversatur irregularitatis naturæ.

Itaque speciatim differt 1° ab *excommunicatione*, quia ipsa directe impedit susceptionem ordinis, quatenus talis est; dum excommunicatio illius susceptionem tantum impedit, quatenus est quædam communicatio cum fidelibus. Differt 2° a *suspensione*, quia suspensio privat usu ordinis tantum, et ideo solis clericis aptatur, dum irregularitas tam clericis quam laicis communis est. Differt 3° *ab interdicto*, quia esto interdictum aliquando impediat ordinis susceptionem, non tamen quatenus ordo est, sed quatenus sacramentum et divinum ministerium. Tandem 4° differt a *depositione* et *degradatione*, tum quia sunt ab homine, dum irregularitas est a jure, tum quia illæ sunt semper pœnæ, et irregularitas in se non est pœna.

II. *Quotuplex sit?*

1° Dividitur in *totalem* et *partialem*. Totalis est quæ cujuscumque ordinis susceptione et susceptorum usu quocumque privat. Partialis vocatur quæ privat aliquo modo SS. ordinibus, non tamen in totum; et hoc contingit variis modis : etenim partialis est quæ non omnes ordines, sed unum alterumve impedit, qualis est ea quæ ex ætate provenit, ob cujus defectum quis arcetur a suscipiendo diaconatu vel presbyteratu, licet minores ordines et subdiaconatum suscipere valeat; partialis est etiam quæ privat ascensu ad superiores ordines, non vero removet ab usu et exercitio ordinum jam susceptorum; tandem est etiam partialis quæ privat exercitio aliquo unius ordinis : v. g. sacerdos cæcus qui arcetur a celebratione missæ, non ab aliis officiis ordinis sacerdotalis.

2° Dividitur in *perpetuam* et *temporalem*, in eam quæ exsurgit *ex defectu* et eam quæ est *ex delicto*, ut supra dictum, lib. I, tit. XVII, sect. 1ª. Circa ultimam, notandum est quod incurritur, dum quis animo improbo et actu externo committit delictum juridice determinatum ut secum trahens incapacitatem aliquam seu irregularitatem. De hac specie irregularitatis agitur in hoc libro.

3° Dividi etiam solet in *dispensabilem* et *indispensabilem*, prout de illa Sedes Apostolica solet vel non solet dispensare. Evidens est omnes irregularitates proprie dictas esse dispensabiles, utpote provenientes, non ex lege divina vel naturali, sed ecclesiastica tantum. Verumtamen sunt quædam irregularitates de quibus Ecclesia non solet dispensare.

QUÆST. II. De causis, efficiente et materiali, irregularitatis.

I. *De causa efficiente.*

a) *Causa efficiens* legis irregularitates introducentis. 1° Irregularitas, ut jam dictum est, provenit ex solo jure ecclesiastico, quod declarat huic illive aut crimini aut defectui obnoxios a SS. ordinibus eorumve functionibus esse exclusos. Est sententia communis et certa, quæ fundatur in c. 18, *de Inf. et lang. expositis*, in 6°. Itaque nulla irregularitas est constituenda, nisi

expressa fuerit per decreta S. Pontificis vel concilii œcumenici.

Etsi irregularitates quædam originem habere videantur in jure divino, v. g. defectus corporis et bigamia (Lev. XXI, 16, seqq.; I Tim. VIII, 2; Tit. I, 6), tamen reapse jure ecclesiastico inductæ fuerunt : nam lex Levitici erat cæremonialis, et ideo vim non habet; S. Paulus sua auctoritate, licet divinitus concessa, bigamos irregularitati obnoxios esse statuit : et hoc constat, quia Ecclesia dispensat cum bigamis.

Sequitur 2° episcopos aliosque S. Pontifice inferiores irregularitatem constituere non posse : carent enim potestate condendi jus commune; porro irregularitas jure canonico inducitur.

3° Consuetudo, tametsi universalis, nec stylus curiæ possunt inducere irregularitatem, quia hæc consuetudo aut stylus in jure expressus recte dici nequit. Tamen aliqui contendunt per consuetudinem rationabilem ac diuturnam irregularitatem constitui posse, siquidem consuetudo est constitutiva juris habetque vim legis. Porro non videtur quomodo materia irregularitatis esset excipienda. Verum communior sententia denegat consuetudini vim introducendi aliquam irregularitatem, tum quia est materia gravissima ad ordinem publicum maxime pertinens, tum quia consuetudo vix potest esse adeo universalis, ut faciat jus commune. At, juxta omnes, si dubitatio existeret, an aliqua irregularitas sit in jure expressa, hæc admittenda esset, si diuturna Ecclesiæ consuetudine firmata foret (S. Lig., l. VII, n. 345, cum comm.). Sic, v. g. quoad rebaptizantes, nullo juris textu probatur illos esse irregulares; tamen communi consuetudine suscepta et firmata invenitur hæc irregularitas.

4° Notandum est quod argumentum a simili, a pari, vel a majori ad minus, in materia irregularitatis locum non habet : quia similia ex jure deducuntur, ut consequentiæ. Porro quod deducitur ex jure, etsi in jure contineatur, non tamen a jure exprimitur. Sed irregularitas debet exprimi in jure, seu expresse enuntiari.

b) *Causæ propter quas* contrahitur irregularitas. 1° *Ex delicto*, irregulares sunt iterantes baptismum, suscipientes furtive ordines, ministrantes in ordine non suscepto, violantes censuram ecclesiasticam per susceptionem ordinis, vel ministrantes in illo in excommunicatione, suspensione vel interdicto; occidentes vel

mutilantes injuste alterum, si hoc voluntarie fiat et cum intentione expressa occidendi vel mutilandi, quod extenditur etiam ad causas morales; hæretici et de hæresi suspecti, dum non purgant suspicionem; infames infamia facti vel juris, quales sunt mimi, histriones, cauponæ, etc.; ebrietati et gulæ dediti, usurarii manifesti, qui infamia laborant. Tamen irregularitas cui infames obnoxii sunt, non tam ex delicto, quam ex accidenti, quod crimen sit publicum, provenit.

2° Defectus ex quibus inducitur irregularitas, sunt sequentes: irregulares sunt ex defectu *animi*, amentes, infantes, phrenetici, energumeni; ex defectu *scientiæ*, rudes et ignari; et *fidei obfirmatæ*, neophyti, non confirmati; ex defectu *corporis*, hermaphroditæ, morbo comitiali laborantes, carentes requisita ætate ad ordines, corpore vitiati et insigniter deformes, seu alium habentes defectum corporalem, qui congruentem ordinis usum impedit vel notabilem horrorem causat, quibus accensentur eunuchi; ex defectu *natalium*, illegitimi; ex defectu *sacramenti*, bigami; ex defectu *libertatis*, servi et publicis rationibus impliciti; de quibus actum est supra, in lib. I, a tit. XVII ad tit. XXI et sparsim per alios libros; ex defectu *lenitatis*, concurrentes ad supplicium capitis, vel mutilationem etiam justam, milites occidentes in bello etiam justo, si offensivum hoc sit (tit. XII supra). De irregularitatibus in specie actum est antea, in variis libris Decret.; de sola irregularitate in genere agitur in h. t.

II. *De causa materiali seu delicto irregularitatem inducente.*

a) Delictum illud debet esse 1° commissum actu *externo;* nam ut legimus in can. 1, causa 15, q. 6, actus internos Dominus suo reservavit judicio, ac proinde non possunt humano condemnari examine. Deinde irregularitas dicit ordinem ad statum externum seu publicum Ecclesiæ, quatenus impedit ministerium ecclesiasticum.

2° Debet esse *consummatum* et non mere attentatum, imo et *perfectum*, secundum proprietatem verborum canonis irregularitatem inducentis. Ratio est, quia lex pœnalis est stricte interpretanda.

Verum non requiritur ut actus ille perfectus et consummatus sit notorius; sufficit enim ut sit externus: constat ex conc. Trid.,

sess. 24, c. 6, *de Ref.*, ubi conceditur episcopis potestas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus. Hic occultum opponitur notorio, non autem externo.

3° Delictum illud debet esse, saltem ex objecto et materia, *grave*. Ratio est, quia irregularitas est malum gravissimum, utpote privans ordinis susceptione et illius usu in perpetuum. Sed quæritur,

b) *An, si ex circumstantia aliqua delinquens excusaretur a peccato mortali, eo ipso excusaretur ab irregularitate?* Multi negant; sed communior sententia, cum Suarez, Schmalz., etc., affirmat, quia secus pœna excederet culpæ gravitatem. Imo aliqui dolum seu contemptum requirunt ad quamlibet irregularitatem ex delicto provenientem. Sed illa quæstio connexionem intimam habet cum sequenti, de causis excusantibus.

QUÆST. III. De causis excusantibus delinquentem ab irregularitate incurrenda.

Duplex causa excusans inveniri potest, nempe ignorantia et dubium.

I. *Ignorantia.*

a) An *ignorans* alicui delicto annexam esse irregularitatem, nihilominus committendo delictum, incurrat illam? Prima sententia affirmat, propter sequentes rationes : 1° Inhabilitas legalis incurritur ab ignorantibus, ut patet in impedimentis matrimonii, etc.; sed irregularitas ex delicto est primo et per se inhabilitas, quia scilicet indecens est homines certis defectibus et delictis notatos ad statum clericalem admitti. 2° Præterea, etiamsi irregularitas ex delicto esset primario pœna, tamen incurreretur ab ignorante : tum quia ignorantia pœnæ vindicativæ nullo jure delinquentem excusat a tali pœna, alioquin clerici et laici delinquentes immunes essent ab omnibus pœnis quas ignorabant delicto esse annexas; tum quia voluntarie consentiens in culpam, virtualiter et implicite consentit in omnem pœnam vindicativam tali delicto debitam, etsi per accidens ignoret qua pœna puniatur delictum; secus vix ullus maleficus juste puniri posset.

Secunda sententia, quam tenent Suarez, Sanchez, Schmalzgrueber., etc., ab irregularitate excusat ignorantes : tum quia

irregularitas ex delicto est impedimentum pœnale; sed pœna, saltem extraordinaria, ab ignorantibus non incurritur, ex cap. fin., *de Const.*, in 6°; tum quia pœna lata in contumaces et inobedientes non incurritur ab ignorantibus, ut patet in censuris; sed irregularitas lata est in contumaces et inobedientes legi ecclesiasticæ. At major non videtur admittenda, nisi agatur de pœnis medicinalibus. Tandem probatur hæc sententia, ideo quia ut incurratur pœna, debet delinquens consentire in culpam, etiam ut inductivam talis pœnæ; sed ignorans irregularitatem, non consentit in culpam inductivam irregularitatis. Sed adversarii respondent non requiri ut delinquens explicite consentiat in pœnam; porro dum consentit in culpam, implicite consentit in pœnam. Hæc sententia, ut monet Maschat, qui tamen eam impugnat, est satis probabilis, et « servire potest pro foro conscientiæ in casibus arduis et desperatis ».

b) Sed ulterius quæritur, quid sentiendum sit de eo qui ignoraret quidem irregularitatem in specie esse tali delicto annexam, sed sciret delictum illud speciali lege ecclesiastica esse prohibitum? Communior sententia docet illum esse irregularem, et probat ex diversitate necessaria cum censuris, et ex homicidio, in quo non excusantur ignorantes pœnam, etc.; at sententia opposita est probabilis, et sic implicite tantum et in generali ratione prohibitionis ecclesiasticæ cognoscens pœnam, censetur simpliciter ignorare.

II. *Dubium.*

b) An ob causam *dubiam* censendus sit aliquis irregularis? Notandum est 1° quod dubium potest esse vel juris vel facti : dubium *juris* est, quando dubitatur an in jure ob tale factum imposita sit irregularitas; dubium *facti*, cum certum est tali facto impositam esse a jure irregularitatem, sed dubitatur an quispiam tale factum commiserit.

Notandum est 2° quod in quocumque dubio, sive facti sive juris, debitam diligentiam esse adhibendam ad veritatem investigandam, et hoc sub gravi, nisi dubitans patiatur incommoditatem gravem, si diu examinaret, v. g. præteriret accessionem ordinum suscipiendorum et beneficii comparandi; lex in dubio non videtur ita rigide obligare. Sed extra illum casum, tenetur

dubitans diligenter inquirere, secus manifesto se exponeret irregularitatis violandæ periculo.

Tandem 3° certum est etiam quod, si post adhibitam debitam diligentiam quis ducatur rationibus probabilibus ad existimandum vel nullam irregularitatem tali facto esse annexam, vel factum cui de jure annexa est, se non commisisse, poterit se immunem existimare ab irregularitate : constituitur enim in statu qui expellit quodlibet dubium practicum.

Quid vero si strenua diligentia impensa, quis adhuc versaretur in statu conscientiæ dubiæ? Respondetur varias esse sententias apud Schmalzg. (h. t., n. 80-88) circa quæstionem propositam. Prima vult neminem debere se reputare irregularem, quoadusque sententia judicis accedat, quia irregularitas non incurritur nisi in casibus jure expressis.

Secunda putat quemlibet reputandum esse irregularem in foro conscientiæ, non tamen in foro externo : quia in dubiis quisque, ut legimus in c. 12, 18, *de Homic.*, deberet tutiorem sequi partem in foro conscientiæ, dum in foro externo reus semper absolvendus est, dum delictum non probatur.

Tertia, cum Suarez, vult quemlibet reputari irregularem, et quidem in utroque foro, quia forum internum non differt ab externo. Ratio petitur ex homicidio dubio, seu ex reg. in c. 12 et 18, *de Homicid.*, data.

Tandem quarta sententia distinguit cum Schmalz. post Palaum, Pirhing, etc., inter dubium juris et facti : in primo casu, dubitans nullo modo se irregularem reputare debet, tum quia nulla est irregularitas, nisi in jure sit expressa (c. 18, *de Infant.*, in 6°), tum quia lex dubia non obligat. In secundo casu, distinguitur iterum inter factum homicidii, quod clare reservatur in jure, et dubium circa alia facta, in quo nemo censeretur irregularis, propter rationes supra datas quoad dubium juris; deinde dubitans non est privandus sua libertate quam possidet, et cui nihil certi opponi potest.

QUÆST. IV. De effectibus irregularitatis.

I. *Inhabilitas ad ordines.*

a) Primus effectus est *inhabilitas ad ordines* licite suscipiendos vel exercendos, et quia prima tonsura est via et dispositio

ad ordines, fit ut irregularitas reddat etiam inhabilem ad primam tonsuram : irregularis ad statum clericorum non admittitur. Tamen contrariam sententiam tenent aliqui, levibus quidem innixi rationibus, et ideo hæc sententia est hodie penitus obsoleta. Hinc Suarez dicere non dubitavit, susceptionem tonsuræ esse peccatum mortale in persona irregulari. Dicitur 1° *licite,* quia valor receptionis non pendet a dispositione Ecclesiæ, nisi agatur de prima tonsura, quæ est certo institutionis ecclesiasticæ.

Dicitur 2° *ad ordines suscipiendos*, nam impedit ordines suscipere, cum sit inhabilitas ad illos; ideo si statum clericalem antecedat, cujusque ordinis susceptionem impedit.

Dicitur 3° *exercendos,* nam irregularitas potest supervenire ordini jam suscepto. In hoc casu, si est irregularitas ex delicto, impedit quodcumque exercitium ordinis (c. fin., *de Temp. ordin.*, et c. 21, *de Accusat.*), et inhabilem reddit ad alium suscipiendum, quia præstat omnem effectum quem præstare potest. Ita communis sententia ex locis indicatis. Si vero sit ex defectu, privat solum exercitio ordinis suscepti cui talis defectus adversatur, et potestate suscipiendi illum ad quem pariter per hujusmodi defectum inhabilis factus est : v. g., si sacerdos vel diaconus pollicem et indicem manus amitteret, primus privaretur celebratione missæ, non vero cæteris ministeriis ordinis sacerdotalis; secundus vero sacerdotium suscipere non posset, etsi in suo ordine possit ministrare.

b) Verum irregularis non impeditur peragere alios actus sacros qui ex sacris ordinibus non dimanant, v. g. inservire sacerdoti ministranti, preces publicas populo prælegere, horas canonicas in choro persolvere; non impeditur etiam recipere sacramenta, ordine excepto.

II. *Inhabilitas ad suscipienda beneficia.*

Secundus effectus est *inhabilitas ad recipienda beneficia.*

1° Certum est quod irregularis non posset licite accipere beneficium : ex c. fin., *de Cler. pugn. in duello*, et c. Trid., s. 14, c. 7, *de Reform.*, saltem si irregularitas sit absoluta et totalis; nam hæc clericum ab ordine et statu clericali omnino dejicit, ac proinde et ab iis quæ ordinem clericalem requirunt. At si esset partialis et ex defectu, non impediret collationem bene-

ficii, saltem si ille defectus non repugnet oneribus beneficii. Ita communis sententia apud Schmalz., n. 72.

2° Non consentiunt DD. circa nullitatem collationis beneficii irregulari factæ. Communior sententia docet collationem illam esse ipso jure nullam, ex locis supra citatis : hæc omnia non minus nullitatem quam illicitatem inducunt. Ratio est, quia irregularis exclusus est ab ordine ejusque exercitio ; ergo exclusus est etiam ab eo quod ordinem necessario requirit, et eadem ratione exclusus est, seu ipso jure : eadem enim est inhabilitas ad beneficia et ordines. Addendum est etiam, ut monet Suarez, quod hic intervenit defectus consensus ex parte conferentis beneficium ; ergo collatio est nulla.

Verum altera sententia, non improbabilis, negat hujusmodi collationem esse nullam. Ita Sylv., Laym., Coninck, etc., apud Schmalzgrueber, n. 94. Probatur, quia in c. 6, *de Concess. præb.*, in 6°, dicitur prohibitionem Pontificis non irritare collationem, nisi adjungatur ei decretum irritans; atqui in hoc casu non reperitur decretum irritans. Ergo remaneret ut collatio sit tantum illicita, non autem invalida. Ex prima sententia,

3° Sequitur irregularem, sic provisum, suos non facere fructus beneficii obtenti, et incapacem esse jurisdictionis, saltem ordinariæ : nam quoad primum, cum invalide beneficium acceperit, jus ad illos habere nequit; verum pensionem habere potest, cum in jure pensionum privatio irregulari indicta non sit. Quoad secundum, sic explicat Bonacina : « Irregularis incapax videtur jurisdictionis ordinariæ, non vero delegatæ, quia jurisdictio ordinaria solet alicui competere propter beneficium, officium ac titulum spiritualem ordinatum ad functiones ordinum ; sed irregularis est incapax beneficii ; ergo videtur incapax etiam jurisdictionis ordinariæ quæ consequitur officium et beneficium. Non est tamen incapax jurisdictionis delegatæ, eo quod hæc jurisdictio non fundetur in beneficio, nec conferatur ratione beneficii, nec dirigatur ad exercitium ordinum, ut suppono » (Disp. 7, quæst. 1, punct. 4, n. 12).

III. *Privatio beneficiorum.*

Tertius effectus est *privatio* beneficiorum ante irregularitatem acquisitorum.

a) Irregularitas non privat ipso jure beneficiis antea obtentis, ut docet sententia communior contra aliquos : constat ex c. 5, *Ne cler. vel monach.;* c. 6, 7, *de Cler. vel minist.,* et cap. 10, *de Excess. prælat.,* in quibus textibus ad beneficiorum privationem requiritur officium judicis; unde delinquens privari debet per sententiam judicis condemnatoriam vel criminis declaratoriam. Ratio est, quia nemo ipso facto ante sententiam privatur bonis suis, vel juribus actu possessis, nisi id clare exprimant leges; sed nulla in præsenti reperitur declaratio hujusmodi. Sic conditio possidentis differt a conditione acquirentis, de quo supra dictum est. Sed ulterius quæritur,

b) An ille beneficiatus irregularis teneatur beneficium suum dimittere? 1° Respondetur, irregularitatem per se et immediate non secum ferre illam obligationem. Tamen irregularis certo teneretur interim per alium beneficiatum administrare, donec dispensationem impetret, saltem si illud beneficium exigat actum quemdam ordinis quem irregularis personaliter exercere nequeat. Verum si dispensationem non velit vel non possit obtinere, debet resignare beneficium, quia sine causa illud possideret, et Ecclesia in perpetuum spoliaretur servitio suo.

2° In casu necessitatis, scandali, infamiæ et alterius gravis incommodi quod sequeretur, si irregularis abstineret ab usu ordinum, potestis exercere ordines, non obstante irregularitate; nam præceptum Ecclesiæ non obligat cum tam gravi incommodo. Verumtamen in hoc casu ordines exercere nequit, nisi quantum eorum exercitium necessarium est ad mala illa præcavenda, et tenetur sibi celeriter providere de dispensatione. Minime dubium est, quin teneatur vices suas committere vicario, si per talem substitutionem non timerentur mala supra recensita.

c) Notandum est et eruitur ex dictis, quod sic irregularis factus post adeptum beneficium, valide exercere potest jurisdictionis tam voluntariæ quam contentiosæ actus qui ipsi ratione beneficii competunt; posset etiam licite illos exercere, si scandalum absit, vel actus illi exercitium ordinis non includant : v. g. episcopus irregularis potest excommunicare, interdicere, absolvere ab excommunicatione, conferre beneficia, delegare facultatem absolvendi, etc. Parochus irregularis posset præsen-

tia sua roborare matrimonium, imo et valide conferre absolutionem sacramentalem, saltem si non est nominatim denuntiatus, ut docent Suarez, Bonacina, etc.

QUÆST. V. De dispensatione in irregularitatibus.

I. *Relaxatio irregularitatis.*

Irregularitas, saltem perpetua, nonnisi per dispensationem relaxatur, et sub hoc etiam respectu differt a censura, quæ tollitur per absolutionem. Quoad temporalem, citra ullum aliud remedium lapsu temporis cessat. Quare,

1° Sequitur nullam irregularitatem baptismo tolli. Nonnullis placuit dicere baptismum esse aliquem modum quo irregularitas aboletur : ratio est, quia infamia facti, etiam illa quæ per homicidium contrahitur, tollitur per baptismum. Re penitus inspecta, manifestum est ante baptismum irregularitatem locum non habere, cum Ecclesia nullam jurisdictionem habeat in eos qui sunt extra Ecclesiam ; igitur non baptizatus, qui nullis legibus ecclesiasticis adstringitur, nec illi particulari legi irregularitatem inducenti obnoxius esse potest.

Verumtamen sunt aliqui defectus ante baptismum contracti qui remanent in baptizato, et natura quorum constituitur irregularis : ut si baptizatus antea fuerit bigamus, corpore vitiatus, illegitimus, infamis infamia juris (non infamia facti, quæ per baptismum aboletur). Sed isti defectus non præ se ferebant naturam irregularitatis ante susceptionem baptismi, et infamia facti, ut dictum est, per baptismum tollitur, quia regeneratio spiritualis tollit etiam pœnas et reliquias peccati.

2° Irregularitatem, regulariter loquendo, non relaxat professio religiosa. Nullum enim est fundamentum hujus relaxationis ; etenim si spectentur privilegia religioni concessa, irregularitates non tollunt, etsi prælatis regularibus concedant facultatem relaxandi aliquas irregularitates. Diximus « regulariter loquendo », quia per professionem religiosam tollitur irregularitas quæ oritur ex defectu natalium in ordine ad suscipiendos ordines, non tamen in ordine ad dignitates et prælaturas, nisi in religione aliqua habeatur privilegium particulare. Ita omnes DD., ex c. 1 et cap. fin., *de Filiis presbyt.*

II. *De potestate relaxandi irregularitatem dispensando.*

a) Quis generatim possit dispensare cum irregularibus? 1° Constat S. Pontificem posse irregularitatem omnem relaxare. Cum enim illa ortum ab ipso habeat, necesse ėst ut etiam per eumdem tolli possit. Tamen in aliquibus, difficilius dispensat, ut in irregularitate bigamiæ, quia ab apostolica traditione descendit; unde quædam irregularitates hoc sensu dicuntur indispensabiles. Vix etiam datur dispensatio ab illa quæ oritur ex homicidio voluntario, quia gravem continet indecentiam.

2° Episcopo fas non est dispensare in irregularitatibus, nisi id ipsi specialiter concessum sit: irregularitas enim est dispositio de jure communi et universali.

1° Nomine episcopi veniunt illi episcopi qui ordinariam in subditos habent jurisdictionem. Unde eo nomine non venit archiepiscopus respectu subditorum suffraganei, nec vicarius generalis, nisi ad hoc sit specialiter deputatus, prælati regulares respectu religiosorum sibi subditorum, quia non habent diœcesim. Sed nomine episcopi venit sive capitulum, sede vacante, sive abbates et prælati nullius diœcesis.

2° Hæc potestas est concessa pro casibus sequentibus. Quoad irregularitates *ex defectu*, penes episcopos est dispensare cum illegitimis ad suscipiendos ordines minores et ad obtinenda beneficia quibus cura animarum annexa non est, necnon cum similitudinarie bigamis, ad ordines quoscumque, tum suscipiendos, tum exercendos.

Quoad irregularitates *ex delicto*, conc. Trid. (s. 24, c. 6, *de Ref.*) potestatem episcopis dedit dispensandi, quando irregularitas provenit ex delicto occulto et ad forum contentiosum non deducto, excepta illa quæ oritur ex homicidio voluntario. Unde,

b) Speciatim agendum de potestate episcopis data in hoc capite concilii Tridentini. 1° In hac celebri declaratione, dicitur « ex delicto occulto ». Sed qualis actus censeatur occultus, non conveniunt doctores; alii enim contendunt id occultum nuncupari quod nullo facto probari potest, unde occultum idem esset ac non probabile, seu quod sufficientibus probationibus non ostenditur; sic famosum posset esse occultum. Ita Fagnanus, in c. *Vestra*, de cohabit. cler. et mulier., n. 151, seqq.

Sed communis sententia sustinet crimen esse occultum quod omnes ignorant, vel perpauci sciunt, ita quidem ut absit periculum ne illud in publicum prodeat : unde occultum sumitur ut contradistinguitur a publico ; sed iterum quæri deberet, quid sit et publicum? Publicum est nomen generale quod verificatur in notorio, manifesto et famoso, seu fama evulgato, aliis verbis, in notorio, notorietate juris, facti vel famæ; ergo occultum est illud quod nullo modo est notorium. Schmalzgrueber sic explicat hoc vocabulum ad mentem conc. Trid. : « *Occultum* etiam dicitur delictum esse, quando, etsi per testes probari possit, ignoratur tamen a majori parte populi seu communitatis, in qua ad minus decem resident, ubi delictum commissum est, ideoque occultum notorio opponitur. » Si delictum esset publicum in uno loco, et in alio non sciatur nec timeatur probabiliter illud sciendum fore, probabilius censeretur publicum. Ita communis sententia contra Sanchez et alios.

Tandem si delictum quidem esset publicum ex ratione delicti, non vero ex ratione irregularitatis, non una est etiam DD. sententia : sed illa in praxi tenenda est quæ negat episcopum dispensare posse in impedimento publico, etiam materialiter spectato, quidquid sit de quæstione, an S. Pœnitentiaria soleat dispensare vel non in impedimentis materialiter tantum, et non formaliter occultis.

2° Episcopus non potest dispensare in delicto *ad forum contentiosum* deducto : censetur deductum, quando delatum est judici et insuper delatio parti intimata fuit : unde non sufficit ut sit delatum judici. Si reus ex defectu plenæ probationis, absolutus fuisset ab instantia, posset etiam episcopus dispensare ; nam tunc delictum non censetur deductum ad forum contentiosum (Schmalzgr., n. 116).

3° Episcopus non potest dispensare nisi subditum. « Quoscumque *sibi subditos,* ut ait conc. Trident., in diœcesi sua ». Nomine subditorum hic veniunt qui habent domicilium, vel per majorem anni partem commorantur cum intentione sic manendi. Item vagi. Ita Suarez, Sanchez, etc., apud Schmalzgr., n. 117. — Quod non possit prædictos subditos dispensare nisi *in sua diœcesi,* hæc verba sunt intelligenda, non in hoc sensu quod episcopus absolvere nequeat subditum existentem extra suam diœcesim, ut monet Schmalzgrueber post Sanchez et Palaum, sed quod

possit absolvere quoscumque sibi subditos, sive per se et proprie subditi sint, sive ei subdantur ratione existentiæ in diœcesi, licet domicilium ibi non habeant.

4° Addit conc. Trid., saltem quando agit generatim de casibus reservatis, « per seipsum aut *vicarium* ad id specialiter deputandum *in foro conscientiæ...* absolvere ». Notandum est quod verba illa non debent sumi in hoc sensu quod dispensatio non valeat, nisi pro foro conscientiæ; nam hæc verba non sunt opposita, cum de irregularitatibus sermo fuit, sed duntaxat quando agitur de casibus reservatis. Itaque potestas valet tam pro foro externo quam pro interno. Ita Schmalzgr. post Sanchez. Sed ex verbis « per seipsum vel vicarium », exsurgit difficultas circa facultatem dispensandi per alium. (Vide Bœnningh., *de Irreg.*, c. 6, *de Dispensat.*) At communis sententia tenet episcopum posse aliis committere facultatem dispensandi, cum episcopo competat jure ordinario seu annexa sit officio episcopali.

c) Interpretatio dispensationum vel facultatum dispensandi in irregularitatibus. 1° Si plures sunt irregularitates, de quibus impetranda sit dispensatio, necesse est ut mentio fiat illarum quæ sunt ob diversa crimina contractæ, quia auferri potest una sine altera : ita communis sententia. Verum si ageretur de delicto ejusdem generis sæpius iterato, sufficit ut in genere dicatur delictum pluries contigisse.

2° Si in facultatibus datis dispensandi sit aliqua exceptio, ea est stricte accipienda : v. g. si exciperetur homicidium voluntarium, id deberet intelligi de injuste et directe volito.

3° Dispensatus ad ordines non hoc ipso censendus est dispensatus ad beneficia curata, dignitates et prælaturas (Schmalzgr., n. 125). Ita dispensatus ad ordines, si minores nondum habeat, censeri debet dispensatus ad istos solos. Ratio est, quia dispensatio est stricte interpretanda.

§ II. *De aliis pœnis Ecclesiæ spiritualibus.*

QUÆST. I. De privatione beneficiorum et inhabilitate ad illa.

I. *De privatione beneficiorum.*

a) Privatio beneficiorum legitime obtentorum induci potest vel ipso jure, vel per sententiam condemnatoriam judicis.

1° Incurritur *ipso jure*, quando annexa est perpetrationi criminis, ita ut aliqua sententia condemnatoria non requiratur : tale crimen est cædes rectoris vel beneficiati ecclesiæ in qua beneficium obtinetur (c. 12 h. t.); hostilis persecutio aut captivatio alicujus cardinalis vel ad eam cooperatio (c. 5 h. t., in 6°); percussio vel persecutio alicujus episcopi, etc. (Clem. 1ª, h. t.); violenta detentio personæ ecclesiasticæ ad effectum extorquendæ ab ea renuntiationis beneficii, vel impediendæ comparitionis apud Sedem Apostolicam (Clem. 2ª, eod.); et alia multa de quibus jam suo loco dictum est, vel infra dicetur.

Incurritur *per sententiam condemnatoriam,* quando opus est sententia, non tantum criminis declaratoria, sed etiam injungente pœnam ademptionis beneficii (c. 18, *de Accusat.*).

2° *Effectus* utriusque privationis. Si privatio ipso jure est incussa, sequitur ex illa amissio tituli seu juris in re, ita ut ab eo tempore beneficium vacare incipiat; amissio fructuum a die commissi criminis; impotentia ad resignandum beneficium in favorem tertii; vacatio beneficii ex delicto, non per mortem, etsi interim beneficiatus moriatur (c. 28, *de Præb.,* in 6°; extrav. 2, inter comm., *de Simon.*).

b) Quæritur, utrum hæc pœna privationis obliget in conscientia ante sententiam declaratoriam, si casus fuit occultus? Duæ sunt sententiæ oppositæ, ac ambæ probabiles, variis innixæ rationibus. Vide Thesaur., *de Pœnis*, p. I, c. XXVIII.

Si privatio sit inducta per sententiam condemnatoriam, solum inducitur privatio tituli a tempore latæ sententiæ, et ideo ante talem sententiam, beneficium talis criminosi non potest impetrari, et resignatio illius ex causa permutationis vel alio modo valet; tandem ille criminosus fructus facit suos usque ad sententiam condemnatoriam.

II. *Inhabilitas ad beneficia et officia.*

Generatim inhabilitas non est pœna proprie dicta, ut monet Thesaur. (*de Pœnis*, p. I, a. 1). Sed solet enumerari inter pœnas. Est aliqua incapacitas acquirendi et retinendi beneficium. Effectus ejus præcipuus est, quod collatio facta inhabili non teneat. Hæc pœna, juxta communem sententiam, est pure privativa, non requirens factum hominis positivum ad sui exsecutionem.

Alii tamen docent non ligare in conscientia ante sententiam declaratoriam. Alii, mediam quamdam tenentes sententiam, sic distinguunt : si pœna inhabilitatis apponatur simul cum aliis pœnis quæ non obligant ante sententiam declaratoriam, tunc neque hæc obligaret; aliter vero, si ponatur per se vel cum aliis privativis.

QUÆST. II. De depositione.

I. *Natura depositionis.*

1° Depositionis nomen dupliciter accipitur, scilicet generice, et tunc sub se continet etiam degradationem ; vel specifice, et est pœna solis clericis statuta, qua clericus perpetuo removetur a beneficio, officio, etc. ; non tamen privatur privilegio clericali, scilicet fori, canonis et bonorum (Thesaur., *op. cit.*, p. 45). Differt a degradatione et suspensione, et dicitur depositio simplex seu verbalis, per oppositionem ad degradationem, quæ est depositio solemnis ac realis. Per illam depositionem, clericus perpetuo removetur vel ab ordine, v. g. episcopali, sacerdotali, etc., scilicet quoad exercitium ejus; vel a beneficio, v. g. parochia, dignitate ; vel ab officio, v. g. jurisdictionis usu ; et tunc est partialis. Potest etiam simul removeri ab ordine, beneficio et officio; et tunc est totalis.

2° Depositio simplex a beneficio differt a *privatione* beneficii, ex hoc quod depositio simplex, ultra privationem beneficii possessi, inducit inhabilitatem ad idem et alia beneficia obtinenda. Differt a *suspensione*, quia depositio de se est perpetua, cum tamen suspensio vel non est perpetua, vel si perpetua est, non ab officio et beneficio ipsomet, prout facit depositio, sed a beneficii fructibus duntaxat, officii administratione et jurisdictionis usu removet, seu, aliis verbis, suspensio, etiam totalis, non tollit titulum beneficii et officii, bene vero depositio.

II. *Crimina ob quæ a jure imposita est depositionis pœna.*

1° Antiquo jure infligebatur etiam depositio ob minora delicta, ut furtum, adulterium, perjurium (c. 4, *de Adult., de Judic.*) ; sed hodie nonnisi ob enormia crimina et valde scandalosa, ut homicidium præmeditatum, furtum sacrilegum rei pretiosæ, fornicationes notoriæ post *monitionem* continuatæ. Non sufficit

ergo ut crimina objecto et natura sint enormia, sed considerari debent circumstantiæ et qualitates adjectæ atque scandalum datum. Generatim crimina quæ inferunt irregularitatem, possunt etiam puniri depositione.

2° Clerici depositi ob adulterium vel crimina eo non graviora, post peractam pœnitentiam, possunt ab episcopo restitui in pristinum statum, ut docent communiter DD. (apud Schmalzgr., n° 137): colligitur ex c. 4, *de Adulteriis, de Judic.* Igitur episcopus posset cum illis clericis dispensare et depositos restituere.

Quæst. III. De degradatione.

I. *Natura et varietas.*

1° Degradatio est pœna ecclesiastica qua clericus solemniter et authentice dejicitur ab ordine et statu clericali, ita ut transeat in potestatem sæcularem. Est duplex : *verbalis* seu *sententialis*, qua profertur solemnis sententia privans clericum statu clericali; *realis* seu *actualis*, qua clericus exercite in forma ecclesiæ dejicitur a statu clericali.

2° Degradatio verbalis differt a reali, tum quia verbalis, quæ regulariter præcurrit reali, exercite non tollit privilegium fori et canonis, dum realis hæc privilegia tollit; tum quia episcopus potest restituere verbaliter degradatum, dum solus Papa valet restituere realiter degradatum; tum quia verbalis fieri potest ab episcopo tantum confirmato, dum realis nonnisi ab episcopo consecrato, quia ex dispositione Ecclesiæ est actus ordinis episcopalis; tandem verbalis fit in absentem, realis vero nonnisi in præsentem (Vide Bened. XIV, *de Syn.*, l. IX, c. VI, n° 3).

Notandum est quod degradatio fieri debet a proprio episcopo; si vero sint clerici et regulares exempti, a Papa (can. 5, 6, causa 3, q. 6; conc. Trid., s. 13, c. 4, *de Ref.*). Tamen prælati regulares generatim habent privilegium degradandi suos religiosos.

3° Degradatio verbalis differt etiam a depositione, quia a sententia depositionis immediate transiri nequit ad degradationem, sine nova sententia degradationis; bene vero a degradatione verbali ad realem, quæ est exsecutio degradationis sententialis.

II. *Crimina propter quæ infligi potest degradatio.*

1° Crimina ob quæ, non exspectata incorrigibilitate criminosi, statim is degradari potest, sunt : 1° hæresis, præsertim cum reincidentia (c. 9, *de Hæret.*, et c. 4 eod., in 6°) ; nam si hæreticus non sit relapsus, necesse est ut sit impœnitens, cum hæreticus, etiam manifestus, dum est pœnitens, non debeat degradari ; 2° contumelia gravis, calumnia, crimen insidiarum et conspirationis in episcopum (can. *Si quis,* 18 ; can. 19, et c. 11); 3° falsatio litterarum apostolicarum (c. 7, *de Crim. falsi*); 4° assassinium (c. 1, *de Homicid.*, in 6°). Hi quatuor casus recensentur in corpore juris. Sed extra corpus juris, alia sunt crimina degradatione digna, scilicet : *sodomia* frequentata, hoc est, non semel duntaxat, sed sæpius commissa, ex constitutione *Horrendum* Pii V ; *celebratio missæ et auditio confessionum* sacramentalium a non sacerdote ex ercita, exconst. *Et alias* Clem. VIII; *sollicitatio ad turpia* in confessione sacramentali, si eam aggravent peculiares quædam circumstantiæ, ex const. *Universi* Greg. XV; *furtum sacrilegum* S. Eucharistiæ, ex const. *Ab augustissimo* Bened. XIV, post. Inn. XI et Alex. VIII ; *abortus fœtus animati,* ex const. *Effrenatam* Sixti V, juxta moderationem factam a Greg. XIV, const. *Sedes Apostolica.*

Extra illos casus, si aliud enormissimum crimen a clerico perpetretur, ut adulterium, concubinatus perseverans post monitionem, struprum, incestus, perjurium, homicidium, et generatim omnia crimina quæ irregularitatem inducunt, recurri debet ad Sedem Apostolicam, pro licentia degradationis. Nam,

2° Clericus ob nullum crimen, nisi jure expressum, degradari potest, ut docent communiter CC., ex cap. 10, *de Judic.*, ubi præscribitur ordo puniendi clerici. Clericus igitur debet primo deponi ab officio et beneficio ; deinde, crescente contumacia, excommunicatur et anathematizatur ; tandem, si in profundum malorum veniens contempserit, Ecclesia non habet ultra quid faciat, nisi procedat ad degradationem. Olim tradebat brachio sæculari clericos incorrigibiles ; quare DD. quærebant, quandonam judex ecclesiasticus valeat tradere curiæ sæculari?

III. *Forma degradationis.*

1° Forma degradationis verbalis de jure antiquo (can. 5,

seq. 15, q. 7, c. 2 h. t., in 6°), in eo consistit ut episcopus coram 12 episcopis, presbyter coram 6, diaconus et subdiaconus coram 3 episcopis, minorista vero coram episcopo et capitulo cathedrali, sententialiter degradetur. At de jure novo Trid. (sess. 13, c. 4, *de Ref.*), si tot episcopi haberi nequeant, sententialis degradatio, etiam presbyteri, fieri potest coram totidem abbatibus, usum mitræ et baculi habentibus, episcopo vel ejus vicario generali assistentibus; vel si non commode interesse possunt, coram « aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis », quæ ætate graves ac juris scientia commendabiles existant.

Assistentes isti in judicio degradationis habent votum decisivum, et probabilius sententia eorum debet esse concors, et non tantum a majori parte (c. 3, *de Sent. et re jud.*); nam factum « concorditer » opponitur facto a majori parte (c. 30, *de Elect.*), maxime in materia criminali.

2° Forma degradationis *realis* traditur in Pontificali Romano: Fieri debet ab episcopo consecrato proprio, vel ab alio consecrato deputato (c. 2 h. t., in 6°). Clerico vestibus sacris induto, ac si deberet in officio suo solemniter ministrare, gradatim ipsæ vestes sacræ usque ad cottam seu superpelliceum inclusive auferuntur. Postea reus olim tradebatur judici sæculari, qui non cognoscebat de valore degradationis, neque de crimine fori ecclesiastici, utpote carens jurisdictione ecclesiastica; tamen quoad crimina mixti fori, potuisset novum processum instituere.

SECTIO II. — De poenis temporalibus ecclesiæ.

I. Præcipua pœna temporalis fori ecclesiastici est *infamia*.

1° Infamia est privatio bonæ famæ et illæsæ existimationis. Est duplex : infamia *facti*, quæ ex pravis moribus oritur, et per emendationem aboletur; infamia *juris*, quæ auctoritate juris ob turpe crimen infligitur : hæc sola rationem pœnæ habet.

2° Infamia juris tribus modis contrahitur : ipso jure, dum jus, ante ullam sententiam, aliquibus delictis annectit infamiam, ut crimini læsæ majestatis, hæresi, usuris, lenocinio, etc., modo crimen sit notorium. Generatim qui jure civili sunt infames, etiam jure canonico pro talibus habentur, nisi hoc jus expresse infamiam tollat : ita communiter DD. Contrahitur præterea *sen-*

tentia judicis, dum judex, ob certa delicta infamantia, qualia sunt rapina, furtum, calumnia, prævaricatio, dolus in tutela, deposito, mandato, condemnat reum; quantumvis hæc delicta sint privata, subsunt judicis condemnationi, et ipsa infamiam irrogant. Tandem contrahitur *genere pœnæ*, dum quis ignominiæ causa ab officio amovetur, aut ab aliqua dignitate, honoribus interdicitur, vel condemnatur ad pœnam infamantem. Ex jure Gall. (art. 6, 7, 8 Cod. pœn.), pœnæ infamantes, sive simpliciter, sive simul afflictivæ et infamantes, sunt pœna mortis, triremium in perpetuum vel ad tempus, depositionis, detentionis, reclusionis (per 5-10 ann.), exsilium, degradatio civilis.

Oritur etiam aliquando juris infamia ex delicto alieno : sic infames sunt filii ac nepotes parentum qui violentas manus injecerunt in cardinalem (c. 5 h. t., in 6°), filii perduellium et proditorum qui commiserunt crimen læsæ majestatis, ex jure Rom. Ita etiam illegitime nati, qui tamen pro infamibus solum habentur quoad aliquos effectus jure expressos.

Tandem nascitur infamia quandoque ex officio : sunt enim aliqua officia ita vilia, ut exercentibus infamiam irrogare videantur : hujusmodi sunt officia histrionum, in quibusdam locis, carnificum.

3° *Effectus* infamiæ. Infames excluduntur a dignitatibus et honoribus (reg. LXXXIX in 6°); ratio est, quia hæc, sicut et cætera beneficia ecclesiastica, nonnisi a probatis et integræ existimationis personis administrari debent. Collatio infamibus facta ipso jure est irrita, saltem pro foro externo : ita communiter DD. apud Schmalzgr., n. 171. Removentur etiam a publicis muneribus, ut sunt officia judicis, assessoris, advocati, etc., neque ad testimonium dicendum sunt admittendi : ita jus Rom. Sunt irregulares, ita ut nequeant promoveri ad ordines, neque in susceptis ministrare possint (can. fin., d. 51, can. *Infames*, causa 69, q. 1) : nam ad ministerium sacrum, nonnisi puri et immaculati nominis homines debent eligi. Est tamen discrimen inter infames infamia juris et infames infamia facti : primi sunt simpliciter irregulares, quia irregularitas eorum est perpetua; at infames infamia facti sunt tantum irregulares *secundum quid*, quia eorum irregularitas cessat emendatione vitæ eorum, ut notant communiter DD. Igitur,

4° *Tollitur infamia solius facti* facto contrario, scilicet publica et constanti emendatione : est constans, si per triennium continuetur : ita plerique DD. apud Schmalzgr., n. 174. Ratio est, quia infamia facti adhæret facto; ergo abolito facto per emendationem, hoc ipso cessat infamia et irregularitas ex ea orta.

Infamia juris, cum sit perpetua, nonnisi a principe tollitur, cujus auctoritate imposita est (can. 7, causa 2, q. 3). Unde quoad clericos, Summus Pontifex irregularitatem ab infamia tollere potest. Circa laicos vero, non potest tollere infamiam, nisi quoad effectus jure canonico indictos; nam effectus indicti jure civili tolli debent a principe sæculari. Quando princeps sæcularis abolet infamiam juris civilis a canonibus recepti, irregularitas in eo fundata omnino cessat, ita ut alia dispensatio non requiratur. Secus, quando infamia inducta est jure canonico : hoc casu irregularitas non aboleretur sola restitutione famæ facta a principe sæculari; sed opus est dispensatione apostolica.

II. Aliæ pœnæ temporales.

a) Secunda pœna temporalis est *mulcta pecuniaria*. Potest hæc pœna infligi a judice ecclesiastico : constat ex variis canonibus et speciatim ex c. Trid., sess. 25, c. 3, *de Ref*. Hæc tamen pecunia non potest episcopus sibi aut suis officialibus applicare, vel mensæ capitulari (c. Trid., *l. c.*). Consuetudo in contrarium est corruptela et bonis moribus aversa. Unde pœna pecuniaria applicari debet piis locis et pauperibus.

b) Tertia pœna est *incarceratio*. Ex c. 15, *de Sent. excommun.*, in 6°, constat clericum de fuga suspectum posse incarcerari custodiæ causa, et carcer potest protrahi quousque judicium durat. Tamen carcer esse debet honestus, lucidus, decens pro personis sacris (conc. Trid., sess. 25, c. 6, *de Reform.*).

Non modo ad custodiam fit incarceratio, verum etiam ad pœnam, ut jam sufficienter patet tribunalium usu. Ratio est, quia cum SS. canones non infligant pœnam mortis, carcer est necessarius, ne crimina maneant impunita.

Carceris pœnæ affinis olim erat erat *ergastulum* (ab ἐργάζομαι, agere, operari), quod erat carcer junctus tabernis destinatis ad opus et labores mancipiorum deteriorum, quæ catenis

vinciebantur. In hoc personæ Deo dicatæ olim detrudebantur (can. 8, dist. 45, can. 11, causa 27, q. 1). Pœna non absimilis erat detrusio in arctum monasterium (c. 2, *de Adult.;* c. 10, *de Purgat.;* can. 6 h. t.). At istæ pœnæ jam a pluribus sæculis in desuetudinem abierunt.

c) Aliæ pœnæ erant tum *verberatio* et *flagellatio* clericorum, attamen citra mortis et mutilationis periculum (can. fin., d. 35); quæ pœna etiam exolevit; tum *confiscatio bonorum* (c. 19, *de Hæret.*, in 6°), *exsilium* seu *relegatio*.

d) In foro *sæculari*, pœnæ usitatæ, aliæ sunt *capitales*, aliæ *non capitales*. Capitales, quæ mortem naturalem aut civilem inferunt. Ultimum supplicium varie de reis sumitur apud diversos populos, sicut pœnæ non capitales valde differunt in variis codicibus pœnalibus. Canonistæ enumerant pœnas in antiquo jure Romano et recentiori jure imperii Romani receptas. Vide Schmalzgr., in h. t., n. 206 seqq.

Hic tantum notare expedit quod ultimum supplicium seu pœna mortis naturalis fuit usitata apud omnes gentes, etiam excultiores. Quare illi politici qui denegant potestati supremæ jus inferendi pœnam capitalem, reluctantur toti generi humano, contrarium docenti. Eo ipso jam denuntiatur falsissimum esse principium quo innituntur, nempe potestatem politicam esse quamdam voluntariam delegationem multitudinis gubernandæ, et ideo non plus juris habere, quam singuli illi homines jus transmittentes. Igitur cum homo nequeat de sua vita disponere, sequeretur, juxta prædictos, principem seu gubernium politicum nullo modo posse de vita cujusque rei disponere, seu pœnam capitalem infligere.

At cum omnis potestas sit a Deo, auctore vitæ et mortis, potuit supremus princeps a Deo accipere jus gladii, et de facto accepit, ut constat ex testimonio totius generis humani.

TITULUS XXXVIII.

DE PŒNITENTIIS ET REMISSIONIBUS.

Post pœnas in foro externo, agitur hic de pœnitentia in foro interno; et quia pœnitentiæ istæ solent quandoque relaxari, additur altera pars rubricæ *de remissionibus*.

SECTIO PRIMA.

De pœnitentia.

I. Natura et divisio pœnitentiæ.

a) Pœnitentiæ nomen varie solet accipi, nempe 1° pro punitione seu pœnæ sententia, secundum S. Isidorum, in l. III, *Etymol.*, c. ult.; 2° pro conversione seu mutatione mentis in homine præterita sua peccata plangente (can. 1, *de Pœnit.*, dist. 3); sic est actus virtutis pœnitentiæ, et in hoc sensu definitur a S. Thoma : « Dolor et detestatio animi de peccato commisso, quatenus est offensa sive injuria illata Deo, ex intentione eam compensandi; » 3° pro ipsa virtute pœnitentiæ, seu pro habitu speciali ad hujusmodi dolorem et detestationem peccati inclinante; 4° pro uno ex septem novæ legis sacramentis; tandem 5° pro satisfactione pro peccatis imposita et exhibita; et in hoc sensu definiri potest : « Satisfactio condigna pro peccatis imposita. » Hic pœnitentia in ultimo præsertim sensu sumitur. Theologi agunt de pœnitentia in tertio et quarto sensu sumpta, nempe de virtute et sacramento pœnitentiæ.

b) Pœnitentia, ut est satisfactio pro peccatis imposita, est 1° vel *publica* vel *privata :* publica est, quæ imponitur pro peccatis manifestis (c. 1 h. t.); privata, quæ imponitur pro peccatis occultis et privatim etiam peragitur. Rursus publica est *solemnis* vel *non solemnis :* solemnis, quæ olim imponebatur ab episcopo, initio quadragesimæ, servatis quibusdam ritibus (can. 64, d. 50), pro delictis toti societati noxiis et valde scandalosis; non solemnis, quæ etiam a presbytero imponi potuit pro delictis publicis, non

tamen communitati ita noxiis. Præcipuum discrimen inter utramque est, quod solemniter pœnitentes fiebant infames (c. 15, *de Privileg.*, can. 64 seq., d. 50); non solemnem peragentes haud fiebant infames. Erant etiam quædam pœnitentiæ olim usitatæ, scilicet *carena*, quæ erat pœnitentia sustinenda per jejunium in pane et aqua per 40 dies; *quadragena*, seu pœna per quadragesimam sustinere solita.

II. Quales pœnitentiæ hodie sunt injungendæ?

a) Pœnitentiæ 1° solemnes hodie non sunt in usu; imo (c. 13) olim imponi non poterant clericis, nisi depositis sine spe restitutionis (can. 2, *de Pœnit.*, d. 6), cum talis pœnitentia pœnitentes reddat infames. 2° Neque etiam in confessione sacramentali pœnitentia publica injungi potest, quia indirecte revelaretur confessio. Verum 3° in cap. 3 huj. tit. legimus : *Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda*, et hoc valde consonat æquitati naturali et bono publico. Tamen hæc regula non est in universali sumenda, sed solum pro foro externo; et ita temperanda est, ut publica pœnitentia præsenti statui accommodetur, non autem ad normam canonum pœnitentialium, qui hodie non vigent. Ex altera parte, principium in hoc cap. statutum est rectissimum, cum pœnitentia sit imposita, non tantum ad delinquentis emendationem, sed etiam ad terrorem aliorum; porro ad illum secundum finem pœnæ plurimum conducit pœnitentia publica.

b) Speciatim, quæ pœnitentiæ sint imponendæ pro casibus sequentibus, quos expendere solent DD.?

1° Ob occisionem sacerdotis. Ex c. 2 h. t., occisor sacerdotis plecti debebat pœnitentia duodecim annorum, v. g. jejunando certis diebus in hebdomada, peregrinando, etc.; præterquam quod non poterat contrahere matrimonium, nec ullum officium publicum suscipere, etc. Sed hodie tota pœna consuetudine abrogata est, et confessarius potest pœnitentiam pro libito imponere, juxta gravitatem criminis et contritionem delinquentis.

2° Pœna medici non monentis ægrotum de confessione facienda. In c. 13 h. t. præcipitur medicis corporum ut infirmos moneant de confessione facienda, et transgressores ab ingressu ecclesiæ arceri debent. Decretum hoc innovavit Pius V in motu

prop. super *Gregem Dominicum*, qui addidit privationem gradus doctoratus et ejectionem e medicorum collegio. Sed hæc dispositio non fuit in usu, nisi in ditione temporali Rom. Pontificis. Hi duo casus hic referuntur, tum quia de illis agitur speciatim in duobus capitibus hujus tit., tum ad instructionem confessariorum circa gravitatem pœnitentiæ injungendæ. Sequens casus suppeditat confessariis normam agendi, nunc sicut olim, servandam.

3° Mulieri quæ ex adulterio prolem suscepit, vel alienum partum supposuit, si ex metu gravis mali nolit delictum manifestare, non est deneganda pœnitentia. De hoc casu celebris est decisio Innoc. III, in c. 9 h. t., ubi consulenti rescribit talem mulierem, cum tanto famæ et vitæ periculo, non teneri marito revelare, et sic damnum alienum hac revelatione avertere. Ratio est, quia ex duobus malis minus est eligendum; deinde in extrema necessitate vitæ constitutus, pro éjus conservatione potest retinere et absumere alienum : porro eadem est ratio famæ, quæ vitæ, cum ignominiæ metus major sit quam mortis.

Tamen si uxor sit malæ famæ et de adulteriis graviter infamata, tunc teneretur manifestare in casu quo nullum esset vitæ et corporis periculum: quia jam famam amiserat. Item si ex non revelatione sequeretur quod hæreticus succedere deberet in throno, cum agatur de bono publico, cui bonum privatum cedere debet.

Sed, an adultera crimen manifestare debeat proli spuriæ, ad compensandum aut impediendum damnum hæredibus legitimis mariti illatum? Distinguitur : si hæc uxor ex suis bonis pòtest compensare, non tenebitur revelare, cum deficiat ratio damni reparandi, et bonum famæ oporteat servare. Si vero non possit compensare damnum, et revelando adducere queat prolem spuriam ut hereditati renuntiet, tenebitur revelare, dummodo sit certa de secreto servando, et alias non timeatur inde oritura gravia scandala et damna corporis vel animæ. Hic breviter quæritur,

c) An confessio sacramentalis sit in præcepto? Theologi, in tractatu de sacramento pœnitentiæ, disputant de præcepto divino et ecclesiastico confessionis sacramentalis, sive in articulo mortis, sive pluries in vita.

Illis ergo relinquitur hæc quæstio, in qua agitur præcipue de jure divino. Tamen nonnulla sunt notanda circa præceptum ecclesiasticum, quod definit tempus quo urget præceptum divinum confessionis extra mortis articulum.

1° Canon *Omnis utriusque sexus* concilii Later. obligat omnes fideles, postquam ad annos discretionis pervenerunt, seu sunt capaces peccati mortalis. Disputant TT., an obliget illos tantum qui gravantur mortalibus, vel etiam attingat illos qui non habent nisi venialia (Vide S. Lig., VI, 667 seqq.).

2° Hoc præceptum, ad discrimen obligationis sumendæ Eucharistiæ in Paschate, non obligat nisi semel in anno, nam concilium Later. nullum tempus determinat. Sed a quo tempore computandum sit anni initium? Non conveniunt TT., quorum alii a tempore paschali, alii a prima die januarii, alii denique ab ultima confessione initium anni sumunt.

3° Celebris est quæstio, an qui toto anno confessionem omisit, teneatur adhuc præcepto ecclesiastico satisfacere? Juxta rigidiores, ille teneretur quamprimum potest, anno sequenti; juxta mitiores, qui semel omisit, non amplius tenetur, quia præceptum apposuit terminum ad finiendam obligationem.

4° Confessio illa fieri potest cuilibet sacerdoti approbato, quidquid sit de antiqua disputatione DD. circa mentem concilii Lateranensis, statuentis confessionem illam « proprio sacerdoti » faciendam esse.

III. De approbatione requisita ad excipiendas confessiones fidelium.

a) Quid est approbatio? Approbatio est judicium seu testimonium authenticum de habilitate seu idoneitate sacerdotis ad audiendas confessiones fidelium pœnitentium. 1° Hæc approbatio est necessaria ad sacramenti pœnitentiæ administrationem, ita ut absolutio, extra mortis articulum, a sacerdote non approbato attentata, valore careat : colligitur ex concilio Trident., sess. 13, c. 15, *de Reform.*, ubi decernitur nullum posse audire confessionem sæcularium, etiam sacerdotem, nisi aut beneficium parochiale habeat aut approbationem obtineat. 2° Approbatio differt a jurisdictione ad quam recipiendam prærequiritur; nam jurisdictio generatim est facultas regendi subditos; in hac materia, est potestas ligandi vel absolvendi in foro

pœnitentiæ, et hæc potestas præsupponit in suo subjecto idoneitatem. 3° Hæc approbatio est etiam necessaria sacerdotibus qui gradu doctoratus vel licentiæ in sacra theologia, vel jure canonico insigniti sunt, ut docet communior et hodie certa sententia contra quosdam; nam lex est omnino generalis, et ideo omnem exceptionem excludit : constat ex declaratione Pii V. Decet tamen, quando de eorum doctrina palam constat, ut approbentur sine scientiæ examine, quia jam habent testimonium publicum idoneitatis et scientiæ. 4° Tandem est necessaria, etiam ad auditionem venialium. Olim disputabant DD., an sacerdos ex sua ordinatione habeat facultatem absolvendi venialia. Sed post decretum Inn. XI, certum est illicite agere sacerdotes qui sine approbatione audirent confessionem venialium. Deinde non minus indubium est absolutionem ab eis attentatam esse omnino invalidam, quia certum est ex eodem decreto quod Ecclesia nullam eis confert jurisdictionem, et ex altera parte nullo argumento probabili ostendi potest quod habeant jurisdictionem a Christo.

b) *Potestas approbandi.* 1° Ad confessiones sæcularium audiendas, approbandi potestas de jure competit episcopo aliisque prælatis in certo territorio exercentibus jurisdictionem quasi episcopalem; item capitulo, sede vacante, et utriusque vicario generali ; quia non est actus ordinis, sed jurisdictionis episcopalis ordinariæ, et ideo communicari potest. Et hoc verum est etiam quoad regulares exemptos, ex bulla *Apostolici muneris* Inn. XIII, etc.

2° Ad confessionem *regularium* excipiendas, sacerdoti regulari vel etiam sæculari sufficit approbatio et licentia superioris regularis confitentium : constat ex citato c. 15 conc. Trid., et ex decreto Clem. VIII. Ratio est, quia decet ut regulares confessarium accipiant a regularibus, ob perfectiorem modum vivendi quem tenent.

3° Tamen quoad moniales, ex bulla *Inscrutabili* Greg. XV et *Pastoralis* Bened. XIII, requiritur specialis approbatio ordinarii, sive agatur de confessario sæculari sive de regulari. Imo ex pluribus decretis SS. Congr., regulares prohibentur eligi in confessores monialium.

c) *A quonam episcopo danda sit approbatio?* 1° Sunt vel sal-

tem erant olim tres sententiæ : prima docet approbationem dandam esse ab episcopo pœnitentis, quia episcopus, illi cui vult oves suas committit. Secunda docet requiri ab ordinario sacerdotis, quia actus jurisdictionis qui approbatione innititur, non exercetur, nisi ab illo qui potestatem habet in subditos. Tertia vult approbationem dandam esse ab ordinario loci ubi confessiones excipiuntur : et hoc videtur fundatum in declaratione Inn. XII, quam renovat Bened. XIV in sua constitutione *Apostolica indulta*. At istæ sententiæ non sunt omnino inter se oppositæ, et tertia, dummodo rite intelligatur, censetur rectior. Unde possumus dicere quod approbatio danda est ab episcopo loci in quo excipiuntur confessiones, cum alias illi episcopo subsit ipse confessarius, saltem in hoc actu audiendi confessiones.

Sed altera et connexa moveri posset quæstio : An idem dicendum de origine jurisdictionis ac de fonte approbationis? Hodie, cum uno eodem actu dari soleat approbatio et jurisdictio, vix remanet difficultas; sed generatim jurisdictio confertur per actum voluntatis qui respondet actui voluntatis quo datur approbatio : unde idem videtur fons jurisdictionis et approbationis, etsi jurisdictio magis directe respiciat subditos assignatos, seu sit assignatio subditorum.

Sed notandum est quod per episcopum confessarii approbationem exposcentis, intelligitur non solum ille qui absolute et simpliciter est ordinarius ratione domicilii, sed etiam ille qui est respective talis et per accidens, nempe in ordine ad functionis in sua diœcesi obeundas. Et in hoc sensu, sententia secunda vix differt a tertia, quæ facultatem approbandi non tribuit nisi ordinario loci.

d) *Modus* quo concedi solet approbatio est triplex. Primus consistit in actuali collatione beneficii parochialis; quo casu curatus non est approbatus, nisi pro loco beneficii, ex declaratione S. Congr. Conc. (apud Barbosam, in *Ind.*, s. XXV, c. XV). Tamen si ex consuetudine vel expressa voluntate episcopi, constaret beneficiatum curatum esse approbatum pro tota diœcesi, approbatio esset universalis. Alter modus est authentica declaratio idoneitatis post prævium examen. Tandem ultimus modus est deputatio sacerdotis ad administranda sacramenta,

vel in genere, vel in specie sacramentum pœnitentiæ, sine prævio examine. Quocumque modo fiat, debet concedi gratis, alias simoniaca foret.

At nunquam sufficit approbatio petita, etiamsi per manifestam injustitiam ab episcopo denegetur, quia conc. Trid. (s. 14, c. 15, *de Ref.*) exigit absolute et diserte approbationem, tanquam conditionem ut quis audire possit confessiones, et nullam facit distinctionem inter sæculares et regulares.

e) *Limitatio* approbationis fieri potest ab episcopo concedente, et quidem 1° ratione subditorum : nam aliquis potest esse idoneus respectu rudium, qui non est respectu civitatensium ; item respectu virorum, qui non est respectu feminarum. 2° Restrictio hæc potest etiam respicere tempus : v. g. si quis approbaretur pro tali hebdomadâ, ob concursum pœnitentium, vel ad annum, eo fine ut perspiciatur ejus probitas, discretio, doctrina, etc. Aliqui negarunt talem fieri posse restrictionem quoad tempus, quia qui semel fuit idoneus, supponitur semper idoneus, et approbatio de se tam respicit futurum quam præsens ; sed dari possunt justæ causæ illius restrictionis, ut jam constat ex enumeratis.

f) *Revocabilis* est approbatio data, ut docet communior sententia contra plures. Tamen opus est distinctione : si approbatio concessa fuit cum beneficio parochiali vel curato, revocari nequit, nisi sacerdos tale beneficium obtinens, ex justa causa hoc beneficio privetur, vel ab officio ex simili causa removeatur aut suspendatur ; ratio est, quia jurisdictio venit ex jure, et alligatur officio. Si autem approbatio data sit solitarie, potest revocari, interveniente legitima causa, v. g. propter mutatos mores, oblivionem scientiæ moralis. Sine causa non potest evocari, si data fuit absolute et sine limitatione, quia est jus approbato quæsitum.

IV. De jurisdictione confessarii.

a) De jurisdictione in genere egimus in tit. XXXI lib. I, sect. 1ª ; hic nonnulla tantum sunt expendenda circa jurisdictionem in foro interno seu sacramentali. Jurisdictio illa est potestas qua sacerdos, tanquam judex, potest in actu secundo ferre sententiam absolutionis sacramentalis in subditum. Dicitur « in actu

secundo », quia sacerdos in sua ordinatione recipit quidem potestatem remittendi peccata; sed illa potestas *ordinis* non potest transire in actum, nisi compleatur per potestatem jurisdictionis ab Ecclesia collatam (conc. Trident., sess. 14, cap. 7, et sess. 23, cap. 15). Hæc jurisdictio fori conscientiæ dividitur in *ordinariam* et *delegatam,* prout alicui competit ratione officii, vel ex commissione alterius, cujus vice fungitur delegatus. Itaque,

b) *Modi quibus acquiritur jurisdictio varii esse possunt.* Generaliter loquendo, jurisdictio acquiritur vel ex privilegio supremi principis, vel a lege seu canone, vel ex consuetudine legitime præscripta. Itaque, in præsenti materia, 1° jurisdictio acquiritur privilegio apostolico, vi cujus religiosis, præsertim mendicantibus, concessum est, ut confessiones quorumcumque fidelium ad eos accedentium audire, eosque absolvere possint. 2° Potestas absolvendi acquiritur jure communi, tum collatione beneficii curati, tum concessione generali facta omnibus sacerdotibus quoad constitutos in articulo vel periculo mortis (conc. Trident., sess. 23, cap. 15, *de Reform.;* et sess. 15, cap. 7). 3° Acquiritur consuetudine, quæ vim legis habet (Vide Schmalzgrueber, h. t., n. 40). 4° Præter hunc duplicem modum quo acquiritur jurisdictio, præsertim ordinaria, obtinetur etiam commissione hominis. Porro delegare possunt ad audiendas confessiones ii soli qui habent ordinariam jurisdictionem (cap. *de Off. jud. ordin.,* in 6°), quales sunt Summus Pontifex in universa Ecclesia, episcopus ac vicarius generalis in diœcesi, prælati regulares quoad proprios subditos, parochi omnes in sua parochia. Delegatus ad universitatem causarum, potest etiam delegare seu subdelegare, quia ejus jurisdictio est ad instar ordinariæ. Sed speciatim quæritur, *qualis* esse debeat jurisdictio delegata? Necesse est ut delegatio sit formalis et expressa, nec sufficit interpretativa aut præsumpta; tamen, ut monet S. Lig. (n. 569), potest etiam tacito consensu conferri jurisdictio delegata, si consensus ille sufficienter innotescat; nam consensus tacitus aliquando æquivalet formali et expresso.

c) *An aliquando jurisdictionis defectum suppleat Ecclesia?* Duo sunt casus in quibus Ecclesia sine dubio supplet jurisdictionem: 1° Quando confessarius habet titulum coloratum, seu speciem

veri habentem, id est, vere a superiore collatum, sed nullum a parte rei. Cum defectus, ut supponitur, remaneat occultus, fit ut habens talem titulum habeatur communiter ut verus confessarius; hinc semper titulus coloratus conjungitur cum errore communi. Quapropter si Ecclesia jurisdictionem non suppleret, animæ privarentur mediis ordinariis salutis, et absque ullo remedio deciperentur.

2° Quando adest error communis moraliter invincibilis, ita ut sacerdos communiter putetur habere jurisdictionem : ita communior sententia contra plures, qui simul requirunt titulum coloratum et errorem communem. Ratio est, quia error communis facit jus, seu assimilatur consuetudini, et non minus esset periculum in hoc casu, quam in superiori.

3° Disputant TT. an suppleat Ecclesia, quando quis absolvit cum jurisdictione probabili. Verior sententia docet Ecclesiam non supplere, nisi quando habetur gravis causa absolvendi, quia Ecclesia ageret seu interveniret sine ratione sufficienti. (Vide Baller., not. ad n. 549, et *Vindic. Alph.*, pag. 485 et seq., de hac re disputantes.) Si probabilitas sola suppeditaret motivum ex sese sufficiens, ut Ecclesia suppleat jurisdictionem, jam probabilitas ipsa universim in hac re tolleretur, seu in certitudinem absolutam converteretur.

V. De casibus reservatis.

a) *De natura reservationis.* Casuum reservatio est actus quo superior alicui inferiori vel non concedit jurisdictionem in aliqua peccata, vel jam antea concessam eidem iterum aufert. Constat ex natura jurisdictionis, quod hæc potest limitari, non secus ac approbatio; sequitur etiam, quod potestas reservandi competit omnibus et solis illis qui potestatem habent conferendi jurisdictionem ordinariam vel delegatam (Confer IV, *b*). Tamen consuetudo abrogavit in parochis potestatem reservandi casus, cum jurisdictio soleat dari ab ipsis episcopis, non autem a parochis, qui proinde nequeunt coarctare facultates datas ab episcopo. Casus ergo reservati sunt quædam graviora peccata a quibus inferior confessarius absolvere nequit, propter defectum jurisdictionis; quare pro absolutione istorum obtinenda recurrendum est ad superiorem, qui potestatem ab his absol-

vendi inferiori non concessam sibi vel aliis a se specialiter delegatis appropriavit. Ratio reservationis est duplex, ut innuit Trid., sess. 14, cap. 7, *de Reform.,* et can. 11, *de Sacr. pœnit. :* scilicet bonum Ecclesiæ et bonum animarum. Etenim bonum Ecclesiæ et bonum animarum exigit ut quædam peccata quæ exactius judicium requirunt et majorem peritiam in judice, nonnisi ab electis confessariis absolvantur; deinde speciatim quoad bonum animarum, expedit etiam ut fideles coerceantur in officio, et a gravium criminum perpetratione retrahantur, hac necessitate adeundi superiorem. Hinc reservatio nequit fieri sine justa causa. An illicita sit tantum talis reservatio facta sine causa, vel etiam invalida, disputant CC. Communis sententia docet talem reservationem esse graviter illicitam, sed validam (Vide S. Lig., l. VIII, n. 579).

b) *De objecto seu materia reservationis.* Sequitur ex data descriptione reservationis, quod non omnia peccata sint reservationi obnoxia. Ad hoc enim ut peccata sint rationabiliter reservata, requiritur: 1° ut sint *mortalia* in sua specie; venialia enim vel nequeunt, ut volunt aliqui, vel certo non solent reservari. Quum nemo teneatur illa confiteri, non videtur quo fine possint reservari. Tamen si per sacramentum pœnitentiæ remitterentur, hoc non posset fieri nisi ex vi jurisdictionis dependentis ab Ecclesia, quæ absolute loquendo potest semper illam limitare.

2° Requiritur ut sint *externa;* nam licet peccata interna reservari possint, de facto tamen non solent, nisi in aliquem actum externum prodeant. Ratio est, quia interna per se spectata non pertinent ad Ecclesiæ gubernationem, quæ tamen in casuum reservatione maxime spectatur. Imo non reservantur peccata, nisi sint mortalia quoad actum externum, seu quoad manifestationem externam in se et objective spectatam. Igitur etiamsi peccatum sit mortale ratione affectus interni a quo procedit, si materia externa non esset gravis, peccatum illud non esset reservatum. Aliqui tamen putant posse reservari illa peccata externe levia, sed interne mortalia; sed hæc sententia communiter rejicitur.

3° Requiritur ut peccatum reservatum sit *opere consummatum* (nisi aliud exprimatur) ac *perfectum,* quia reservatio, ut limitativa, est in sua specie stricte interpretanda.

4° Requiritur ut peccatum illud sit *certum*, tum quoad reservationem, tum quoad gravitatem; nam in dubio an sit mortale vel reservatum, non censetur reservatum, tum quia secus administratio sacramenti pœnitentiæ esset nimis onerosa, tam confessariis quam pœnitentibus, tum quia reservatio est odiosa, ac proinde restringenda potius quam amplianda. Aliqui addunt alteram conditionem ex parte subjecti, nempe ut sit *a pubere commissum*, quia non solent reservari peccata impuberum, ob imbecillitatem status. Unde impuberes non censentur comprehensi in decreto reservationis, nisi de ipsis fiat expressa mentio.

c) *De casibus in specie reservatis.* 1° Peccatis Summo Pontifici reservatis generatim annexa est censura, et illa ob censuram sunt reservata : unde si propter ignorantiam censura non incurratur, cessat reservatio. Igitur de casibus Romano Pontifici reservatis agitur in titulo sequenti *de Sententia excommunicationis*. Sunt tamen duo casus in se reservati Summo Pontifici. Primus est peccatum illorum qui per seipsos vel per alios calumniantur de sollicitatione confessarios (ex const. *Sacramentum pœnitentiæ* Bened. XIV). Alter casus ratione sui reservatus Summo Pontifici est acceptatio doni non remuneratorii a regularibus utriusque sexus, quando donum illud pertingit ad materiam gravem, ideoque ad peccatum mortale. Si donum valeat pluris decem scutorum Romanorum, recipiens non posset absolvi a majori pœnitentiario, nisi prius totum restituat, saltem si restituere posset. Si vero valeat minoris, major pœnitentiarius dare posset facultatem absolvendi, saltem postquam pars ab eodem pœnitentiario determinata restitueretur. At post factam integram restitutionem, vel quando delinquens nullo modo valet restituere, quilibet confessarius potest absolvere. Ita bulla *Religiosæ* Clementis VIII, *Nuper* Urbani VIII, *Pastor bonus* Benedicti XIV. Notandum est etiam quod absolventes suum complicem in peccato turpi strictius vinciuntur lege reservationis; nam illud nefandum crimen quo quis attentat absolvere suum complicem, est specialissimo modo reservatum, ita ut illud non comprehendatur in facultatibus generalibus vel specialibus absolvendi a reservatis Summo Pontifici; necesse est ut de illo specialis fiat mentio.

2° Casus episcopo reservati ex ipso jure communi recensentur in const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX. Circa illos qui ex jure diœcesano reservantur, cujusque diœcesis statuta et consuetudines spectanda sunt.

Episcopos sapienter monet Bened. XIV, post Congr. Episc. et Reg., «ut minime faciles sint ad reservationes multiplicandas, sed ut paucas easque tantum quas ad christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem, pro cujusvis diœcesis statu et qualitate necessario reservandas esse judicaverint, reservent.»

At illud præ cæteris cavere debet episcopus, ne peccata, quantumvis gravia, sed mere interna, sibi reservet; licet enim hæc reservari etiam queant, non est tamen in praxi receptum ut unquam reserventur (*De Syn.,* l. V, c. v, n. 45).

3° Quoad casus præcipuos a prælatis regularibus reservandos, enumerantur in *motu proprio* Clem. VIII (Apud S. Lig., n. 583).

d) *An ignorantia excuset a reservatione?* Distinguendum est inter casus reservatos propter censuram et reservatos ratione sui. In primo casu, certum est ignorantiam reservationis excusare a reservatione, cum excuset ab ipsa censura, quæ est objectum aut unicum, aut saltem directum, reservationis. Sed in secundo casu, major est difficultas, et ideo variæ sunt sententiæ (Apud S. Lig., n. 581). *Prima sententia* universim affirmat ignorantes excusari ab incurrendis casibus reservatis, sive ratione sui, sive ratione censuræ, quia reservatio habet rationem pœnæ, a qua excusat ignorantia. *Secunda sententia* introducit distinctionem inter reservationem factam per præceptum particulare, vel per legem generalem; in ultima hypothesi ignorantia excusaret, quia reservatio habet rationem pœnæ et directe respicit pœnitentes; dum in prima habet rationem medicinæ, et directe restringit jurisdictionem confessarii. Sed hæc distinctio est parvi momenti. *Tertia sententia* negat posse absolvi ignorantes reservationem, quia reservatio nihil est aliud quam restrictio jurisdictionis (ut patet ex conc. Trid., sess. 14, c. 7) : porro sic limitatur jurisdictio, ut causæ graviores peritioribus confessariis seu judicibus ac medicis subjiciantur. (Circa illam quæstionem vide etiam P. Baller., not. ad n. 571, et *Vindic. Alphons.,* p. V, 912.)

Sed tertia retinenda est sententia, ut probabilior, quia reservatio quamdam producit incapacitatem ex parte confessarii, et non videtur præcise habere rationem pœnæ, sed potius respicit rectum exercitium jurisdictionis sacramentalis. — De potestate absolvendi a reservatis agemus in titulo sequenti.

VI. De sigillo sacramentali.

a) *Natura et origo sigilli.* Sigillum sacramentale est obligatio servandi sub secreto quæ in confessione sacramentali fuerunt accepta. Hæc obligatio triplici jure fuit inducta, scilicet 1° *jure naturali;* nam peccata in confessione declarantur sub tacito secreti pacto, quod confessarius spondet eo ipso quia audit confessionem. Porro jure naturali tenemur stare promissis; præterea revelatio infamaret pœnitentem, et eodem jure tenemur non infamare proximum. Sed hæc obligatio, etsi vera, non est sufficiens, quia confessarius in aliquibus casibus posset revelare, quod a nemine admittitur. Unde,

2° Tenemur etiam *jure divino positivo,* saltem implicito et de consequenti, nam eodem jure prohibetur revelatio confessionis, quo præcipitur ipsa confessio. Etenim enervaretur præceptum divinum de confessione facienda, si sacerdoti liceret peccata in confessione audita revelare. Diximus « saltem implicito et de consequenti »; nam non habetur præceptum positivum ipsi institutioni sacramenti superadditum; obligatio enim sigilli colligitur ex ipsa indole ipsius sacramenti, quod fuit institutum tanquam aliquod tribunal visibile Dei (Vide De Lugo, *de Pœnit.*, disp. 23).

3° Tandem *jus ecclesiasticum* imponit etiam hanc obligationem sigilli, ut constat ex canone *Omnis utriusque sexus*, et ex pœnis latis contra violantes sigillum.

4° Ex dictis sequitur obligationem sigilli esse indispensabilem, ita ut confessarius nunquam, ne quidem post mortem pœnitentis, nec ullo prorsus casu, ne quidem periculi propriæ vitæ vel gravissimi damni publici, possit directe vel indirecte revelare peccatum ex confessione cognitum. Ad quamcumque revelationem requireretur expressus pœnitentis consensus; sed, stante illo consensu, revelatio non esset illicita, quia lex sigilli introducta fuit in favorem pœnitentis: porro quisque potest cedere

jure suo, quando jus est ita proprium, ut cessio neminem lædat. Diximus « expressus consensus », quia nunquam supponi potest, nec ullis indiciis præjudicari, cum agatur de re absolute noxia pœnitenti.

5° Sequitur etiam, quod illa obligatio sigilli non oriatur nisi ex confessione sacramentali, seu ordinata ad absolutionem, etiamsi pœnitens remittatur non absolutus ob indispositionem vel aliam causam. Extra hanc confessionem dari posset obligatio secreti naturalis, non autem sigilli sacramentalis.

b) *De personis quas obligat hoc sigillum.* 1° De confessario ipso non est dubium, cum pro ipso præcipue latum sit præceptum sigilli. Tenetur etiam quoad ipsum pœnitentem, quocum loqui non potest extra confessionem de auditis in confessione. Requiritur consensus expressus et formalis ejusdem pœnitentis. Intra confessionem, posset, gravi causa postulante, loqui de peccatis antea confessis, seu generatim de materia sigilli. De pœnitente, etiam certum videtur eum non obligari sigillo, cum in ejus favorem impositum sit; tamen teneri potest ad secretum naturale circa ea quæ confessarius illi sub secreto dicit.

2° Circa alias personas, sequens dari potest regula. Tenentur omnes et singuli qui ex confessione sacramentali, immediate vel mediate, licite vel illicite, verbis aut signis, aliquam sigilli materiam noverunt. Hinc laicus qui se sacerdotem fingeret, interpres, superior a quo postulata est licentia absolvendi pro casu particulari, doctor qui de licentia pœnitentis fuit consultus a confessario, etc. Quoad illos et alios obligatos ad sigillum, vide S. Lig., n. 647-649, qui agit etiam de illo qui confessionali vicinus aliquid audivit aut conjecturavit, vel de illo qui confessionem scriptam legit. Vide etiam De Lugo, *l. c.*, s. 2, qui varias expendit sententias circa obligatos lege sigilli et præcipuos casus enumerat.

3° Notandum est quod sacerdos interrogatus a judice de auditis in confessione potest declarare, etiam sub juramento, se nescire pœnitentem tale crimen commisisse; nam, ut monet D. Thomas (in *Suppl.*, q. 11, a. 1) : « Confessarius non scit ut homo, sed ut Deus, » seu ut minister Dei.

c) *De materia sigilli.* 1° Certum est omnia peccata mortalia, imo et venialia, esse materiam sigilli, cum hoc tamen discri-

mine, quod mortalia non solum in specie, sed etiam in genere, venialia vero in specie, non in genere. Etenim eo ipso quod quis ad confessionem accessit, supponitur confessus venialia. Tamen animadvertunt doctores cavendum esse ne post duorum vel trium confessiones auditas, dicat confessarius de uno solo: Hic mihi sola venialia confessus est; nam hæc singularitas dat occasionem suspicandi alios confessos fuisse mortalia.

2° Certum est objecta et circumstantias peccatorum esse materiam sigilli: non minus retraheret a confessione horum revelatio, quam ipsorum peccatorum.

3° Defectus sive naturales sive morales pœnitentis, qui manifestantur occasione peccati, v. g. defectus natalium, ignorantia officiorum proprii status, etc., sunt etiam materia sigilli (Lugo, *l. c.,* s. 3, n. 54, 55). Hoc intelligi etiam debet de defectibus quos ex modo confitendi colligere potest confessarius, ut sunt scrupuli, hebetudo ingenii, etc. Ita aliqui contra plures (Lugo, *l. c.,* n. 60). Idem dicendum est de indispositione ad recipiendam absolutionem, de pœnitentia imposita, nisi sit valde levis (Cf. S. Lig., n. 604), de abusibus qui regnant in monasterio, parochia, etc.

4° Virtutes et revelationes non sunt per se materia sigilli; tamen indirecte cadere possunt sub sigillo, ut si dicerentur in confessione ad melius declarandum peccatum, v. g. ingratitudinis erga Deum, vel inconstantiæ in bono.

5° Sequitur quod in locis ubi viget consuetudo tradendi schedulam confessionis, confessarius non possit illam denegare petenti intra vel extra confessionem, dummodo facta sit vera confessio sacramentalis; denegatio est violatio sigilli (Gury, II, n. 661). Sequitur etiam quod confessarius nunquam possit, sine revelatione sigilli, denegare communionem pœnitenti quem antea non absolvit, sive is petat publice, sive privatim (S. Lig., n. 658), nec uti in gubernio externo, si sit superior, notitia per confessionem acquisita, ut constat tum ex decreto Clem. VIII, an. 1534, tum ex damnatione propositionis contrariæ per S. Congregationem Inq., an. 1682. Et ratio est evidens, cum ille usus cedat in gravamen pœnitentis. Ex dictis, facile solvi possunt alii casus violationis indirectæ, qui alias videri possunt apud moralistas (Gury, *l. c.,* n. 665, et alii). Tamen,

6° Quædam sunt referenda dubia circa materiam sigilli, quæ

expendere solent doctores. Illa respiciunt usum confessionis quem faceret confessarius ad propriam conservationem, v. g. dum recedit ab illo loco in quo per confessionem novit sibi insidias, necem, etc... parari, vel dum abstinet a celebratione missæ, cum novit per idem medium materiam sacrificii esse veneno infectam. Docent communiter confessarium posse periculum vitare per recessum aut abstinentiam, quia inde nulla sequitur indirecta peccatorum revelatio, cum semper possit dari motivum legitimum recessus, etc. (Vide Lugo, *l. c.*, s. 5, n. 110).

c) *Pœna infligenda sacerdoti violanti sigillum.* 1° Est depositio ab omni officio sacerdotali, et olim addebatur interdictum a patria et alia stabili mansione (can. 2, *de Pœnit.*, dist. 6). Sed, quia hæc vagandi necessitas videbatur cedere in opprobrium status ecclesiastici, cum tempore ei suffecta est perpetua pœnitentia in arcto monasterio peragenda (c. 12 h. t.). Sed hæc detrusio in monasterium etiam ab usu recessit. Itaque hodie pœna imponenda relinquitur arbitrio judicis.

2° Judex in causa fractionis sigilli est solus ordinarius, nisi revelatio sit qualificata, seu admixta sit præsumptioni hæresis: quo casu, inquisitores contra talem violatorem procedere debent. Hic notandum est quod, juxta multos, ordinarius adversus sacerdotem sigilli violatorem non posset procedere, nisi pœnitens cujus peccatum fuit proditum, licentiam det, quia secus nova ac manifestior revelatio peccati fieret. Plures tamen contrariam tenent sententiam, tum quia secus impune semper possent revelari peccata defunctorum; deinde hæc violatio est contra bonum publicum, cui cedit bonum privatum (Vide Schmalzg., n. 84, 85).

3° Ad probandum illud crimen admittuntur testes singulares, nempe quorum unus deponat hoc tempore vel loco peccatum aliquod a confessario revelatum fuisse, alius alio loco aut tempore, vel unus dicat ab ipso revelatum fuisse hoc peccatum, alius aliud (Schmalzg., n. 87, 90).

SECTIO II.

De remissionibus seu indulgentiis.

NOTA. Remissiones de quibus mentio fit in rubrica tituli, sunt indulgentiæ : etenim non agitur de remissione culpæ quæ ob-

tinetur per absolutionem sacramentalem, sed de remissione pœnæ extrasacramentali, nempe quæ fit per indulgentias. Indulgentiæ nomen, quod a verbo *indulgeo* derivatur, sumitur pro remissione, et ideo idem plane est indulgentia et remissio.

§ I. *De natura et varietate indulgentiarum.*

I. Quit sit indulgentia?

Indulgentia, ut hoc loco sumitur, definiri potest : « Relaxatio pœnæ temporalis pro peccatis actualibus quoad culpam remissis debitæ, per applicationem meritorum Christi et sanctorum, seu thesauri Ecclesiæ. »

Dicitur 1° *relaxatio pœnæ temporalis*, quia per indulgentias non remittitur culpa, sed pœna tantum temporalis restans in hac vita vel in purgatorio luenda. 2° *Pro peccatis actualibus remissis,* quia peccatum originale ejusque pœna remittitur per baptismum, et pœna culpæ non tollitur remanente ipsa culpa. 3° *Per applicationem thesauri Ecclesiæ;* exstat enim in Ecclesia thesaurus constans præcipue et primario ex meritis et satisfactionibus Christi infinitis, et secundario ex satisfactionibus beatæ Virginis et sanctorum. Hanc veritatem seu existentiam illius thesauri probant theologi contra Lutherum et alios; ostendunt etiam indulgentiarum usum non esse noviter ab Ecclesia inductum, sed antiquissimum, ut declarat concilium Trident., sess. 25, in decreto de indulgentiis.

II. Quotuplex sit?

Indulgentia dividitur 1° *ratione effectus,* in *plenariam* et *non plenariam,* seu *partialem. Plenaria* est illa quæ remittit totam pœnam temporalem ex peccatis omnibus quoad culpam jam remissis restantem et debitam. Aliqui hanc subdividunt in *plenam, pleniorem* et *plenissimam,* ex extravag. *Antiquorum,* h. t.; at quoad effectum, nullum inter illas datur discrimen, ut constat ex stylo hodierno Curiæ Romanæ, quæ per pleniorem intelligit plenissimam remissionem pœnarum. *Partialis* est illa quæ remittit solum partem pœnæ temporalis debitæ. Partialis alia est *indeterminata* alia *determinata :* indeterminata est, quando conceditur remissio tertiæ vel quartæ

partis pœnarum debitarum ; determinata vero, quando conceditur remissio pœnæ in determinata quantitate, v. g. 10 aut 100 annorum unius aut plurium carenarum, quadragenarum, (quæ erant pœnitentiæ sustinendæ per jejunium ex pane et aqua per 40 dies aut quadragesimam).

2° *Ratione subjecti*, aliæ sunt *pro vivis* et per modum absolutionis, aliæ *pro defunctis* et per modum suffragii seu solutionis. Summus Pontifex non habet jurisdictionem in animas defunctorum, et ideo nequit eas absolvere a pœnis ; qua de causa, indulgentiæ applicantur per *modum suffragii*, seu Deo offeruntur opera alicujus fidelis viventis ut illa misericorditer acceptet in remissionem pœnæ ab animabus in purgatorio detentis luendæ : sic vivus suffragatur seu opitulatur defuncto. Juxta communiorem sententiam, indulgentiæ pro defunctis concessæ habent effectum certum ac infallibilem, cum Ecclesia æqualiter et absolute tum vivis tum defunctis promittat liberationem a pœnis, ut jam patet ex bulla *Surge Domine* Leonis X.

3° Dividitur in *personalem*, *localem* et *realem*. Personalis est, quæ conceditur directe et immediate alicui personæ, aut individuæ seu physicæ, aut morali seu communitati, sine determinatione ad certum locum vel rem materialem. Localis dicitur, illa indulgentia quæ conceditur alicui loco pio, id est, fidelibus aliquam determinatam ecclesiam seu capellam visitantibus. Realis est, quæ rei certæ, ut rosario, cruci, numismati, etc... affixa est, scilicet fidelibus tales res penes se devote habentibus et opera præscripta peragentibus conceditur. Indulgentiæ reales non possunt applicari nisi rebus solidis, ne ferro quidem et ligno exceptis (S. Congr. Indulg. 29 febr. 1820 et 14 maii 1853). Vitrum solidum et compactum materia solida reputatur quoad coronas et rosaria (Ead. Congr. 29 febr. 1820).

Notandum est quod indulgentia localis non perit etiamsi ecclesia totaliter destruatur, si destructio illa fiat in ordine ad reædificationem.

4° Dividitur etiam in *perpetuam* et *temporalem*, prout conceditur in perpetuum, vel ad certum tempus.

§ II. *De potestate et causa conferendi indulgentias.*

I. Potestas conferendi indulgentias.

a) Theologi contra Valdenses, Wicleflitas ac protestantes, probant Ecclesiam habere potestatem conferendi indulgentias (Conc. Trident., sess. 25, *de Indulg.*). Ratio ipsa ostendit illam facultatem requiri in omni societate perfecta quæ potest infligere pœnas, cum potestas relaxandi pœnas consocietur facultati easdem infligendi. Unde generatim illi concedere possunt indulgentias qui habent potestatem in societatem christianam, seu quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei. Sed,

b) *A quibus in specie dari possint indulgentiæ?* 1° Ex plenitudine potestatis, Summus Pontifex potest concedere indulgentias cujuscumque generis, quia a Christo accepit generalem potestatem gubernandi Ecclesiam, ac proinde dispensandi thesaurum Ecclesiæ. Quapropter illa potestas divinitus collata est illimitata, et valent omnes indulgentiæ a Papa quibuscumque fidelibus concessæ, modo ex justa et rationabili causa fuerint datæ. Disputant TT. an concilium generale, Sede vacante, jure divino indulgentias concedere possit. Communior sententia negat (Suar., disp. 55, s. 1, n. 7; Bellarm., l. I, c. XI, etc.). Hodie in speciali dispositione, requiritur ut omnes concessiones pontificiæ recognoscantur a S. Congr. Indulg., seu ut exemplar concessionum transmittatur ad laudatam Congregationem (S. Congr. Indulg. 27 jan. 1756).

2° Inferiores Papa, ut cardinales, legati, patriarchæ, primates, archiepiscopi, episcopi, non habent potestatem concedendi indulgentias jure divino, sed solum jure ecclesiastico, scilicet ex concessione Summi Pontificis : ita communiter theologi (Apud Ferr., *de Indulg.*, a. 1, n. 3). Imo potestas illis collata est limitata : episcopi possunt solum concedere indulgentiam unius anni in dedicatione ecclesiæ, sive ab uno solo episcopo sive a pluribus dedicetur; in aliis autem casibus, ex rationabili causa concedere valent suis subditis indulgentiam 40 dierum (c. 14 h. t.). Archiepiscopi possunt easdem indulgentias 40 dierum concedere in tota sua provincia, etiam extra tempus visi-

tationis, licet non habeant jurisdictionem contentiosam in subditos suorum suffraganeorum.

Cardinales possunt concedere in ecclesiis suorum titulorum indulgentiam 100 dierum, etiamsi non sint episcopi nec sacerdotes (Vide Ferr., *l. c.*, n. 23). Istæ indulgentiæ non sunt applicabiles defunctis ; nam solus Papa habet claves thesauri Ecclesiæ et potest pretium offerre per modum suffragii (comm. sent. ap. Ferr., *l. c.*, n. 31).

3° Prælati episcopo inferiores, quamvis in nonnullis habeant potestatem quasi episcopalem, non possunt jure ordinario et proprio concedere indulgentias, cum id nullibi reperiatur eis concessum. Item prælati regulares indulgentias concedere nequeunt; nec vicarius generalis sine speciali commissione; multo minus capitulum vel vicarius capitularis, sede vacante, cum potestas concedendi indulgentias sit reservata dignitati episcopali (S. Congr. Conc. 13 nov. 1688).

c) *An facultas conferendi indulgentias possit obtineri consuetudine?* Disputant theologi : juxta multos non posset sic obtineri, nisi accedat consensus tacitus Summi Pontificis, quia tolli debent pœnæ Deo debitæ, quod fieri nequit sine voluntate Dei aut supremi ejusdem in terris vicarii.

II. Causa conferendi indulgentias.

a) Causa justa et rationabilis requiritur ut valide conferantur indulgentiæ, etiam a Summo Pontifice. Ratio est, quia Summus Pontifex non est dominus thesauri Ecclesiæ, sed solum dispensator. Imo causa concedendi non solum debet esse justa et rationabilis, sed etiam proportionata ipsi indulgentiæ, ita ut major causa requiratur, quando major est indulgentia (Lugo, disp. 27, s. 8, n. 141; Ferrar., *l. c.*, 34, 35).

b) Sed plura sunt speciatim notanda circa illam justam et proportionatam causam. 1° Ad justam concedendæ indulgentiæ causam requiritur in primis aliquis finis pius et Deo gratus, cujus assecutio magis Deo placeat, quam pœnitentialis satisfactio quæ per indulgentiam relaxatur. 2° Necesse est ut opus bonum præscribatur, per quod finis ille probabiliter obtineri possit. Tamen non requiritur ut illud opus sit tam satisfactorium, ut capax sit compensare per se pœnam debitam ; alias

nulla fieret remissio per indulgentias, sed mera commutatio : indulgentia opponitur rigorosæ punitioni peccatorum. 3° Si causa reipsa non esset proportionata et sufficiens, sed ut talis prudenter æstimaretur a concedente indulgentiam, concessio esset valida, quia concedens ageret juxta leges prudentiæ, ac proinde fideliter dispensaret thesaurum Christi (Lugo, *l. c.*, n. 145, post Suarez). 4° Ad indulgentiam generalem requiritur causa publica seu generalis, nisi forte bonum aliquod privatum esset adeo magni momenti, ut recte censeatur æquivalere bono publico; causa enim est sufficiens ut fiat generalis communicatio thesauri Ecclesiæ. Ad indulgentiam particularem, sufficit causa particularis.

§ III. *De subjecto indulgentiarum.*

Ut jam constat ex supra dictis, indulgentiæ concedi possunt tam vivis quam defunctis; itaque de utroque subjecto per ordinem agendum est.

I. De indulgentiis pro vivis.

a) *Requisita ex parte subjecti indulgentiam lucrantis.* 1° Requiritur character baptismalis, quia Summus Pontifex non potest dispensare thesaurum Ecclesiæ, nisi membris istius societatis; etenim ovile cujus Pontifex est pastor, constat solis fidelibus. Hic non agitur de communicatione per modum suffragii, sed de indulgentiis quæ conceduntur per modum absolutionis. 2° Necesse est ut ille fidelis non sit excommunicatus, quia excommunicatio, ut diximus, privat bonis communibus Ecclesiæ. 3° Dubitari potest, an requiratur notitia indulgentiæ. Aliqui affirmant (apud Lugo, *l. c.*, s. 6, n. 80), quia indulgentia est aliquod privilegium; porro privilegia ignorantibus non acquiruntur. « Fateor tamen, ait Lugo, me non invenire rationem convincentem ad id negandum et ad dicendum quod necesse sit scire vel intendere lucrari indulgentiam, » et confirmat inter alias rationes ex fructu suffragii qui obvenit ignoranti. Tamen communius admittitur requiri aliquam, saltem generalem, notitiam indulgentiæ, cum exigatur aliqua intentio, saltem habitualis, indulgentiæ consequendæ. Diximus « habitualis »,

nam in nullo casu requiritur expressa, etiam quando agitur de oratione præscripta pro fine particulari (S. Congr. Indulg. 22 febr. 1847). 4° Requiritur status gratiæ, quia remitti non potest pœna temporalis, nisi prius remittatur culpa, ac proinde obligatio ad pœnam æternam. Tamen non necesse est ut indulgentiam lucraturus sit in statu gratiæ toto tempore quo omnia injuncta opera adimplentur. Sufficit ille status, quando ultimum opus injunctum adimpletur, seu in fine, quando effectus indulgentiæ applicandus est : constat ex bulla *Convocatis* Bened. XIV et ex praxi Ecclesiæ confessionem et contritionem injungentis inter opera ad indulgentiam lucrandam requisita.

b) *Requisita ex parte operis.* 1° Generatim requiritur ut qui lucraturus est indulgentiam, præstet complete ea quæ præscripta sunt a superiore indulgentiam concedente. Ratio est, quia superior concedit indulgentiam sub conditione ut præstentur talia opera; igitur, non posita conditione, ipsa concessio non subsistit. Sequitur, quod si pars notabilis omitteretur, etiam inculpabiliter seu ex ignorantia, oblivione vel justo impedimento, minime consequeretur indulgentia; secus si pars minima omitteretur, nam talis omissio non impedit quominus opus censeatur moraliter integrum, juxta effatum: «Parum pro nihilo reputatur.» Monet Lugo, «Qui exhibet dimidiam operis partem, non lucratur dimidium indulgentiæ, quia indulgentia non conceditur divisibiliter» (*l. cit.*, n. 89). Verumtamen, quando Ecclesia plenariam concedit indulgentiam, non sequitur omnes qui sufficienter implent conditiones, illam lucrari totam seu plenarie; nam accipitur proportione servata uniuscujusque dispositionis, quæ raro tam perfecta est ut omnis pœna tollatur.

2° Speciatim de confessione et communione quæ conjunguntur, nonnulla sunt notanda. *Confessio* non præscribitur præcise ut medium recuperandi gratiam, sed ut opus injunctum, sine quo non lucraretur indulgentia : hoc delaravit S. Congr. Ind. 15 maii 1759. At confessio quæ fieri soleret semel in hebdomada, generatim esset sufficiens ad consequendas omnes indulgentias (S. Congr. Indulg. 15 nov. 1841). Diximus « quæ soleret »; quia requiritur consuetudo (S. Congr. Ind. 12 maii 1855). Excipitur tamen indulgentia jubilæi, quæ exigit specialem con-

fessionem, juxta declarationem ejusdem S. Congr., 12 jan. 1822, et S. Pœnit., 1879, 1881. Pro illis qui non habent consuetudinem confitendi semel in hebdomada, requiritur confessio in ipso die vel saltem in vigilia festivitatis cui annexa est indulgentia, ut declaravit S. Congreg. Indulg. 19 maii 1759. Si tamen ob inopiam confessariorum aliqui non possent confiteri die festi, sufficeret confessio facta intra octo dies qui præcedunt festivitatem, juxta decretum Pii VII 12 jan. 1822. Verum non requiritur ut illi qui sunt in statu gratiæ recipiant absolutionem; nam, ut supra diximus, confessio est opus injunctum (S. Congr. Indulg., 15 dec. 1841).

Quoad communionem notandum est imprimis illam quæ fit ad implendum præceptum paschale valere etiam ad lucrandam indulgentiam, excepta tamen indulgentia jubilæi, quæ specialem exigit communionem, juxta decretum 18 mart. 1844, etc. Imo per eamdem Eucharistiæ perceptionem, lucrari possent eodem die plures indulgentiæ plenariæ quæ communionem requirunt.

3° Commutationes operum fieri possunt ab illis qui facultatem habent; perinde est, sive fiant in ipsa confessione vel extra confessionem. Verumtamen, aliquando in ipsis facultatibus declaratur commutationes fieri non posse nisi in confessione, ut declaravit Benedictus XIV in constit. *Inter præteritos,* pro jubilæo anni 1750 : porro huic conditioni standum est sub pœna nullitatis omnium commutationum.

c) *Ex parte rerum quibus applicantur indulgentiæ requisitæ.* Res, quales sunt cruces, coronæ, numismata, etc., ditari possunt indulgentiis : porro ad hoc requiritur ut materia non fragili constent, cum indulgentia sit quid pretiosum, ac proinde diligenter servandum. Plures ergo quæstiones exortæ sunt circa illam materiam, speciatim quoad rosaria et coronas. A benedictione applicativa indulgentiarum non rejiciuntur coronæ seu rosaria quæ ex ferro, stanno, plumbo vel ex vitro solido atque compacto (Cf. supra § I, II, 2). Indulgentiæ possunt etiam applicari coronis precatoriis chalybe polito (*acier poli*) confectis, ex decr. Congr. 22 mart. 1839.

II. De Indulgentiis pro defunctis.

Diximus antea, et constat ex bulla *Exsurge Domine* Leonis X,

indulgentiam pro defunctis concedi per modum suffragii, non autem per modum absolutionis juridicæ, licet ista indulgentia defunctis certo et infallibiliter prosit. Quodnam sit discrimen inter indulgentias per modum suffragii defunctis applicatas, et orationes fidelium pro defunctis, expendunt theologi (Vide Lugo *l. cit.*, disp. 27, s. 5, n. 59 et seq.). Superest ergo, ut breviter enumerentur conditiones requisitæ ut valeant indulgentiæ pro defunctis. Istæ conditiones sunt sequentes :

1° *Ex parte conferentis*, requiritur auctoritas et causa legitima; hæc autem auctoritas residet in solo Summo Pontifice ; nam restricta est ad solos viventes potestas episcoporum (cap. *Quod autem, de Pœnit. et remiss.*). Idem plane dicendum est ac de indulgentiis pro vivis.

2° *Ex parte suscipientis* indulgentias pro defunctis, requiritur : 1° exsecutio operum præ scriptorum ; 2° ut opus fiat ex intentione indulgentiæ defunctis applicandæ ; sicut enim requiritur intentio determinata ad applicandum proprium suffragium defuncto, sic requiritur ad applicandam ei indulgentiam, quæ solum potest ei advenire per modum suffragii. 3° Requiritur, juxta communiorem sententiam, status gratiæ, saltem in fine ultimi operis injuncti; quia vivens applicat defuncto indulgentiam quam consecutus est ; atqui, ex dictis supra, non potest consequi indulgentiam, nisi sit in statu gratiæ, saltem in fine ultimi operis injuncti; ergo (Vide Lugo, *l. c.*, n. 75, 76). Quærit etiam Lugo, an requiratur acceptatio animæ cui applicatur indulgentia? Respondet negative, quia applicatio fit per modum suffragii, non secus ac missæ sacrificium.

§ IV. *De effectu indulgentiarum.*

a) Effectus indulgentiæ non est remittere peccatum, neque mortale, neque veniale, et est communis omnium sententia. Unde quando in forma seu concessione indulgentiæ dicitur per illam concedi remissionem « peccatorum », accipitur peccatum pro pœna peccati ; et quando vocatur indulgentia a pœna et culpa, intelligitur quod per talem indulgentiam conceditur facultas absolvendi a culpa, *etiam reservata*. Itaque effectus indulgentiæ est remissio pœnæ temporalis ex peccatis quoad cul-

pam dimissis residuæ. Sequitur quod illa reintegratio innocentiæ baptismalis, quæ exhibetur ut effectus indulgentiæ tertiariis et chordigeris franciscanis, etc. concessæ, nihil est aliud quam indulgentia plenaria, quæ omnem pœnam temporalem remittit, jam deletis per pœnitentiam omnibus peccatis. Quare hæc verba obscura de reintegratione innocentiæ baptismalis fuerunt deleta in nova formula, jussu Pontificis Leonis XIII, recenter (1882) edita.

b) Indulgentiæ plenariæ effectus est remittere omnem pœnam debitam in foro Dei, seu omnem pœnam relictam ex peccatis dimissis, ad quam persolvendam in hoc mundo vel in purgatorio homo est obligatus a justitia Dei : communis et certa sententia (Vide Ferr., *loc. cit.*, a. 9, q. 10). Tamen, ut supra dictum est, indulgentia plenaria non semper, imo rarissime, plenario modo acquiritur.

c) Effectus indulgentiæ potest sæpius obtineri, si sæpius opus injunctum peragatur. Tamen in hoc nulla dari potest regula generalis, et illæ regulæ quas tradunt antiquiores DD. non semper concordant cum declarationibus S. Congr. Indulg.; unde standum est specialibus illis declarationibus. Notandum est etiam quod uno eodemque opere nequeunt plures et divisæ indulgentiæ obtineri, nisi forsan illæ essent per modum unius (Vide Ferr., *l. c.*, n. 28).

d) Quoad interpretationem rescriptorum quibus conceduntur indulgentiæ, videri possunt regulæ antea traditæ quoad rescripta et indulta.

§ V. *De jubilæo.*

I. De Jubilæi natura et de conditionibus ad illud lucrandum requisitis.

a) Jubilæum, sic dictum a quadam voce hebraica, est indulgentia plenaria solemniori modo promulgata, cum privilegiis annexis, seu cum facultatibus circa absolutionem a peccatis et censuris reservatis, ac circa commutationem votorum. Hæc privilegia enumerantur in bulla indictionis. Solus Pontifex Romanus potest concedere jubilæum, ut constat ex supra dictis de facultate elargiendi indulgentias.

Jubilæum dividitur in *majus* seu *ordinarium*, quod occurrit omni anno vigesimo quinto, et *minus* seu *extraordinarium*,

quod indici solet a Summis Pontificibus extra annum sanctum ob causam aliquam gravem, præsertim in exaltatione cujusque Pontificis Romani.

b) Durante anno jubilæi, ordinarie suspenduntur per totum orbem indulgentiæ plenariæ pro vivis a Summo Pontifice concessæ. Finis illius suspensionis exprimitur in extrav. *Quemadmodum,* h. t., scilicet ne usu indulgentiarum impediatur accessus ad Urbem. Sed plura sunt notanda circa illam suspensionem : 1° Non suspenduntur nisi indulgentiæ plenariæ; ideoque remanent omnes quæ non sunt plenariæ, quales sunt indulgentiæ pro oratione *Angelus*, pro visitatione SS. Sacramenti expositi, etc. (Bened. XIV, const. *Cum nos nuper*).

2° Non suspenduntur indulgentiæ concessæ pro defunctis, nec pro constitutis in articulo mortis, nec altaria privilegiata (Ead. constit.). Imo indulgentiæ pro vivis concessæ obtineri possunt pro defunctis, juxta eamdem constitutionem. Quoad indulgentiam Lauretanam, Compostellanam, Portiunculæ Assisii, etc., non consentiunt doctores (1).

3° Remanent etiam indulgentiæ ab aliis concessæ quam a Summo Pontifice, seu a legatis, episcopis, etc. (Constit. *Cum nos nuper*).

c) Conditiones requisitæ ad lucrandam indulgentiam jubilæi sunt *jejunium* trium dierum, nempe feria quarta, sexta et sabbato ejusdem hebdomadæ; *eleemosyna* aliqua specialis; *visitatio* alicujus ecclesiæ multiplex, vel unica ecclesiarum diversarum ab ordinario designatarum, juxta præscriptiones bullæ indictionis; *confessio* et *communio*. Sed plura sunt notanda circa ista opera præscripta pro lucrando jubilæo.

1° Hæc quinque opera sunt conditiones proprie dictæ, quæ proinde præstari debent in reipsa vel in æquivalenti, stante legitima commutatione. Hinc pueri dispensari debent a communione, infirmi a jejunio, religiosi et pauperes ab eleemosyna, etc. A confessione nemo dispensatur, nec generatim adulti a communione, ut expresse delaravit Bened. XIV, in const. *Inter præteritas*.

2° Opera injuncta in una hebdomada perfici debent. Id ex-

(1) Vide *Traité du jubilé*, par Loiseaux, p. 662 seqq.

presse declaratur in bullis indictionis quoad jejunium; sed quoad alia opera, aliquando plures hebdomades conceduntur, ut patet ex recentioribus jubilæis, expresse ex bulla Pii IX pro indicando jubilæo suæ exaltationis, 20 nov. 1846.

3° Hæc opera impleri possunt in diversis locis. Unde si quis in patria sua, promulgato jubilæo, designatas ecclesias visitaverit, et postea ob aliquod negotium e loco domicilii discedat, potest jejunium, confessionem et communionem in alio loco peragere, et ibi a quovis confessario approbato absolvi a reservatis. Ita communiter doctores, qui hanc assertionem probant ex eo quod jubilæum non est favor localis, sed omnino personalis. His notatis quoad opera generatim sumpta, nunc de singulis in specie plura sunt etiam animadvertenda.

4° Quoad jejunium, pueri, senes, infirmi, etc., qui jejunare non possunt, debent obtinere commutationem jejunii in aliud opus, ad quod pœnitens non esset alio titulo obligatus (S. Pœnit., apud Ferraris voce *Jubilæum*, a. 3). Secus non lucrarentur indulgentiam jubilæi, cum opera injuncta sint conditio ad favorem obtinendum, ac proinde impossibilitas non excuset. Præterea generatim non satisfit illi jejunio per jejunia alias debita, v. g. diebus quatuor temporum; tamen quando Pontifex tempus quadragesimæ vel quatuor temporum pro lucrando jubilæo eligit, eo ipso vult ut jejunia debita valeant pro jubilæo (S. Pœnit., 20 jan. 1865). Sed illa jejunia pro lucrando jubilæo imposita, sunt strictissima seu rigorosa, seu non admittunt illas mitigationes quæ per indulta pontificia fuissent introductæ : constat ex S. Pœnit. declaratione quoad jubil. ann. 1881, post SS. Congr. Indul. 10 jul. 1869, etc.

5° Confessio debet fieri intra tempus assignatum pro lucranda indulgentia jubilæi; nam confessio præscribitur tanquam opus speciale, quod proinde præstari debet, etiamsi quis non habeat nisi venialia. Tamen sumi possunt dies ecclesiastici, ac consequenter confessio fieri potest a primis vesperis primi diei. Si tempore paschali celebraretur jubilæum, non sufficeret confessio paschalis, nam S. Pœnitentiaria, die 26 febr. 1879, declaravit requiri duplicem confessionem et duplicem communionem; tamen olim docebant communiter doctores sufficere unicam confessionem, quando specialis confessio non præscri-

bebatur, et afferebant declarationem S. Congregationis Indulg., 13 dec. 1841 ; hoc etiam declaravit S. Pœnit., die 20 jan. 1865, ad 2um, quoad communionem.

Sed quod diximus de confessione, intelligi etiam debet de communione. Unde tanquam regula generalis videtur hodie constitutum, ex iteratis declarationibus pontificiis, quod in tempore paschali duplex requiratur communio et duplex confessio.

6° Tandem notandum quod iterans omnia opera injuncta potest pluries lucrari indulgentiam jubilæi. Olim disputabant doctores an illa indulgentia possit plus quam semel obtineri; sed in recentioribus bullis indictionis expresse declaratur quod omnes christifideles toties lucrantur jubilæum, quoties iterant omnia opera præscripta.

II. Confessarius jubilaris.

a) Tempore jubilæi, confessarii omnes habent facultatem absolvendi ab omnibus peccatis et censuris, etiam Sedi Apostolicæ speciali modo reservatis. Tamen excipitur facultas absolvendi 1° ab hæresi externa, ut constat ex constitutione *Inter præteritas* Benedicti XIV; 2° ab excommunicatione lata a judice vel jure quoad nominatim denuntiatos, ut expresse declaravit Pius IX in encycl. *Gravibus Ecclesiæ*, etc., et SS. D. N. Leo Papa XIII (1879, 1881). Sed generatim non confertur potestas absolvendi a censuris, nisi pro foro interno conscientiæ. 3° Nequit etiam probabiliter confessarius jubilaris absolvere illos qui complicem in peccato turpi absolvere attentassent, cum casus ille sit specialissimo modo reservatus (Encycl. *Pontificis Maximi*, 15 febr. 1879). Patet etiam ex superius citata Benedicti XIV constitutione, et variis bullis Pii IX et SS. D. N. Leonis Papæ XIII confessarium non posse absolvere suum complicem in peccato turpi. 4° Facultas absolvendi a censuris non includit facultatem absolvendi ab irregularitatibus, nisi agatur de irregularitate ob violationem censurarum; nam sub nomine censurarum non solent comprehendi irregularitates. Ita Benedictus XIV, in citata constitutione.

5° Confertur etiam confessariis potestas commutandi sive opera præscripta sive vota, exceptis tamen votis castitatis per-

petuæ, religionis, aut in favorem tertii factis. Constat ex constit. *Inter præteritas*. At non confertur facultas dispensandi, quæ alias non includitur in facultate commutandi. Verum confessarii nequeunt extra actum sacramentalis confessionis ullas dare absolutiones, dispensationes aut commutationes, ut expresse declarat Benedictus XIV in laudata constitutione, § 63; porro S. Congr. Indulg., 15 mart. 1852, docet omnes regulas a Benedicto XIV traditas, quibus non adversatur bulla jubilæi, esse servandas. Sequitur quod sublata sit controversia circa illam quæstionem de commutationibus intra vel extra sacrum tribunal peragendis (Ferraris, *l. c.*, a. 2, n. 64 seqq.).

b) Facultas eligendi confessarium ab ordinario loci approbatum conceditur omnibus fidelibus, ut patet ex bullis quæ edi solent pro jubilæis. Etiam moniales et regulares possunt tempore jubilæi, sine licentia suorum superiorum, sibi eligere confessarium quemlibet, sive sæcularem sive regularem, ex approbatis. (Vide Ferraris, *l. c.*, a. 2, n. 2-4, 8-12). A quonam ordinario approbationem recipere debeat ille confessarius, diximus antea. Notandum est tamen, quod confessarius approbatus limitate pro solis viris non potest eligi a mulieribus; sic etiam approbatus limitate pro uno tantum loco, non potest eligi extra illum locum (Ferraris, *l. c.*, n. 13).

c) Circa beneficium absolutionis a reservatis plura etiam sunt notanda. 1° Qui confessionem tempore jubilæi incepit, et de consensu confessarii distulit post jubilæum, posset tamen absolvi a reservatis, transacto tempore jubilæi : ita communiter doctores et praxis universalis. Idem dicendum est de illo pœnitente qui sese confessus est tempore jubilæi, et oblitus fuit confiteri aliqua peccata reservata; nam hoc ipso quod, debito tempore, præstitit opera injuncta pro jubilæo, jus acquisivit ut a quolibet confessario absolvi possit ab illis reservatis. Aliqui tamen sic distinguunt : si confessarius qui hunc pœnitentem absolvit tempore jubilæi, habuerit expressam intentionem eum absolvendi etiam a reservatis, absolutus prædictum jus certo acquisivit; si vero confessarius de hoc non cogitaverit, non omnino constat pœnitentem posse a reservatis per quemvis absolvi (S. Lig., n. 537).

2° Per confessionem simpliciter invalidam in jubilæo factam

tolluntur censuræ
confessio fuerit in
rat, respectu juris
vionem reservator
crilega, probabilius
dummodo pœniten
reservata (Lugo, di
quod Summus Pon
omnes reservation
omnium peccatoru

3° Pro viatoribus
eorum reditum, n
possint. Si transea
illud ibidem lucrar
bulla *Militans Jesu*

DE SENTENTIA EX

Post pœnas vindi
tales, sequuntur p
de quibus agemus

§ I. *De*

a) Nomen *censur*
Romana denotabat
censoris mores co
hodie significat ali

Quoad rem, cen
pœnam et quodcun

et proprie significat pœnas Ecclesiæ spirituales et medicinales. In isto sensu definitur: « Pœna spiritualis ac medicinalis, qua potestas ecclesiastica exterior fideles suos delinquentes et contumaces participatione bonorum quorumdam spiritualium privat, ut corrigantur et a contumacia desistant. »

Dicitur *pœna,* quia est privatio pœnalis bonorum spiritualium quorum, seclusa censura, christianus particeps erat. Porro bona in quibus fideles communicant inter se, sunt triplicis generis : alia mere *interna,* ut fides, spes, charitas, gratia; alia mere *externa,* quæ in colloquiis, contractibus, commerciis, judiciis, etc. consistunt : dicuntur etiam civilia et politica; tandem alia sunt *mixta,* quæ consistunt in actionibus et cæremoniis exterioribus, interiorem et spiritualem fructum operantibus, ut sunt sacramenta, sacrificia, officia divina, Ecclesiæ suffragia, etc. Bona illa a corpore Ecclesiæ procedunt. Addi possent bona quæ procedunt a membris Ecclesiæ, ut preces et bona opera singulorum fidelium.

2° Dicitur pœna *spiritualis,* ob differentiam pœnarum corporalium, vel temporalium, v. g. carceris, mulctæ, etc.; nam quamvis censura etiam bonis temporalibus quandoque privet, v. g. politico et civili contractu, beneficio, etc., primario tamen privat actionibus spiritualibus, et secundario solum ac indirecte usu corporalium atque temporalium. Nequit tamen privare bonis pure internis; nam dona gratiæ et virtutes infusæ Ecclesiæ jurisdictioni non subduntur. Itaque censura directe et primario solum privat bonis *mixtis,* et indirecte tantum ac secundario pure *externis.*

3° Pœna *medicinalis.* Censura non est pœna vindicativa sceleris jam patrati, sed potius est pœna medicinalis intendens futuram correctionem delinquentis, id est, inobedientis potestati ecclesiasticæ. At non inde sequitur in neminem ferri posse, nisi in eum qui reputatur corrigendus ; quia, licet censura intendat principaliter emendationem delinquentis, tamen per eam Ecclesia intendit punire ; ideo duplex finis, correctio scilicet et punitio, et uno fine cessante, non eo ipso cessat alter. Verum correctio est finis principalis, et ideo in definitione dicitur : « ut corrigantur et a contumacia desistant. »

4° Dicitur *fideles suos delinquentes ;* nam censura non potest

infligi nisi christianis delinquentibus, rationis capacibus et jurisdictioni ferentis censuram subjectis, ut infra dicetur.

II. Quotuplex sit censura?

a) Ex communi sententia, censura est triplex: excommunicatio, suspensio et interdictum: constat ex c. 1, 13, 20 h. t. Aliqui addunt cessationem a divinis et irregularitatem ex delicto: at cessatio a divinis non est prohibitio usus divinorum, ut censura, sed potius illorum omissio; non fertur ob contumaciam, sed in signum tristitiæ; ejus transgressio non inducit irregularitatem. Irregularitatem ex delicto non esse censuram, in tit. XXXVII ostendimus.

Itaque censura, sic in suas proprias species seu essentialiter divisa, subdividitur accidentaliter, 1° in *validam* et *invalidam*, prout nullo substantiali laborat defectu, vel substantialem defectum habet; in *justam* et *injustam*. Est etiam *generalis* vel *particularis*, prout fertur circa aliquod factum particulare aut certas personas, vel nulla facta determinatione facti aut personæ.

2° Alia dicitur a jure, alia ab homine inflicta. Dicitur *a jure* inflicta, quando per SS. canones, constitutiones et statuta ecclesiastica fertur; est ab *homine*, quando a judice vel prælato fertur per modum mandati vel sententiæ judicialis. Notandum est quod censuræ quas fert episcopus in synodo diœcesana, dicuntur latæ per modum statuti, et hæ, tanquam latæ a jure, durant post mortem episcopi. Aliæ vero extra synodum latæ ab homine per modum præcepti seu mandati aut sententiæ, per mortem ferentis cessant. Ita comm. sent. apud S. Lig., l. VII, n. 6.

3° Alia est *latæ sententiæ*, quæ ipso facto incurritur a delinquente absque ullo ministerio judicis; alia *ferendæ sententiæ*, quæ licet a jure sit statuta, non tamen prius incurritur, nisi per sententiam condemnatoriam a judice prolatam; agnoscitur censura latæ sententiæ ex verbis indicativi modi: *Excommunicamus, suspendimus. Qui secus egerit, noverit se excommunicatum, vel ipso jure et facto excommunicatio incurrat*, etc. Ferenda vero sententia denotatur ex verbis futuri temporis et modi imperativi, quæ plerumque significant aliquid ministerio

judicis infligendum : v. g. *excommunicetur*, *suspendatur*, *prohibemus sub pœna excommunicationis*, etc.

Si dubitaretur an ferendæ vel latæ sententiæ sit censura, deberet censeri ferendæ, non latæ sententiæ, quia in dubiis et in pœnis benignior interpretatio facienda est.

§ II. *De potestate ferendi censuras.*

I. De hac potestate in se spectata.

Est in Ecclesia potestas ferendi censuras, ut docet doctrina catholica contra hæreticos. Includitur in generali potestate a Christo data (Matth., XVI, XVIII). Hac potestate usi sunt Apostoli : S. Petrus excommunicavit Simonem Magum (Act., VIII, 12); S. Paulus, incestuosum Corinthium (I Cor., V), Hymæneum et Alexandrum (I Tim., I, 20). Constat etiam usu continuo Ecclesiæ : quid frequentius quam anathemata in conciliis lata?

Ratio est quia, sicut in omni republica, ita maxime in Ecclesia, necessaria est potestas separandi membra noxia a corpore, vel iis subtrahendi certa officia et functiones. Ergo cum Ecclesia sit societas perfecta, omnibus munita requisitis ad bonum commune promovendum, debuit a Christo accipere potestatem ferendi censuras : quare hæc potestas dicenda est juris divini.

II. De subjecto illius potestatis.

1° Potestas censurandi jure et officio ordinario competit jure divino Papæ pro tota Ecclesia.

2° Jure *ordinario* competit etiam, pro suis diœcesibus, episcopis, archiepiscopis, eorumque vicariis generalibus et capitulo, sede vacante, saltem primis octo diebus. Archiepiscopi et patriarchæ non possunt ferre censuras respectu subditorum diœcesis suffraganeæ, nisi tempore visitationis, et cum causa ad eorum tribunal defertur. Cardinales in suis titulis, legati Sedis Apostolicæ in provincia suæ legationis, prælati regulares vel sæculares, et generatim illi omnes qui habent jurisdictionem ordinariam seu contentiosam in foro externo, ferre possunt censuras. At non sufficit ut quis habeat jurisdictionem ordinariam in foro externo; nam requiritur ut hæc sit *expedita* quoad usum; quare episcopus *excommunicatus*, *suspensus*, *hæreticus aut*

schismaticus, nequit ferre censuras, si tamen est excommunicatus, etc. publicus : ex cap. *Exceptionum, de Except.* Imo, juxta plures, non amitteret potestatem ferendi censuras, nisi sit nominatim denuntiatus.

Sequitur quod parochi non habent hanc potestatem, quia carent potestate contentiosa in foro externo (c. 1 h. t. in 6°). Tamen aliquando fuit quibusdam acquisita per consuetudinem vel præscriptionem : et sic intelligi debent aliqui canones antiquiores.

3° Acquiri potest *per delegationem ;* et quilibet clericus, etiam primæ tonsuræ tantum initiatus, acquirere potest hanc potestatem censurandi. Idem clericus posset etiam illam acquirere præscriptione, cum sit capax possidendi jus spirituale. Sed,

4° An laicus privilegio apostolico habilitari possit ad ferendam censuram? Duæ sunt sententiæ. Prima affirmat, quia laicus habilitari potest ad jura et actus spirituales a potestate ordinis non pendentes : ut ad præsentandum, eligendum ad beneficia, ad judicandas causas spirituales, clericosque examinandos, juxta conc. Trid., sess. 24, c. 18, *de Reform.* Atqui potestas ferendi censuras non pendet ab ordine, cum in se sit tantum potestas jurisdictionis. Deinde, juxta omnes, tonsuratus potest acquirere potestatem ferendi censuras; porro Summus Pontifex potest supplere defectum tonsuræ clericalis, cum hæc tonsura sit juris humani, et ideo quod censuras ferens debeat esse ecclesiasticus, est de jure positivo, in quo potest Papa dispensare. Ergo nihil obstat quominus laico committi possit potestas ferendi censuras : laicus non est, ut feminæ, radicitus incapax.

Secunda sententia, quam tenent S. Thomas, Salm., etc., negat, tum quia potestas clavium data est solis Apostolis eorumque successoribus, quibus traditæ sunt claves Ecclesiæ, tum quia potestas jurisdictionis supponit in subjecto potestatem ordinis, siquidem pertinet ad sacram hierarchiam. — S. Lig. (l. VII, n. 12) ait « communiter docere DD. quod ex commissione Papæ posset laicus ferre censuras. »

5° An etiam Summus Pontifex, ex plenitudine potestatis, possit committere feminæ facultatem ferendi censuras? Sententia communior negat, tum quia Apostolus (I Cor., XIV, 35) videtur

indicare jus divinum, quo mulier jubetur in ecclesia tacere, seu nullam potestatem ecclesiasticam exercere; tum quia potestas hæc data est Apostolis eorumque successoribus, et nullo modo feminis, ut docet Inn. III (c. 10, de *Pœnit. et remiss.*). Ita feminæ jure divino exclusæ sunt a potestate clavium, sub qua etiam continetur potestas ferendi censuras.

Ergo, quando in jure dicitur abbatissas vel priorissas posse subjectos sibi clericos suspendere ab officio vel beneficio, suspensio non accipitur proprie pro censura, sed late et improprie pro simplici prohibitione ne clerici celebrent.

§ III. *De subjecto censurarum.*

a) Censura ferri potest in solum hominem baptizatum, rationis et doli capacem, viatorem et subditum, sive clericum, sive laicum. Nam omnes hæ conditiones requiruntur in eo qui censura vel alio jurisdictionis actu ligandus est. Unde subjectum censuræ non sunt : 1° *infideles* non baptizati, ex I Cor., v, 12; item et catechumeni (conc. Trid., sess. 14, c. 2, *de Sacr. Pœnit.*).

2° *Infantes et amentes*, quia præcepti et doli non sunt capaces. Tamen dubium est, utrum ligari possint interdicto locali, ita ut sint excludendi a divinis officiis. Plerique DD. negant (Apud S. Lig. VII, 13). At impuberes usu rationis præditi, cum nullibi excipiantur, sicut sunt capaces doli, ita et censuræ (c. 1 et fin. h. t.). Verum aliqui dubitant, si ageretur de censura per modum sententiæ, quia impuberes difficulter tueri se possunt in judicio. Præterea « advertendum est, ait S. Lig., quod censuræ generaliter latæ a jure vel ab homine non incurruntur ab impuberibus, nisi hoc expressum sit in lege » (l. VII, n. 14). Exempla nonnulla affert.

3° Homines *mortui,* quia potestati humanæ non subjacent. Hæretici tamen post mortem declarantur excommunicati, ut catholici eis non communicent in sepultura (can. fin. 24, q. 2); ex altera parte, aliquando catholici cum signis pœnitentiæ decedentes, solent absolvi a censura; sed hæc absolutio terminatur ad vivos, ut hi possint communicare mortuis in sepultura (c. 28, h. t.).

4° *Non subditi,* quia potestas coercitiva non exercetur nisi in

subditum. Hinc subditi suffraganei nequeunt censura ab archiepiscopo ligari, nisi in actu visitationis, vel si causa per appellationem ad eum devolvatur (c. 7 h. t. in 6°).

At plura sunt notanda circa delinquentes in alieno territorio. 1° Extranei seu subditi alienorum episcoporum ab episcopo non suo censurari possunt per accidens, scilicet ratione delicti in alio territorio commissi; nam delinquentes forum sortiuntur, etiam in loco delicti (c. fin., *de For. comp.*). Ergo, peregrini delinquentes, ratione delicti fiunt subditi episcopo loci in quo delinquunt; tamen necesse est ut citatione præveniantur ante eorum discessum. Dicitur posse censurari « per accidens », quia episcopi illi carent jurisdictione in personam. Excipiuntur regulares exempti, ideo quia sunt simpliciter exempti. 2° Quoad subditos extra propriam diœcesim delinquentes, opus est distinguere inter statutum territoriale et legem personas directe respicientem. Itaque, si censura lata sit *generaliter pro territorio*, subditus extra territorium delinquens eam non incurreret (c. fin. *de Const.*, in 6°). Excipitur casus quo quis moraliter esset præsens, licet absens physice, in territorio, sicut parochus illegitime absens censetur per suam absentiam delinquere in sua parochia. Unde non tam consideratur præsentia physica quam moralis.

At si censura lata sit *personaliter*, sequitur naturam præcepti, et extra territorium incurritur (S. Lig., *l. c.*, n. 23), licet contra talem delinquentem non posset cum strepitu forensi institui actio.

b) In quos alios censuræ capaces, ferri nequeat, ob speciale privilegium vel aliter? 1° Episcopi, ex speciali privilegio juris, ex c. 4 h. t. in 6°, non ligantur censura suspensionis et interdicti nisi eorum expressa mentio fiat. Ratio est, quia expedit seu ad bonum commune diœcesis spectat, ut episcopi non impediantur in exercitio sui officii. An privilegium illud extendatur ad censuram excommunicationis, disputant DD. Communis sententia negat et docet episcopos excommunicationi subjacere, etiamsi in lege de illis nulla mentio fiat.

2° Reges et reginæ, seu supremi principes, quamvis subditi sint episcopis in spiritualibus, jure tamen novo non possunt ligari censuris nisi a Papa, et hoc est privilegium quod eis attri-

buitur communiter ab AA., ut dicit S. Lig. (l. VII, n. 16) post multos TT. ab ipso citatos.

3° *Integra communitas* non potest excommunicari, nisi forsan constaret omnes deliquisse, et tunc esset valida, licet illicita, ex c. 5 h. t. in 6°, quod prohibet simpliciter quoad communitates. Necesse est ut subjectum censuræ sit persona determinata. Quare non posset etiam ferri excommunicatio in aliquem incertum ex communitate, qui scilicet tale crimen patraverit (S. Lig., *de Cens.*, lib. VII, n. 18), saltem si excommunicatio feratur per modum sententiæ. Tamen communitas seu collegium interdici et suspendi potest quoad actus capitulares : colligitur ex eodem cap., quod unicam tantum affert exceptionem. Ratio diversitatis est, quia excommunicatio est gravissima censura, quæ multis bonis spiritualibus privat, et ideo innocentes ea ligari nequeunt, sed tantum auctores sceleris. Tamen notandum est quod suspensio in communitatem lata, membra innocua non afficit, nisi quoad functiones et jura communitati, qua tali, collective competentia, non vero quoad functiones et jura quæ singulis singillatim competunt. Ita communiter DD.

c) An idem homo ex diversis causis ligari possit pluribus censuris ? 1° Certum est eumdem hominem posse ex diversis delictis pluribus censuris *diversæ rationis*, v. g. suspensione et excommunicatione, affici posse : cum censuræ sint diversæ rationis, ac proinde non privent iisdem bonis spiritualibus, nihil impedit quominus multiplicentur in eodem subjecto. Ita omnes.

2° Si ageretur de censuris *ejusdem rationis*, v. g. duplici excommunicatione, communis etiam sententia tenet aliquem posse affici duplici censura *ob diversas causas*. Nam etsi ambæ privent iisdem bonis spiritualibus, tamen potius inducunt vinculum, causa privationis, quam ipsam privationem; atqui vinculum morale multiplicari potest, tametsi privatio non multiplicetur : v. g. quodlibet peccatum mortale privat gratia sanctificante. Ita omnes, apud Schmalzgrueber, n. 52.

3° Tandem probabile est quod possit aliquis *ob eamdem causam* ligari censura duplici *ejusdem rationis*. Nam causa formalis est diversa, nempe diversa contumacia. Hinc ob idem delictum una censura ferri posset a jure, altera ab homine; item una a tali judice, altera ab alio, si adsit respectu cujusque judicis

specialis contumacia. Nam si secundus superior non intendat vere novam pœnam imponere, secunda censura haberetur ut innovatio seu publicatio primæ, ut docent communitur DD.

§ IV. *De causa ob quam ferri potest censura.*

a) Ex communiori doctorum sententia, censura non potest ferri, nisi ob culpam et quidem externam, ac in suo genere perfectam et proportionatam censuræ, atque conjunctam cum contumacia. Hoc haberi potest ut regula generalis, quæ eruitur tum ex can. 41 et seq. 11, q. 3, tum Trident., sess. 25, can. 3, *de Reform.*, et Clem. 1ª, *de Hæret.* Colligitur etiam ex natura pœnæ, quæ est gravis, medicinalis et ad forum publicum Ecclesiæ spectans. At hæc regula est distinctius et per partes explicanda.

1° An ob culpam venialem censura infligi possit? Conveniunt omnes DD. quod censura gravis, ut est excommunicatio major, suspensio et interdictum ad longum tempus, non possit injungi ob culpam venialem. Colligitur ex can. 41, 42, etc., causa 2, q. 3, et conc. Trid., sess. 24, c. 3, *de Reform.* Ratio est, quia de *jure naturali* et divino pœna debet esse culpæ proportionata. Sequitur eum qui a culpa gravi, cui censura est annexa, excusaretur, ob ignorantiam, inadvertentiam vel aliam causam, excusari etiam a censura. Infertur, quod invalide ageret qui censuram gravem ferret ob culpam tantum venialem. At censura levis, ut excommunicatio minor, interdictum ad breve tempus et privans aliquo tantum usu atque non reservatum, posset infligi propter peccatum veniale, quia minoribus bonis privat et facile tolli potest. Itaque generatim concludendum, est quod censura ferri nequeat nisi ob culpam, *mortalem*. Imo cum sit pœna medicinalis, non debet infligi pro quovis mortali, sed pro gravioribus tantum, ne censuræ contemnantur, ut monet conc. Trid. Notandum est tamen quod materia in se levis potest reddi gravis ex adjunctis circumstantiis scandali aut periculi, aut finis intenti et similium; hinc juste posset ferri censura. Sic, ut advertit S. Lig. (l. VII, 31), « prælatus potest imponere censuram gravem iis qui non interveniunt publicæ processioni pro aliqua re gravi ordinatæ». Item, ex can. *Si quis*, 22, dist. 23, c. 4,

de Vita et honest. cler., clericis qui contra præceptum comam nutriunt.

2° Ad censuram incurrendam requiritur actus externus. Ita communis sententia contra paucos, qui nituntur tum Clem. 1ª, *de Hæret.*, ubi excommunicantur inquisitores qui odio vel amore ducti aliquid contra suum munus omittunt vel faciunt, tum hac ratione quod Ecclesia præmiare potest actus internos, v. g. per indulgentias. Ratio primæ et communis sententiæ est, quia potestas ecclesiastica, cum resideat apud homines, non judicat de internis (ex can. 2, q. 3), quæ non cadunt sub sensum et cognitionem humanam. Et hoc verum est, etiam quoad censuram latam per modum legis, quia de his potest homo legem ferre de quibus potest judicare. Imo requiritur ut peccatum sit grave, in ratione actus externi. Ita comm. sent., ob eamdem rationem; externa enim directe considerat Ecclesia.

3° Actus peccati debet esse in suo genere *perfectus* et *consummatus*, nisi expresse aliud exprimatur in lege. Itaque censura imposita contra facientes non comprehendit consulentes, mandantes, cum mandantes, etc. proprie non veniant nomine facientis. Ex. : sic excommunicationem homicidarum non incurrunt consulentes, mandantes, imo nec vulnerantes lethaliter, si mors non sequatur. Ratio est, quia lex pœnalis est strictæ interpretationis.

4° Tandem necesse est ut adsit contumacia, nempe ut delinquens sciat suum actum prohibitum esse ab Ecclesia sub censura. Ita omnes. Ratio est, quia censura intendit punire contumaciam contra Ecclesiæ auctoritatem, et absterrere a peccato committendo.

Quare ob peccatum mere *præteritum* cujus contumacia cessat, censura ferri non potest, ut constat ex c. 40, 48 h. t. et 5 eod. in 6°; nam censura fertur per se ad frangendam contumaciam : sed hæc contumacia non est in peccato mere præterito, seu physice et in se atque moraliter et in suis effectibus præterito.

b) Causæ excusantes ab incurrenda censura : Generatim quidquid excusat a peccato mortali, excusat etiam a gravi censura, ut supra dictum est. Itaque, in specie, materiæ parvitas, impotentia legem implendi, defectus advertentiæ et deliberationis,

gravis metus injustus, imperfectio seu attentatio actus, ignorantia invincibilis sive facti, sive juris. Sed de ignorantia speciatim agendum est.

Itaque 1° certum est apud omnes quod ignorantia *invincibilis*, sive ea sit facti, v. g. si nescias quem percutis esse clericum, sive sit juris, v. g. si nescias esse vetitum sub pœna censuræ, excusat ab omni censura; etenim deest contumacia. Notandum est ergo, quod non sufficit ut delinquens cognoscat actum esse ab Ecclesia prohibitum, sed necesse est ut sciat illum esse sub censura vetitum.

2° Certum est etiam ignorantiam vincibilem, etiam graviter culpabilem, dummodo non sit affectata et a fortiori remaneat citra formalem dolum, excusare, si addatur in lege certus modus, v. g. qui hoc fecerit « scienter, consulto, *qui præsumpserit*, *qui ausu temerario violaverit*, etc. » Cum verba legis sint stricte accipienda, isti modi debent intelligi de ignorantia affectata, quæ formalem dolum includit. Animadvertendum est, quod quadruplex distingui potest ignorantia vincibilis: communis, crassa seu supina, affectata et dolosa. Aliqui confundunt affectatam cum dolosa; sed illas species cum multis DD. hic distinguimus. Itaque quærimus,

3° An ignorantia simpliciter affectata excuset, si censura imposita sit « scienter » peccantibus? Prima sententia communior (apud S. Lig., VII, 48) negat, tum quia hæc ignorantia includit dolum formalem, tum quia æquivalet scientiæ. Altera sententia, quam tenent Sanchez, Bonac., Salmant., etc., affirmat, quia ignorantia affectata in rigore non est *scientia;* porro requiritur *scientia*, cum agatur de *scienter* peccantibus. Negant etiam hanc ignorantiam includere dolum formalem; includeret tantum virtualem, cum ille qui vult ignorare ut liberius peccet, demonstret aliquam reverentiam erga legem. « Hanc secundam sententiam non audeo dicere improbabilem, dicit S. Lig. (*l. c.*), sed primæ magis adhæreo, saltem ut communiori. »

4° An ignorantia *vincibilis*, non excusans a mortali, posset excusare a censura, si lex simpliciter, seu sine ullo modo adjecto, fuisset lata? Sententia communior, quam tenent Layman, Suarez, S. Lig., etc., negat, quia vix inveniri potest ignorantia graviter culpabilis quæ non sit crassa; crassa enim evenire po-

test, ait S. Lig., non solum quando nulla diligentia, sed etiam quando valde parva adhibetur (*l. c.,* n. 45); porro, in c. 2, *de Constit.,* in 6°, excusantur tantum illi ignorantes quorum « ignorantia non fuerit crassa aut supina. » Ergo ignorantes ignorantia culpabili et vincibili non excusantur. Alii tamen, ut Sanchez, Diana, etc., putant dari posse ignorantiam vincibilem, a gravi culpa non excusantem, quæ tamen non sit crassa; nam ignorantia crassa involvit summam negligentiam; ergo dari potest magna negligentia, mortaliter culpabilis, quæ non sit crassa (Apud S. Lig., *l. c.*).

5° De dubio fere idem dicendum est ac de ignorantia, si dubitatur an censura adversus aliquod delictum lata sit, vel an factum tale sub censura comprehendatur; aliis verbis, si dubitatur an censura sit incursa, sive sit dubium juris vel facti, et facta diligentia dubium vinci non possit, dubitans excusatur a censura. Nam dubitans est in possessione juris quod per baptismum acquisivit ad bona spiritualia.

Aliud dicendum esset, si quis dubitaret an fuerit absolutus a censura quam incurrit; hic enim pro censura seu ligamine est possessio, prout aperte eruitur ex c. 39 h. t. Idem dicendum, si dubium sit de potestate superioris, quando hic eam pacifice possidet.

In dubio an censara fuerit justa vel non, observanda est et pro justa tenenda est illa quæ lata fuit ab homine, juxta probabiliorem sententiam : ratio est, quia possidet potestas judicis, non vero libertas subditi, ut volunt multi DD.

6° Si censura fuisset certo injusta, censuratus non teneretur se gerere ut censuratum, quia sententia est nulla, ac proinde nititur præsumptione falsa; verumtamen in publico non posset illam censuram violare, ob scandalum quod ex tali violatione exsurgeret.

Notandum est, quod censura ab homine potest esse injusta, etsi culpa adsit, quando hæc exterius non est probata. In hoc casu, esset etiam nulla, quia sententia non potest ferri sine probatione (Schmalzgr., n. 80). Sed in publico observari debet sententia, quando sine scandalo condemnatus nequit eam subterfugere, quia jus naturale dictat ut potestati publicæ non resistatur.

§ V. *De absolutione a censuris.*

I. Ipsa absolutio, ejusque modi.

a) Absolutio. Censura non tollitur, *nisi absolutione* (can. 40 h. t.); nam ligatus solvi debet ab habente potestatem solvendi. Atqui actus solvendi ligatos, ut procedit a potestate jurisdictionis data Ecclesiæ, dicitur absolutio. Unde censura non cessat morte judicis eam infligentis, a quo non pendet in conservari, licet pendeat in fieri; neque sola emendatione aut satisfactione parti læsæ facta (cap. 15 h. t.; cap. 25, *de Appell.*). Morte censurati, non plene et perfecte tollitur : tollitur quidem ex parte illius censurati, quia mors solvit omnia; sed ex parte aliorum fidelium perseverat, qui non debent communicare cum defuncto excommunicato, nisi is absolvatur (c. 21 h. t.). Unde si permittitur communis sepultura cum toleratis, hoc venit ex tacita condonatione Ecclesiæ.

Itaque censura non solvitur nisi per absolutionem.

b) Modi quibus fit hæc absolutio. Fieri potest multipliciter, scilicet : 1° *pure*, seu absolute et independenter ab ulla conditione.

2° *Conditionate*, quando reus absolvitur sub conditione, ut ea deficiente absolutio deficiat : v. g. Absolvo te, si intra hebdomadam restitueris. Hæc conditio potest esse, non tantum de præterito et præsenti, ut omnes fatentur, sed etiam de futuro, quia nec jure naturali, nec jure positivo irritatur hic modus absolvendi; tamen decet ut non absolvatur sub conditione de futuro, quia sic reus, eo ipso quod debeat præstare conditionem, constituitur quodammodo judex absolutionis.

3° *Ad cautelam*, dum quis ad præcavendum damnum quod a censura ignota, tum censurato, tum aliis, provenire poterat, vel ad certum effectum, absolvitur a censura ignota vel dubia, si reipsa subesset. Tales absolutiones ad cautelam præmitti solent absolutioni sacramentali, receptioni ordinum, beneficiorum, privilegiorum (c. 51, 52 h. t.), ne scilicet effectus ille nulliter ponatur, si subjectum esset excommunicatione innodatum. Hinc ille modus absolvendi præsupponit censuratum vel ignarum esse suæ censuræ, vel certe solam suspicionem illius habere, non autem illius certitudinem.

In foro interno concedenda est absolutio ad cautelam, præmisso tantum testimonio ipsius absolvendi, seu facta ab ipso promissione quod satisfacere velit, si constiterit de censura; in foro autem externo, conceditur etiam sine cognitione causæ, vel data cautione, si absolvendus nullius censuræ in particulari suspicionem habeat; si vero alicujus specialis censuræ absolutio petatur, absolvendus probare debet, saltem semiplene, se illa censura ligatum non esse.

4° *Ad reincidentiam*, dum quis ita absolvitur, ut in eamdem censuram iterum incidat, si opus sub censura præceptum non exsequatur. Absolutio hæc præstari potest tripliciter : conditionate, ut si mandato non pareat absolutus, in eamdem reincidat; pro aliquo tempore absolute, et pro reliquo sub conditione certi operis intra certum tempus, ut si hoc intra illud tempus præstiterit absolutus, in perpetuum absolutus sit. Tandem ad certum effectum duntaxat, v. g. ut excommunicatus possit talem actum censurato non permissum exercere.

c) Hi omnes modi adhiberi possunt in foro interno et externo. Tamen si absolutio in foro tantum interno facta sit, reus tenetur in foro externo gerere se pro censurato, saltem si censura est nota in eodem foro.

II. A quo censura tollatur per absolutionem?

a) Censura specialiter *per sententiam latam ab homine* seu judice, non potest ab alio per absolutionem tolli, nisi ab eo qui eam tulit, vel ejus successore aut superiore, cumulativam jurisdictionem pleno jure et non tantum in certis casibus habente, vel a delegato in hac causa vel a judice appellationis (c. 3, 11, *de Off. ord.;* Clem. 2, *de Elect.*, c. 10) : ejusdem est solvere, cujus fuit ligare.

1° Hoc verum est, etiam in casu quo reus domicilium mutavit; quia per sententiam præventa est jurisdictio (c. 19, *de Foro comp.*). Verum est, etiam in casu quo reus appellationem interposuerit; nam, etsi, vi appellationis, judex *ad quem* possit absolvere, tamen judex *a quo* non privatur jurisdictione, saltem si sit judex ordinarius, quia delegatus amisit jurisdictionem.

Notandum est quod episcopi possunt suos subditos absolvere in foro tam interno quam externo, etiam in alieno territorio,

dummodo absolutio detur sine strepitu judiciali : ita omnes. Sed agitur tantum de illo casu quo proprius episcopus censuram tulisset ; secus, si ille subditus deliquisset in alieno territorio et ab episcopo illius loci fuisset specialiter excommunicatus et non tantum modo generali : ita communiter DD. apud Salmant., *de Censura*, s. II, p. IV, n. 37.

2° Sunt tamen exceptiones regulæ generali supra enuntiatæ : 1° Si judex qui censuram tulit, sit impeditus, v. g. excommunicatione, suspensione vel præcepto Papæ, vel confirmatione sententiæ ab eo factæ; tunc enim ferens censuram non potest ab ea absolvere, sed recurri debet ad superiorem, ad quem in his casibus potestas devolvitur.

2° Similiter judex delegatus censuram a se latam post annum tollere nequit (c. 26, *de Off.*).

3° Excipitur etiam casus impotentiæ, si reus adire non possit judicem a quo censuratus fuit. Tunc si paratus sit satisfacere, absolvi potest ab alio, etiam inferiore, præstito prius juramento quod, quamprimum poterit, præsentabit se illi ad quem de jure competit absolutio (c. 13, 26, 58 h. t.). Infra dicenda de impotentia recurrendi ad S. Pontificem valent, proportione data, pro omnibus censuras reservatas ferentibus.

b) Censura a *jure vel statuto* generaliter lata, si non sit reservata, relaxari potest a prælato proprio habente jurisdictionem in foro externo. Ita omnes, saltem quoad censuram a jure latam; quoad censuram per modum statuti, sive sententiæ generalis, hæc sequeretur juxta aliquos regulam censuræ ab homine (Apud S. Ligor., VII, n. 73). Ratio regulæ generalis est evidens, quia hoc ipso quod censura non reservatur, relinquitur sub jurisdictione propria prælati. Item, non tantum episcopi, sed etiam abbates, provinciales, rectores, priores, custodes, etc. respectu sibi subditorum, absolvere possunt. Imo potest etiam relaxari a proprio sacerdote seu a quolibet confessario : ita communis sententia contra quosdam, qui negabant, ea ratione moti quod parochi et simplices confessarii nullam habent jurisdictionem in foro externo, ad quod spectaret absolutio censurarum. At veræ sententiæ ratio est, quia ad absolutionem censuræ non reservatæ, vel non requiritur jurisdictio fori externi, vel si qua requiritur, ea generaliter a jure datur proprio sacerdoti, ut pro

utroque foro censuram relaxare possit. Hæc concessio a jure facta reperitur expressa in c. 29 h. t. Et hæc absolutio valet tam pro externo quam pro interno, cum citatum caput forum externum præcipue spectet.

c) Censura *juris reservata* non potest tolli, nisi a conditore canonis vel cui ipse potestatem dedit (c. 29 h. t.). Ratio est, quia inferior nequit relaxare jus superioris. Istæ censuræ ratione reservationis sunt triplicis generis : aliæ sunt *speciali modo* reservatæ, a quibus nemo potest absolvere, nisi Summus Pontifex, sive casus sit occultus sive sit publicus : hoc expresse declaratur in const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX, et est lex actualis observanda, quidquid sit de controversiis apud veteres DD. circa casus occultos et privilegii Tridentini extensionem. Aliæ sunt *generali modo* reservatæ, et tunc ex privilegio Tridentino (sess. 24, cap. 6, *de Reform.*), episcopus accepit potestatem absolvendi in casibus occultis. Tandem tertium genus consistit in censuris *ordinario* reservatis. Itaque in specie,

1° Episcopus nequit absolvere a casibus speciali modo reservatis, etiamsi illi casus sunt occulti, ut patet ex constitut. *Apostolicæ Sedis :* « Firmam tamen esse volumus, ait Pontifex, absolvendi facultatem a Tridentina synodo episcopis concessam (s. 24, c. 6, *de Reform.*), in quibuscumque censuris Apostolicæ Sedi hac nostra constitutione reservatis, iis tantum exceptis quas eidem Apostolicæ Sedi speciali modo reservatas declaravimus. » Remanet ergo privilegium Tridentinum quoad casus generali modo reservatos, a quibus episcopus potest absolvere, quando casus fuit et remanet occultus. Sed dubium esse potest,

Utrum valeat hæc facultas Tridentina, etiam in casu quo crimen, etsi in uno loco publicum, esset tamen occultum in loco ubi episcopus absolvit? Prima sententia affirmat, dummodo absit timor ne crimen brevi publicetur in loco ubi est occultum. Alii multi, ut Suarez, Bonacina, etc., negant, quia crimen non est simpliciter occultum (Apud S. Lig., lib. VII, n. 98).

Notandum est, quod in privilegio Tridentino nomine episcopi veniunt illi omnes qui habent jurisdictionem quasi episcopalem. ut abbates et alii prælati regulares, capitulum sede vacante, etc. Tamen declaratione Gregorii XIII (apud Fagnanum, in c. 15, *de*

Temp. ord.), facultas Tridentina non competit cardinalibus in suis titulis.

2° Simplex confessarius non potest absolvere a censuris quovis modo reservatis : requiritur delegatio sive Summi Pontificis, sive episcopi quoad casus a quibus iste potest absolvere ; imo quilibet absolvens, sive sit simplex confessarius, sive etiam episcopus, sine debita licentia a censuris S. Pontifici reservatis, incideret in excommunicationem, ut expresse declaratur in const. *Apostolicæ Sedis*. Notandum est, quod episcopus potest etiam generali modo delegare facultatem absolvendi a reservatis, quoad omnes casus a quibus ipse personaliter posset absolvere. At simplex confessarius posset impeditos adire sive S. Pontif., sive episcopum, absolvere ab omnibus censuris reservatis, sub quibusdam tamen limitationibus et conditionibus. Itaque,

III. De absolutione impeditorum.

a) In casu impotentiæ vel impedimenti quo censuratus nequeat adire S. Pontif. vel alium superiorem qui censuram reservatam tulit, adire debet episcopum vel quemcumque confessarium, si ipse episcopus adiri non posset. Constat ex Innocent. III, c. 29 h. t. : « Verum si difficile sit, ex aliqua justa causa, quod ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo ut a suo absolvatur episcopo vel proprio sacerdote. » Constat etiam ex c. 13 h. t. et c. 22 eod. in 6°. Circa hanc facultatem absolvendi impeditos, olim erant plures sententiæ apud CC., ut refert S. Lig. (l. VII, n. 84); sed sententiæ negantes hodie sunt obsoletæ.

Hæc impedimenta enumerantur in versibus sequentibus :

Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis,
Deliciosus, inops, ægerque, senexque, sodalis,
Janitor, adstrictus, dubius causæ, levis ictus,
Debilis, absolvi sine Summa Sede merentur.

Notandum est, quod in his versibus enumerantur, cum impedimentis adeundi superiorem, quædam causæ excusantes sive a reservatione sive etiam a censura. 1° Sic « officialis », qui munus habet disponendi populum et quandoque clerum in cæremoniis publicis, et 2° « janitor », qui aperit et claudit januas ecclesiæ, excusantur a reservatione in casu percussionis cleri-

corum, si hæc non fuisset enormis. « Dubium causæ » indicat dubium juris aut facti, de quo supra dictum est : hoc dubium excusat a censura. « Sodalis » indicat clericos in eadem domo commorantes, qui se percuterent ; excusantur a reservatione illi percussores, propter illam vitam communem quæ rixæ occasionem præbet, nisi percussio sit enormis.

b) Notandum est, quod si impedimentum est ad breve tempus, innodatus non potest absolvi ab inferiori, nisi adsit necessitas aliqua, v. g. periculum infamiæ vel scandali, necessitas celebrandi, et tunc inferior non absolvit nisi indirecte seu ad effectum. Tunc a censuris non revera absolvitur, sed tantum declaratur quod non obstante censura, quæ integra manet, censurato liceat, ad grave damnum spirituale vitandum, absolutionem a peccatis accipere, celebrare, communicare, etc.

Si impedimentum sit ad longum tempus, impeditus non debet absolvi, nisi præstito prius juramento, quod cessante impedimento, ad Sedem Apostolicam quantocius se præsentabit. In hoc casu, directe absolvitur cum onere se præsentandi, et hæc absolutio est ad reincidentiam. Si impedimentum est perpetuum, tunc absolutio est absoluta et sine onere se sistendi S. Pontifici, ut constat ex natura impedimenti.

1° Circa illos impeditos, hæc sunt statuenda : 1° Ad episcopum recurrere debet impeditus, ita ut, juxta communiorem sententiam, non possit absolvi a simplici confessario, si adire possit episcopum, quia tunc casus ex papali fit episcopalis. Sed si censuratus sit impeditus adire etiam episcopum, tunc, juxta communem sententiam, potest absolvi a quolibet confessario, ut constat ex c. 29 supra citato : particula « vel » ad minus subrogative sumi debet.

2° In articulo mortis cessat omnis reservatio censurarum et peccatorum, ne quis scilicet hac occasione pereat (Trident., s. 14, cap. 7, *de Pœnit.*). Tamen absolutio a censuris fit cum onere se præsentandi superiori, si absolutus mortem evadat. Disputarunt olim TT. circa illam obligationem se sistendi superiori. Sed post const. *Apost. Sedis* Pii IX, quæ sustulit omne dubium, nulla dari potest controversia quoad casus speciali modo reservatos. « Absolvere autem præsumentes sine debita facultate... excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatæ innodatos se

sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, *in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiæ, si convaluerint.* »

IV. Forma absolutionis a censuris.

De quadruplici modo absolvendi acensuris, dictum est supra. Unde agendum est tantum de ritu et conditionibus illius absolutionis.

a) *Forma* in jure nulla absolute præscripta est, sub pœna nullitatis, sed ea sufficit quæ voluntatem absolvendi declarat; proinde potest fieri aut verbis aut etiam scriptis : nam absens potest per epistolam absolvi a censuris, licet nequeat sacramentaliter absolvi a peccatis. Itaque nulla habetur forma essentialis quam Ecclesia imponeret absolventibus, tanquam conditionem sine qua eorum actus absolvendi nullus esset.

b) Tamen ad formam accidentalem et de præcepto plura requiruntur, et generatim,

1° In absolutione judiciali ab excommunicatione, ritus aliquis præscribitur in c. 28 huj. tit., et habetur in Pontificali et Rituali Romano; sed illius ritus omissio non reddit absolutionem invalidam neque graviter illicitam, etsi expediat regulariter prædictas cæremonias observari. Sequitur quod ritus ille posset omitti, si justa causa hanc omissionem suaderet.

2° Speciatim ex parte absolvendi requiritur absolutionis petitio, etsi valeat absolutio data invito; requiritur ut prius satisfecerit parti læsæ, nisi sit impotens : hoc casu deberet præstare cautionem pignoratitiam aut fidejussoriam, vel saltem juratoriam; judex absolvens eum qui nullo modo satisfecit aut cautionem non præbuit, peccat graviter; quia lædit jus partis læsæ et violat juris ordinem.

SECTIO II.

De censuris in specie.

§ I. *De excommunicatione.*

I. Natura et varietas excommunicationis.

a) Excommunicatio, juxta vim nominis, est exclusio a communione. Communiter definitur : « Censura ab Ecclesia instituta separans excommunicatum a communione fidelium. »

Dicitur 1° *censura*, quia censurat et corrigit rebelles et contumaces privatione bonorum ecclesiasticorum.

Si aliquando non est medicinalis quoad excommunicatum qui suæ emendationis spem non dedit, est tamen præservativa aliorum, qui secus commercio excommunicati potuissent ad malum impelli.

Dicitur 2° *ab Ecclesia instituta,* quia excommunicatio est pœna ecclesiastica, seu institutionis ecclesiasticæ. Dicitur 3° *separans excommunicatum a communione fidelium;* sic distinguitur excommunicatio ab aliis censuris ecclesiasticis, et ideo est differentia specifica in definitione. Quæ sint illa bona in quibus fideles communicant inter se, jam dictum est antea; excommunicatio non privat bonis internis, sed tantum pure externis et mixtis.

Excommunicatio est omnium pœnarum ecclesiasticarum gravissima, ut expresse declarant Cœlestinus III (c. 14 h. t.) et conc. Trident. (s. 25, c. 3, *de Reform.*). Etenim hæc censura privat maximis bonis spiritualibus.

b) Dividitur 1° in *justam*, quæ a judice legitimo justis de causis, servato juris ordine, infertur, et *injustam,* cui aliquid horum deest. Injusta subdividitur in validam et invalidam : *valida* est, quamvis injusta, quando non laborat defectu substantiali ; ut si tantum illi desit circumstantia debiti finis vel quædam solemnitas accidentalis; *invalida* est, quando nullum effectum habet; nec obligat, nisi aliquando ratione scandali, ut quia fertur a non habente potestatem, vel quando continet errorem intolerabilem, etc.

2° Dividitur præsertim in majorem et minorem. *Major* est quæ excommunicatum privat simpliciter omnium bonorum inter fideles communium participatione. Hæc bona ad quatuor classes revocari possunt, scilicet : 1° ad suffragia fidelium, sacramentorum usum et alias actiones spirituales ; 2° ad beneficia et officia ecclesiastica ; 3° ad officia civilia ; 4° ad communicationem politicam. His omnibus bonis privat excommunicatio major.

Excommunicatio *minor* privat tantum usu sacramentorum passivo seu receptione, et passiva electione ad dignitates et beneficia ecclesiastica. Hæc sæpe contrahitur ob peccatum veniale, dum major non contrahitur nisi ob peccatum mortale,

ut supra dictum est. Excommunicatio minor non incurrebatur, nisi ob communicationem sine sufficienti causa cum vitandis. Hodie, post const. *Apostolicæ Sedis*, prorsus cessavit, cum de illa nulla fiat mentio, etsi Pontifex ex proposito voluerit recensere omnes censuras a jure latas. Præterea indicantur casus in quibus communicatio cum vitandis inducit excommunicationem, non quidem minorem, sed majorem, ut ob communicationem in crimine criminoso vel in divinis.

Excommunicatio major est a jure vel ab homine : omnes excommunicationes a jure enumerantur explicite vel implicite in recenti const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX.

Excommunicatio absolute prolata, sive sit a jure, sive ab homine, semper intelligitur de majori, ut expresse definivit Gregorius IX in c. *Si quem,* h. t.

3° Quid intelligatur nomine *anathematis?* Anathema, juxta vim nominis, maledictionem seu exsecrationem significat. In SS. canonibus vox illa in triplici sensu usurpatur : 1° ad significandam excommunicationem incursam ob hæresim, ac proinde ob maximam separationem ab Ecclesia (c. 11 h. t.; conc. Trid., s. 25, c. 3, *de Ref.*); 2° ad significandas quasdam excommunicationis solemnitates, videlicet dum excommunicatio denuntiatur cum cæremoniis ab Ecclesia institutis ; 3° ad distinctionem excommunicationis minoris, ac proinde ad significandam excommunicationem majorem (can. 12, causa 3, q. 4), et est propria et communis significatio.

4° Tandem excommunicati excommunicatione majori, alii sunt *vitandi*, alii *non vitandi* seu tolerati. Jure antiquo, omnes ligati excommunicatione majori, sive a jure sive ab homine, erant vitandi, cum eo solum discrimine quod excommunicati publici et notorii erant ab omnibus vitandi, dum occulti erant vitandi ab iis tantum fidelibus qui rei conscii erant (c. 14 h. t.). Post const. *Ad vitanda* Martini V, indultum fuit fidelibus ut, præcluso scandalo aut propriæ perversionis periculo, non tenerentur vitare nisi excommunicatos denuntiatos, vel publicos clericorum percussores, saltem, quoad hos ultimos, quando factum erat adeo notorium ut non posset aliqua tergiversatione celari, aut aliquo suffragio excusari. Quoad percussores, non requirebatur denuntiatio, sed sufficiebat notorietas facti : ita omnes CC.

Tandem hodie, post const. *Apostolicæ Sedis,* non videntur in posterum vitandi, saltem sub aliqua pœna canonica, nisi excommunicati nominatim ac denuntiati. « Hodie, ait Avanzinius, sub pœna excommunicationis vitandi tantum manent nominatim excommunicati a Papa;..... cessat censura quævis quam antea contrahebant illi qui communicarent *cum notorio clericorum percussore,* cum de hac vera censura, quamvis minor appellaretur, non amplius fiat mentio » (*Comment.*, p. 59). Diximus « sub aliqua pœna canonica » ; cum non tollatur prohibitio antiqua, nisi quoad censuram; nam constitutio Martini V et jus antiquum remanet quoad vim directivam. Itaque peccaret lethaliter qui in re gravi communicaret cum notoriis percussoribus clericorum.

II. De effectibus excommunicationis.

Nota. Effectus excommunicationis majoris duodecim enumerantur, quos ad quadruplex genus supra revocavimus, juxta varietatem bonorum quibus privat ; sed ad eorum perspicuam explicationem, illos secundum proximas species spectatos enumerabimus, quæ ad sex revocari possunt.

a) Primus effectus est *privatio communium suffragiorum Ecclesiæ.*

1° Communia illa suffragia, quibus privantur excommunicati, sunt illa quæ a clericis offeruntur pro fidelibus, nomine et in persona Ecclesiæ, cujusmodi sunt missæ sacrificium, orationes, publicæ supplicationes seu processiones et aliæ preces in quibus clericus orat nomine totius Ecclesiæ ad impetranda fidelibus auxilia spiritualia. Hæc suffragia publica non habent valorem ab offerente, sed ab Ecclesia, cujus nomine fiunt; secus de suffragiis privatis, ut sunt jejunia, orationes particulares quæ fierent a ministris Ecclesiæ, non vero tanquam ministris, sed ut personis privatis.

Porro excommunicati privantur istis communibus Ecclesiæ suffragiis, indulgentiis, sacrificiis, etc., ut constat ex c. 28, 38 h. t. Itaque peccat mortaliter qui excommunicatis applicat sacrificium missæ, publicas orationes et alia communia suffragia Ecclesiæ, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi. Imo, si offerret pro excommunicato vitando, juxta aliquos, in-

curreret excommunicationem, propter communicationem in sacris cum tali excommunicato. Alii tamen melius negant, quia orare pro excommunicato non est orare cum illo.

Non solum est prohibitum orare pro hoc vel illo excommunicato, sed etiam pro illis in communi : non tamen pro hæresium exstirpatione et conversione infidelium, et hoc modo licet offerre indirecte sacrificia pro excommunicatis.

2° Dubium tamen est, utrum hæc prohibitio respiciat duntaxat vitandos, an etiam toleratos? Prima sententia, quam tenent Lugo, Croix, Concina, etc., docet sacrificia offerri posse pro toleratis, post const. *Ad vitanda* Martini V, per quam universaliter permittitur communicatio cum toleratis. Sed hæc ratio est valde infirma, quum Martinus V nihil concedat ipsis excommunicatis, sed tantum succurrat conscientiis timoratis fidelium. Secunda sententia negat, quia essentia excommunicationis de se petit ut excommunicatus sit privatus publicis Ecclesiæ suffragiis; ergo si sacrificia et suffragia possent pro illis offerri, sequeretur quod essent simul excommunicati et non excommunicati.

3° Si applicaretur excommunicato sacrificium missæ, non valeret hæc applicatio quoad fructum provenientem ex parte Ecclesiæ. Tamen valide, quamvis illicite, potest applicari fructus proveniens ex meritis et institutione Christi, cum potestas applicandi illum fructum non sit jurisdictionalis, sed potestas ordinis, fundata in charactere indelebili, et ideo non pendet ab Ecclesia. Item valerent orationes privatæ sacerdotis in missa factæ ; imo non est illicitum orare, cum Ecclesia prohibeat tantum communia suffragia. Igitur in *Memento* missæ posset sacerdos pro excommunicatis orare, tanquam persona privata et particularis. Tamen nequit nomen excommunicati proferre in orationibus publicis. Quare, si episcopus vel imperator esset excommunicatus, non possent exprimi eorum nomina in canone missæ.

b) Secundus effectus est *privatio activa* et *passiva sacramentorum*.

1° Quoad *activam participationem* sacramentorum, peccat mortaliter excommunicatus qui aliquod sacramentum administrat (c. 32 h. t. et c. fin., *de Cleric. excomm. ministr.*). Imo sic

nistrans irregularitatem incurreret (c. *Is qui*, h. t., in 6°; c. *Licet* et fin., *de Cleric excom. ministrante*). Verumtamen sacramenta ab excommunicatis, etiam vitandis, administrata sunt valida, si concurrant omnia necessaria ad substantiam sacramentorum, quia valor sacramenti non pendet a fide et probitate ministri, ut probant theologi. At excipi debet pœnitentiæ sacramentum, ad quod requiritur jurisdictio, quam non habet excommunicatus. Tamen in articulo aut periculo mortis, excommunicatus, etiam vitandus, valide administrat sacramentum pœnitentiæ, quia ex conc. Trid., sess. 14, c. 7, in hoc casu omnes sacerdotes habent jurisdictionem. In eodem periculo mortis licite ab excommunicato administratur baptismus; imo, in illo casu, sacerdos excommunicatus probabilius præferendus esset laico in administratione baptismi, quia in casu necessitatis cessat prohibitio, et ideo sacerdos prærogativam suæ ordinationis recuperat. Nequit tamen solemniter baptizare, cum remaneat minister necessitatis.

Idem dicendum est de Eucharistia ac de pœnitentia, saltem si sacramentum pœnitentiæ non potuisset administrari : in periculo mortis et deficiente alio sacerdote, excommunicatus vitandus posset illud sacramentum administrare per modum viatici. Nam, licet Eucharistia non sit sacramentum necessitatis, est tamen necessarium ex præcepto divino, quod fortius obligat quam præceptum ecclesiasticum. Si tamen moribundus recepisset sacramentum pœnitentiæ, non constat tunc excommunicatum vitandum posse Eucharistiam administrare, quia non est obligatio suscipiendi, nisi debito modo possit administrari. Tandem excommunicatus vitandus posset etiam conferre sacramentum extremæ unctionis infirmo qui non potuit alia sacramenta recipere, quia hoc sacramentum fit simpliciter necessarium ad salutem, cum possit facere hominem de attrito contritum. Ita communiter DD. cum Suarez, Bonacina, etc.

Excommunicatus *toleratus* potest licite administrare omnia sacramenta, quando fideles petunt ea sibi ministrari, dummodo tamen per ipsum non stet quin absolvetur a censura, et contritionem præmittat administrationi. Ratio est, quia dum Ecclesia illum tolerat, videtur concedere communicationem cum ipso, etiam in sacramentis suscipiendis. Quando ergo fideles licite petunt, potest excommunicatus licite ministrare sacramenta :

eo ipso quod fidelibus conceditur communicatio, necesse est quod ministranti non sit prohibita talis communicatio. Ita etiam communiter.

Peccaret tamen excommunicatus, si sponte sua absque necessitate se ingerat ad sacramenta ministranda, quia in const. *Ad evitanda* nullus favor excommunicatis conceditur, et ideo nulla eis permittitur communicatio sive in sacris, sive in humanis, cum fidelibus.

2° Quoad *passivam participationem* sacramentorum, peccat mortaliter excommunicatus, si sacramentum aliquod recipiat, etiamsi occulta sit excommunicatio, nec sit vitandus, quia ageret contra præceptum grave Ecclesiæ. Si sacramentum ordinis recipiat, remanet suspensus ab exercitio ordinis sic suscepti.

Quamvis graviter peccet excommunicatus recipiendo sacramenta, valide tamen recipit, ut constat ex supra dictis. Excipitur sacramentum pœnitentiæ; nam cum illud sacramentum pro materia contritionem pœnitentis habeat, quæ stare nequit cum voluntate sponte et absque ulla necessitate recipiendi sacramentum pœnitentiæ, fit ut sacramentum illud sit invalidum. Sed in casu necessitatis, ob mortis periculum vel ad vitandam infamiam, scandalum, aut etiam propter ignorantiam, esset validum et licitum.

c) Tertius effectus excommunicationis est *privatio divinorum officiorum et rerum sacrarum.* 1° Excommunicatis, tam toleratis quam vitandis, prohibita est omnis communicatio cum aliis in rebus divinis (c. *Responsio* et c. *Nuper,* h. t.; c. *Alma,* h. t. in 6°). Unde peccat mortaliter excommunicatus si ante absolutionem missam audiat aut aliis divinis intersit, nimirum publicæ recitationi horarum canonicarum, benedictioni cinerum, palmarum, etc., solemniter factæ, publicis processionibus, aut si comitetur Eucharistiam, quando hæc infirmis defertur. Tamen posset excusari ob ignorantiam vel necessitatem vitandi scandali, vel ob aliam justam causam.

Sequitur quod excommunicatus non audiens missam in die festo non peccat, cum teneatur abstinere. Hoc verum est, etiamsi culpabiliter negligat sibi procurare absolutionem, dummodo id non faciat ex fine non audiendi sacrum; nam vi præcepti audiendi missam non tenetur auferre impedimenta.

Excommunicatus missam audiens, licet peccet mortaliter contra prohibitionem Ecclesiæ, nullam tamen pœnam incurrit, cum nulla in jure sit lata. At vitandus, qui admonitus a sacerdote ut exeat ab ecclesia, nolebat exire, novam aliam incurrebat excommunicationem Papæ reservatam, ex c. *Eos,* h. t., et Clem. 2ª, eod. tit.; sed hæc excommunicatio non videtur renovata in constitutione *Apostolicæ Sedis*.

2° Si excommunicatus vitandus velit assistere missæ et divinis officiis, monendus est ut exeat; si non vult exire, posset expelli, vi adhibita, quamvis sit clericus, quia hoc fit ad defensionem jurisdictionis ecclesiasticæ (c. *Veniens,* h. t.). Si autem nec precibus, nec vi expelli potest, cessare deberent clerici ab officio, sacerdos a sacrificio, saltem si nondum facta est consecratio; si autem hæc facta sit, finiendum est sacrificium usque ad communionem inclusive, quia integritas sacrificii est de jure divino; post communionem discedere debet sacerdos, relictis aliis orationibus et precibus (c. *Is qui,* h. t.). Adstantes etiam debent recedere ab ecclesia, excepto ministro inserviente; secus, communicarent in divinis cum vitando.

Tamen non sufficeret ut excommunicatus vitandus sit in ecclesia quasi materialiter, sed requiritur ut missæ censeatur interesse : unde si in ecclesia saltem transeunter esset, vel in loco distanti ab altari, sacerdos non teneretur missam intermittere, nec fideles discedere.

3° Excommunicatus quilibet non teneretur ad publicam horarum canonicarum recitationem, si ratione officii, beneficii aut professionis ad hoc obligaretur: eadem est ratio ac de missa in festis audienda. At non deobligatur a recitatione privata, quum ejus recitatio nullam importet communicationem in divinis.

Verum excommunicatus, privatim recitando, non debet dicere *Dominus vobiscum,* sed loco illius dicat *Domine, exaudi orationem meam;* nam priora verba pertinent ad personam diaconi et sacerdotis, ut personæ publicæ, et communicationem cum aliis fidelibus significant. Tamen, si ea proferat, peccat venialiter, cum materia sit levis; secus, si illas voces publice et solemni ritu proferret, quia tunc exerceret actum ordinis sacri, et peccaret mortaliter atque incurreret irregularitatem. Ita Bonacina, Palaus et alii.

4° Non est prohibitum excommunicato, etiam vitando, ingredi ecclesiam, ibique morari et preces privatas fundere seorsim ab aliis fidelibus, quia nullum exstat præceptum excludens excommunicatum ab ingressu ecclesiæ, quando divina officia non celebrantur. Potest sumere aquam benedictam, uti imaginibus et aliis similibus rebus sacris ; verumtamen non participat fructum quem aqua illa habet ex benedictione Ecclesiæ.

Licite potest assistere concioni, lectioni theologiæ, nec tunc alii fideles tenentur recedere. Nam in hoc non fit communicatio, cum unusquisque ex audientibus seorsim audiat. At non posset vitandus concionari vel legere theologiam, quia tunc audientes cum eo communicarent. Verum toleratus potest, saltem ad petitionem fidelium, concionari et legere, ut constat a fortiori ex supra dictis de administratione sacramentorum.

Imo excommunicatus, privatim recitando officium, posset aliquando adhibere socium non excommunicatum, et alias prohibitio socium adhibendi non excommunicatum est sub levi tantum. Quælibet ergo necessitas vel utilitas excusaret ab omni peccato : sic episcopus posset vocare capellanum suum. Ita etiam communiter DD.

5° Excommunicatus privatur etiam *ecclesiastica sepultura,* et de hoc effectu plura sunt dicenda. Imprimis notandum est quod excommunicatus sepultura ecclesiastica privatur, etiamsi decesserit cum signis contritionis exhibitis, et, quantum est ex se, quæsierit absolutionem : constat ex c. *Sacris, de Sepult.,* Clem. 1ª, eod. tit.; c. *Quicumque, de Hæret.*, in 6°, etc. Unde non potest excommunicatus sepeliri in loco sacro, antequam absolvatur : ita communiter DD. Per locum sacrum venit ecclesia, cœmeteria, claustra et alia loca deputata ex benedictione episcopi aut communi usu fidelium ad divina officia recitanda vel ad sepulturas fidelium (c. fin., *de Censur. eccles.*). Et si forte contingat corpus aliquod excommunicati vitandi sepultum fuisse in loco sacro, tunc si discerni possit ab aliis, extumulandum est et procul projiciendum. At si non posset discerni, ac proinde extrahi, cœmeterium remanet pollutum, et eget reconciliatione. Si ante mortem ille vitandus dedisset signa pœnitentiæ, non esset exhumandus, sed absolvendus a legitimo superiore, ut illius ossa non projiciantur. Ita communiter DD.

In titulo XXVIII libri III (§ III, n. 3), diximus, cum sententia probabiliore et in praxi magis recepta, excommunicatos toleratos non excludi a sepultura ecclesiastica.

Verumtamen, si excommunicatus toleratus decedat impœnitens et sine signo contritionis, debet privari sepultura ecclesiastica, cum censeatur mori in illo peccato mortali propter quod fuit excommunicatus, seu reputatur peccator publicus.

Olim sepelientes excommunicatum vitandum in loco sacro incurrebant excommunicationem ; hodie, ex jure constit. *Apostolicæ Sedis*, soli « mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos », incidunt in excommunicationem nemini reservatam. Agitur ergo tantum de illis qui, auctoritate qua pollent exhibita, jubent aliquem sepeliri in loco sacro.

d) Quartus effectus excommunicationis est *privatio beneficiorum*. Juxta communem sententiam, excommunicatio non privat excommunicatum beneficiis ante excommunicationem legitime obtentis, nam jura solum irritant collationem factam excommunicato ; porro jura illa, ut odiosa, sunt stricte interpretanda. Sed reddit inhabilem ad alia obtinenda, ita ut omnis collatio sit ipso jure nulla et invalida in utroque foro (cap. *Postulasti*, *de Cler. excomm. ministr.*). Ratio est, quia beneficium datur propter officium quod ab excommunicato exerceri nequit. Et hoc intelligitur etiam de tolerato, quia, etsi fideles non teneantur illum vitare, tamen ille nequit se fidelium communioni ingerere.

Nomine collationis venit omnis electio, præsentatio, nominatio, permutatio, etc. Inde si collatio, electio, etc., esset facta tempore quo quis est excommunicatus, remaneret nulla, etiamsi acceptatio non fiat nisi post obtentam absolutionem, nam collatio fuit ab initio nulla, ac proinde non convalescit per absolutionem postea secutam.

Secus si esset facta ejusmodi collatio a Pontifice cum scientia excommunicationis incursæ ; tunc censetur velle excommunicatum reddere habilem ad beneficium ; si autem collatio facta esset modo ordinario, non valeret, cum excommunicatus sit inhabilis ad obtinendum aliquod rescriptum Summi Pontificis. Sed hoc præstare nequit episcopus, qui non potest reddere habilem, nisi mediante absolutione excommunicationis.

Excommunicatus est etiam incapax pensionis quæ datur ob aliquod munus spirituale exercendum, nam est incapax officii ob quod daretur. Ita communis sententia; idem enim dicendum de pensionibus spiritualibus ac de beneficiis. Tamen si ageretur de pensione data resignanti beneficium, lite pendente, etc., non consentiunt DD., quorum alii affirmant, alii negant.

Sed utrum privetur ipso jure fructibus grossis beneficii legitime accepti ante excommunicationem? Neg., seu idem dicendum ac de ipso beneficio: cum hæc pœna privationis fructuum sit gravissima, non est imponenda nisi expressa sit in jure. Porro c. *Pastoralis*, quod afferri posset contra illam conclusionem, intelligi debet de subtractione per sententiam judicis, ut habet glossa et communiter DD. Quoad distributiones quotidianas, aliter dicendum est, quia dantur tantum præsentibus publicæ persolutioni divinorum officiorum.

e) Quintus effectus excommunicationis est *privatio jurisdictionis ecclesiasticæ*. 1° Certum est excommunicatum privari jurisdictione ecclesiastica, in utroque foro, ita ut licite eam exercere non possit (c. 24, *de Sent. et re judic.*; c. 1, *de Suppl. negl. præl.*, in 6°, etc.). Ratio est, quia jurisdictionis exercitium est præcipua communicatio cum fidelibus.

2° Dubium est, an hæc jurisdictio sit omnino adempta? Est certo adempta excommunicato vitando, ut docent omnes CC. et colligitur ex can. 4, causa 24, q. 1; c. 24 h. t. Ratio est, quia nulla remanet communicatio; porro jurisdictio est præcipua ac nobilior communicatio. Unde illi excommunicati nequeunt alium excommunicare, neque beneficia conferre, neque eligere, nisi agatur de electione Summi Pontificis, quæ nulla censura potest infirmari. At excommunicatus toleratus valide eam exercet, nisi contra ipsum excipiatur: ita Navarr., Pirh., Laym. cum communi. Cum Ecclesia permittat fidelibus communicationem cum excommunicatis toleratis, tum in divinis, tum in humanis, debet conservare in istis jurisdictionem, ut sint apti ad hanc communicationem. Tamen actus essent illiciti, si absque necessitate exercerentur, ut advertit S. Lig. (*l. c.*, n. 185).

Verum si fideles objiciant excommunicationem ut repellant excommunicatum, actus illius essent nullius roboris: constat ex eod. cap. 1, *de Except.*, in 6°. Ratio est, quia excommunicato

tolerato nullus fit favor per constit. *Ad evitanda* Martini V; unde fideles contra excommunicatum excipere possunt.

f) Sextus effectus est *privatio communicationis in civilibus,* scilicet in forensibus, in politicis, seu in contractibus, negotiis, officiis publicis, etc., et in civilibus specifice sumptis (ut sunt cohabitatio, convivia, etc.).

1° Omnes excommunicati privantur communicatione forensi, nempe, omni actu pertinente ad judicium ecclesiasticum quodlibet, tam civile quam criminale; itaque excommunicatus nequit esse judex, actor, advocatus, tabellio, procurator, vel testis. Constat ex dictis in lib. I et II. Hæc omnia intelligenda sunt de excommunicato vitando, cujus actus essent irriti. Sed si excommunicatus toleratus est, valeret actus, nisi ipse repellatur, opposita exceptione. Excipiuntur tamen actus qui scripturam requirunt ut sint validi : excommunicatus nequit eis dare firmitatem et perpetuitatem quam expostulant. Unde hoc casu judices tenentur repellere non solum excommunicatos vitandos verum etiam toleratos, quando isti sunt notorii, licet nemo contra eos excipiat.

Sed reus non arcetur a judicio, etiamsi excommunicatus vitandus sit, ex cap. 7, *de Judic.*, quia secus ipse a sua nequitia commodum reportaret; hinc potest se defendere, seu testes et instrumenta producere.

2° Excommunicatio privat officiis publicis, cum privet communione fidelium. Sed in hoc nonnullæ sunt difficultates. Officium tutoris, curatoris, etc. probabilius exercet valide, cum tale officium constituatur, non in utilitatem publicam, sed in privatam; porro quæ in utilitatem privatam constituuntur, irrita non sunt, nisi excipiantur.

Parochus excommunicatus vitandus valide assistit in contractu matrimoniali, quia hæc assistentia, etsi fiat auctoritate publica, non est actus jurisdictionis. Imo talis excommunicatus potest dare licentiam alteri sacerdoti ad assistendum matrimonio, propter eamdem rationem; delegatio est actus dominii, sicut quælibet procuratoris constitutio, non autem actus jurisdictionis.

Prælatus excommunicatus potest valide recipere ad professionem religiosam, quia talis admissio non est actus jurisdic-

tionis; alias femina non posset admittere professionem. Imo, cum, juxta plures, prælatus excommunicatus possit conferre beneficia, si non esset vitandus, a fortiori posset recipere professionem.

3° Excommunicatio privat potestate contrahendi et obligandi civiliter, quia contrahendo cum fidelibus communicatur. Tamen probabilius contractus initi ab excommunicato tempore excommunicationis sunt validi, quia nullus reperitur textus ex quo irritatio illorum contractuum erui possit; equidem legibus interdicuntur, sed non eo ipso irritantur. Tamen si contractus fieret ab excommunicato, ut persona publica, ratione muneris, nullus esset, quia jurisdictio, ad quam pertinet actus, suspensa est (S. Lig., VII, 184).

4° Actiones quibus privatur excommunicatus, dum orbatur communicatione politica, hoc versu comprehenduntur :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os hic indicat osculum pacis, et per extensionem quodlibet benevolentiæ signum, ut collocutionem verbis vel scriptis, receptionem munerum, etc.

Orare indicat quamlibet participationem cum hæretico tum in sacramentis, tum in sacrificio, tum in officiis, etc., ut supra dictum est.

Vale significat salutationem honorificam, qua excommunicatus indignus est. At probabiliter non intelligitur de apertione capitis, vel de illis salutationibus quæ juxta morem sunt potius necessariæ quam voluntariæ; nam non essent signum honoris, et omissio esset signum contemptus. Unde resalutatio videtur legitima, imo et debita ob salutationem. Vide S. Lig., VII, 193, qui plures refert sententias.

Communionis civilis seu politicæ et *mensæ* prohibitio se refert ad quamlibet societatem et communicationem in negotiis peragendis, in habitatione, societate, cooperatione, in convictu, in itinere, in mensa et similibus. Hæc participatio debet esse formalis; nam si casu in eadem domo, itinere vel mensa excommunicatus cum non excommunicato incidat, is non tenetur aufugere, ut docent communiter DD.

At circa illam communionem, varia exsurgunt dubia :

Dub. 1. Communicatio cum excommunicato est peccatum mortale, si fiat in *divinis* et officio divino, saltem publice dicto, quia hæc directe prohibetur ex vi excommunicationis. Item si fiat cum excommunicato nominatim a S. Pontifice; quo casu incurritur etiam excommunicatio, saltem si clericus communicet in divinis (const. *Apostolicæ Sedis,* art. 17, inter excommunicationes simpliciter reservatas). Item etiam, quoad peccatum et excommunicationem, si communicet aliquis in crimine criminoso, seu in crimine ob cujus causam aliquis excommunicatur. Post const. *Apostol. Sedis,* non agitur nisi de communicatione cum excommunicatis nominatim a S. Pontifice, eis impendendo auxilium vel favorem (art 16, inter excommunicationes simpliciter reservatas). Item si participet aliquis cum excommunicato post latam sententiam contra participantes; saltem si statueretur pœna excommunicationis ob participationem. Extra hos casus, culpa esset venialis tantum; tamen disputant TT., an sit mortale frequenter communicare in civilibus cum vitando (Apud S. Lig., *l. c.,* n. 198).

Dub. 2. Aliquando licet communicare cum excommunicato denuntiato : casus enumerantur in sequenti versu :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Utilitas tam spiritualis quam corporalis sive excommunicati, sive fidelium. Ratio est, quia lex ecclesiastica benigna est, nec obligat sub gravi jactura : hinc fidelis potest excommunicatum monere verbis vel scriptis, illi consilium, medicinas dare, cum illo societatem prius institutam continuare, etc.

Lex seu vinculum sive matrimonii, sive societatis domesticæ, excusat : unde conjuges in mensa, gubernatione domus, colloquiis, etc., communicare possunt (c. 3 h. t.); ita et filii, famuli. Pars excommunicata potest etiam debitum petere, quia communicatio permittitur inter conjuges ad vitandum periculum incontinentiæ.

Humile, seu humilitas subjectionis; ex quo capite eximuntur filii, affines erga parentes, servi et ancillæ, ac generatim tota familia erga herum seu dominum, si antea fuerunt in ejus servitio, religiosi quoad superiores, milites erga ducem; et cum dispositio de uno correlativo censeatur dispositio de altero,

sequitur quod parentes, domini, superiores, duces, communicare possunt cum inferioribus.

Sunt tamen quædam distinctiones quoad conjuges : si per divortium sint separati, si excommunicatio lata sit ob dubium valoris matrimonii, vel propter hæresim alterius conjugis, communicatio remanet prohibita. S. Lig. (*l. c.,* n. 202) quærit, an inter conjuges licita sit communicatio in divinis, et sententiam negantem approbat; et, ex altera parte, docet conjugem qui scienter nupsit cum excommunicato, posse deinceps communicare cum illo, quia « lex » indistincte concedit conjugibus facultatem communicandi.

Ignorantia excusat, ut supra dictum est, de censuris in genere.

Necessitas gravis, spiritualis vel temporalis, sive excommunicati sive aliorum; sed requiritur ut hæc necessitas non possit æque bene auferri per alios non excommunicatos.

g) Istis sex proximis effectibus addi possunt tres alii remotiores, quæ veniunt ex insordescentia in excommunicatione. (Vide effectus mediatos apud S. Lig., *l. c.*, n. 157.)

1° Excommunicatus per annum perseverans in excommunicatione, specialiter lata ab homine, fit suspectus de hæresi (c. Trid., sess. 25, c. 3, *de Ref.*). Tamen ante citationem ut se purget ab hac suspicione, illa suspicio censetur levis. Hæc annalis insordescentia

2° Probat delictum seu causam ob quam fuit excommunicatus; inde hæc annua perseverantia æquivalet confessioni in judicio (can. *Rursus,* 36, et can. 37, causa 11, q. 3). Tamen admitteretur ad probandam innocentiam.

3° Excommunicatus triennio perseverans in excommunicatione debet a judice privari omnibus beneficiis, quia indignus est ut fructibus Ecclesiæ gaudeat, qui est rebellis contra Ecclesiam (c. 8, *de Ætate et qualit.*). Imo, ex illo capite judex procedere posset ad pœnam privationis ob annalem perseverantiam.

Nota. *De excommunicatione minori* non agemus, cum, juxta communem interpretum sententiam, sublata sit per constitut. *Apost. Sedis* Pii IX, quæ sustulit « *quascumque* censuras sive excommunicationis, sive suspensionis per modum latæ sententiæ ipsoque facto incurrendas » in hac constitutione non insertas. Incurrebatur propter communicationem cum excommu-

nicato vitando, sive is vivus sit, sive mortuus, ut si funus excommunicati comiteris ad sepulcrum.

Post laudatam constitutionem « communicantes cum excommunicato nominatim a Papa *in crimine criminoso* », vel « clerici communicantes *in divinis* cum ejusmodi excommunicatis », incurrunt excommunicationem majorem simpliciter reservatam.

III. De excommunicatione canonis in specie.

Nota. Non agemus de excommunicationibus in particulari, seu de causis ob quas fertur excommunicatio; nam solent dividi ratione reservationis. Porro recensentur omnes juxta diversum gradum reservationis in constitut. *Apostolicæ Sedis* Pii IX, quæ refertur in calce hujus libri. Superest ergo ut agamus de excommunicatione canonis.

I. *Origo et natura.*—*a*) Excommunicatio canonis fuit introducta can. *Si quis*, 29, causa 17, q. 4, conc. Lateranensi, sub Inn. II : « Si quis, suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit ut in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat ; et nullus episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat. » Ex hoc canone, privilegium clericis concessum appellari consuevit *Privilegium canonis.*

b) Excommunicatio canonis renovatur sub iisdem fere verbis in const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX, excom. 2ª inter generaliter reservatas S. Pontifici. 1° Notandum est etiam, quod in eadem const. Pius IX, per excomm. 5ªm inter specialiter reservatas, ferit illos qui manus injicerent in personas ecclesiasticas dignitate fulgentes, seu « omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, Sedisque Apostolicæ legatos vel nuntios, aut eos suis diœcesibus, territoriis, terris seu dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem. »

2° In utroque articulo const. *Apostolicæ Sedis*, agitur de eodem crimine sacrilegii personalis, cum hac diversitate quod articulus quintus eo spectat ut defendat personam et dignitatem

eorum qui speciali aliqua præeminentia ecclesiastica fulgent, dum secundus personam quamcumque ecclesiasticam defendit. Deinde in primo casu, excommunicatio est speciali modo, dum in secundo, nonnisi generaliter est reservata.

II. *De iis qui fruuntur privilegio canonis.* — In canone concilii Lateranensis, dicitur 1° *in clericum*, et nomine clerici veniunt etiam initiati prima tonsura (can. *Cleros,* 1, dist. 21; c. 11, *de Ætate et qualit.*). Sufficit ergo ordinatio clericalis, etiamsi clericus nullum beneficium habeat, nec privilegio fori gaudeat, aut censuratus et irregularis sit. Cum privilegium sit favorabile, late interpretatur. Tamen excipiuntur degradatus realiter, conjugatus non deferens habitum et tonsuram, bigamus bigamia reali, et non tantum similitudinaria (c. 2, *de Pœn.,* in 6°), exercens officia infamantia, si post trinam monitionem episcopi non resipiscat (c. unic. et Clem. 1ª, *de Vita et honest.*), minoristæ qui dimissis habitu et tonsura arma militaria portarent, aut aliis officiis sæcularibus se immiscerent, si post trinam monitionem non resipiscant (c. 25, 45 h. t.).

Dicitur 2° *vel monachum.* Hoc nomine intelliguntur utriusque sexus religiosi, conversi et novitii (c. 10, *de Monialibus,* h. t., et c. 20 h. t. in 6°), equites Malitenses (c. 50 h. t.), tertiarii S. Dominici et S. Francisci, si voto aliquo edito, gerant habitum religionis et in commune vivant, ut docent communiter DD.; tamen, juxta plures, sufficeret ut in commune vivant et habitum religionis gerant, etiamsi nullum votum emittant (S. Lig., *l. c.,* n. 271). Item eremitæ sub obedientia et approbatione episcopi, pacto vel voto, alicui sacro loco vel ædiculæ addicti.

III. *Subjectum legis.* — *a*) Hac lege excommunicationis comprehenduntur omnes et singuli fideles, utriusque sexus, quavis auctoritate fulgentes; nam vox *si quis* est universalis et omnes comprehendit, adeoque excommunicationem illam incurrunt:

1° Pueri et in minori ætate constituti, modo rationis usum perfectum habeant (c. 6 et c. fin. h. t.);

2° Qui percutit clericum in sui percussionem consentientem, cum agatur de favore publico, qui ipsi ordini clericali datus est;

3° Qui actionem graviter injuriosam exercet in defunctum, quia talis injuria redundat in statum clericalem (c. 4 h. t.).

b) *Varia dubia* circa subjectum legis. 1° Hæc pœna extenditur-

ne ad mandantes, consulentes, seu generatim cooperatores, si ex vi mandati, consilii, favoris vel generatim auxilii subsecuta sit percussio? Olim certo comprehendebantur, ex c. 6, 47 h. t. et 23 h. t. in 6°. Sed in const. *Apostol. Sedis* nulla fit mentio eorum, nisi art. 5. Tamen cum excommunicatio 2ª illius constitutionis constet ipsissimis verbis can. *Si quis suadente,* posset eodem modo intelligi : quapropter probabiliter excommunicatio extenditur ad omnes qui physice vel moraliter ad percussionem clerici concurrunt. Qui putant illam excommunicationem non se extendere ad mandantes, consulentes, etc., innituntur tum scopo cit. const. tum stricta interpretatione verborum. Consulentes non evitant pœnam revocatione consilii, si hæc revocatio non fuerit efficax, seu non sustulerit totum influxum in actionem.

2° Qui ratam habuit percussionem, incurrit probabiliter excommunicationem, si percussio nomine illius facta fuit, si facta est illo tempore quo posset illam mandare, et tandem si ratam habuit per aliquod signum externum. At plures verius negant.

III. *Requisita ex parte delicti.* — *a*) Ex parte actionis in se seu objective spectatæ, requiritur ut sit *manuum injectio.* Sed hæc verba, licet in materia odiosa seu in re pœnali, semper sibi vindicarunt latam interpretationem, quia continent insigne privilegium ecclesiasticum (S. Lig., l. VII, n. 273). Hinc significant quamcumque injuriam externam, gravem et realem, quæ cadat in personam ecclesiasticam vel in rem eidem adhærentem, nocumentum afferendo vel *corpori,* vel *libertati,* vel *dignitati* ejusdem personæ privilegiatæ. Tamen excommunicationem non incurrit qui solum verbis contumeliosis clericum afficit; item qui vibrat baculum, gladium, volens percutere, et non tamen percutit, quia v. g. clericus ictum declinavit. Sed per manuum injectionem, intelligitur actio violenta non modo in personam, sed in adhærentia personæ, ut si per injuriam, pulverem, salivam, aquam in clericum projicias; si ad frenos equi manum adhibeas, si vestimenta arripias etiam sine læsione, si potum veneno infectum porrigas, saltem si venenum noceat (L. Lig., *l. c.*, n. 280), vel personam cogas se præcipitare in flumen, etc. Ita communiter DD.

Debet esse hæc manuum injectio *violenta,* seu requiritur ut

vis personæ inferatur, nempe prohibetur sola violentia exterioris manus personæ facta. Quando casualis est, etsi homicidium sit ac mortaliter peccaminosum, excommunicatio non incurritur. Sic quoad actionem externam.

b) *Suadente diabolo.* Hic ostenditur qualis esse debeat actio ex parte percutientis, seu subjective spectata. Hæc ergo actio clerico injuriosa debet procedere ex pravo animo ac deliberata hominis voluntate, ita ut nullo pacto percussor a gravi culpa possit excusari. Cum excommunicatio major quæcumque sit pœna gravissima, non potest imponi, nisi delictum sit ei proportionatum, seu mortaliter peccaminosum.

Hinc si percussio sit, tum secundum se, tum respective, levis et talis ut peccatum veniale non superet, percutiens immunis erit ab excommunicatione, v. g. si quis clericum percuteret in motu primo-primo, vel in joco.

Causæ excusantes ab hac excommunicatione incurrenda.

a) Ex circumstantia « personæ percussæ vel percutientis », excusantur plerumque clerici pueri rixantes et se invicem pugno percutientes, quamvis sanguis effluat e naribus; quia generatim levis censetur hæc injuria inter ipsos. Tamen potest esse percussio et injuria gravis; et hoc colligitur ex circumstantiis.

Excusatur etiam qui, ex mandato prælati, capit clericum, nisi eumdem non resistentem percutiat calce, pugno vel alio modo. Idem dicendum est de officialibus qui reperientes clericum de nocte, quem probabiliter timent commissurum delictum, eumdem capiunt ut præsentent prælato.

Item prælatus qui clericum subditum, quamvis iste sit in sacris constitutus, correctionis et disciplinæ causa percutit; idem de pedagogo. Sed requiritur ut correctio sit proportionata delicto, seu ut non sit notabilis excessus.

b) Ex modo « percussionis » excusatur etiam qui ex subita passione, animo non plene advertente, v. g. in ludo, socium suum clericum percutit, maxime si ab hoc prius percussus fuerit. Ita communis sententia. Item qui, ignorans probabiliter esse clericum, eum percusserit, etiamsi percussio sit graviter injusta; nam non propter percussionem injustam, sed propter percussionem sacrilegam et statui clerico injuriosam, excommunicatio statuitur.

Item qui ad defensionem sui vel alieni honoris, corporis, famæ, bonorum fortunæ, clericum agressorem percutit, dummodo non excedatur moderamen inculpatæ tutelæ. Idem dicendum si inveniret clericum turpiter agentem cum mulieribus conjunctis in primo et secundo gradu.

c) An pater et alii propinqui ecclesiasticos sibi subditos punire possint ? Affirmant communiter DD. si clerici sint in minoribus tantum constituti et percussio sit moderata, ex c. 54 h. t. Quoad clericos sacris initiatos, duplex est sententia : prima affirmat, quia per susceptionem ordinis sacri filius non eximitur a disciplina patris, nec solvitur jus naturale quo paterfamilias potest corrigere delinquentes ex sua familia : ita S. Anton., Navarr., Bonac., etc. Secunda sententia negat, tum quia canon *Si quis suadente* est omnino generalis, tum ex paritate cum senioribus clericis qui, ex officio deputati, possunt corrigere clericos in minoribus constitutos qui sacra turbant, non autem in sacris constitutos : ita Molina, Barbosa, etc. (Vide tit. XXV).

IV. *Quis absolvere possit* ab excommunicatione canonis?

a) Oportet in primis distinguere inter diversa genera percussionum ; nam alia est percussio enormis seu atrox, alia gravis seu mediocris, alia levis, sic dicta, non quia culpam mortalem non attingat, nam excommunicatio requirit culpam mortalem, sed comparatione aliarum percussionum.

Est *enormis* seu atrox, quando est ad mortem, mutilationem membri, grave vulnus, magnam sanguinis effusionem, non tamen e naribus, etc. Posset etiam esse enormis ratione dignignatis personæ, scandali, etc. ut infra dicetur.

Gravis, quæ contusiones producit, aut vulnus leve cum notabili sanguinis effusione, vel qua dens extrahitur, capillorum copia evellitur, etc.

Levis, quæ fit pugno, palma manus, pede, non facientibus vulnus nec relinquentibus maculam vel sigillationem carnium, vel effractionem dentium, etc. (Vide S. Lig., *l. c.,* n. 277).

Tamen percussio quæ respectu unius est levis, potest esse gravis respectu alterius : sic percutere episcopum, superiorem, judicem, aut alium in dignitate constitutum, est injuria gravis. Inde percussio eadem potest etiam esse gravis vel levis, spectatis circumstantiis loci, temporis, etc. : sic percutere in loco sacro

vel sacris vestibus indutum; item etiam percussio in ore, oculo facie, censetur gravior. Quapropter ex judicio prudentium definiri debet an percussio fuerit levis, gravis vel enormis.

b) Ad quæstionem propositam respondetur quod, seclusa speciali delegatione, solus Pontifex Romanus potest absolvere, cum hæc excommunicatio sit reservata. Sed spectatis variis delegationibus, hæc stabiliri possunt :

1° *Legatus a latere* potest absolvere a quacumque percussione, etiam publica et enormi (c. *Ad eminentiam*, h. t.).

Legatus missus a Papa in aliquam provinciam potest etiam absolvere a quacumque percussione : constat ex cap. penult., *de Officio legati.*

2° *Episcopi et ordinarii* absolvere possunt, si percussio *occulta* fuerit, ex facult. conc. Trid., s. 24, cap. *Liceat, de Ref.*), dummodo non agatur de personis in dignitate constitutis ac in art. 5, 1ª sect., const. *Apostolicæ Sedis* comprehensis; item si *levis* tantum, etiamsi publica sit, ex communi sententia quæ fundatur in c. *Pervenit*, h. t.; item si fuerit facta a muliere, quamvis publica et enormis, juxta communem sententiam, quæ nititur c. *Mulieres*, h. t.; si percussio facta fuerit ab eis qui collegialiter vivunt, ut puta clericis in seminario, dummodo percussio non sit plane enormis : eruitur ex c. *Quoniam de vita et honest. cleric.*; si percussio fuerit facta ab eo qui nondum pubertatis annum attigerit, licet pubertate adepta, absolutionem imploret (c. *Pueri*, h. t.); denique quoties percussio facta est ab eo qui reapse impeditur quominus personaliter Romam proficiscatur ad impetrandam absolutionem ab Apostolica Sede; quia cum taliter impeditis episcopus absolvere potest ab omnibus censuris, ut supra diximus. Sed tunc absolutio datur *absolute*, vel *ad reincidentiam*, vel *ad effectum* tantum, pro qualitate et gradu impedimenti.

Notandum est, cum communiori sententia, quod in dubio an percussio sit levis vel gravis, reputanda est gravis, ex extrav. *Perlectis*; quia Ecclesia vult tollere omnem lædendi occasionem et excusationem.

§ II. *De suspensione.*

I. Quid et quotuplex sit suspensio?

a) *Natura suspensionis.* 1° Suspensio, prout hic sumitur, est censura ecclesiastica, qua *minister Ecclesiæ formaliter impeditur ne functiones ecclesiasticas exerceat, et aliqua potestate utatur*. Differt ab excommunicatione, quia privat functionibus ecclesiasticis, non ut sunt communicationes cum fidelibus, sed ut usus potestatis ecclesiasticæ provenientis ex officio vel beneficio. Differt ab interdicto, cum hoc privet receptione aliquorum sacramentorum, ecclesiastica sepultura et officiis divinis.

b) *Varietas.* Suspensio est triplex : 1ª est ab *officio,* qua minister Ecclesiæ removetur ab exercitio jurisdictionis vel ordinis; 2ª est *a solo beneficio,* qua clericus, intacta ordinis et jurisdictionis potestate, jure percipiendi fructus privatur; 3ª est *ab officio simul et beneficio*, qua personæ ecclesiasticæ adimitur exercitium potestatis ordinis et jurisdictionis, et perceptio fructuum beneficii. Suspensio absolute lata et sine discrimine, intelligitur de hac tertia specie, seu de adæquata suspensione, ut docent communiter DD.

Dividitur etiam in *partialem* et *totalem,* sive simpliciter, sive secundum quid. *Totalis simpliciter* est simul ab officio et beneficio; *totalis secundum quid*, si officio tantum, vel beneficio tantum, sed universim sumpto, privat, seu prout officium complectitur potestatem ordinis et jurisdictionis atque administrationem ecclesiasticam, et prout beneficium accipitur quoad ejus administrationem et fructuum perceptionem.

Partialis est quæ certo quodam officio aut parte illius, vel jurisdictione tantum, vel certo actu jurisdictionis, privat.

Potest etiam esse *absoluta*, seu absque ulla temporis determinatione, vel *determinata*, seu pro determinato tempore. Sed hæc ultima proprie censura non est, sed potius delicti pœna, et ideo, elapso tempore, cessat absque alia absolutione. Est etiam a jure vel ab homine.

II. A quo, cui et ob quam causam ferri possit suspensio?

a) *Potestas ferendi illam censuram.* 1° Suspensionem ab homine fert generatim is qui potestatem habet excommuni-

candi. Olim episcopus licite non poterat sine consensu capituli ferre suspensionem in presbyteros præsertim, c. 1 (*de Excess. prælat.*). Sed hæc dispositio consuetudine abrogata est.

2° An nullus alius, nisi clericus, ferre sententiam suspensionis possit? Respondeo affirm., juxta superius dicta *de cens. in genere*.

b) *Subjectum suspensionis*. 1° Suspensio proprie dicta non potest cadere nisi in clericos; quia suspensio necessario debet versari circa officium et beneficium ecclesiasticum, cujus incapaces sunt laici.

2° Hoc intelligi debet de quolibet clerico, etiam dignitate ecclesiastica fulgente. Excipitur tantum Romanus Pontifex. Unde hac censura feriri possunt etiam episcopi, saltem quando de ipsis fit expressa mentio ; nam quando decretum suspensionis est generale, illo non comprehenduntur episcopi, juxta c. 4 h. t. in 6°, et hoc privilegium intelligitur etiam de interdicto. Religiosi, si clerici sint, feriri possunt hac censura ; si non essent clerici, non essent capaces hujus censuræ.

3° Suspendi potest communitas clericalis, quia nihil obstat, absolute loquendo, ut supra dictum est (III, *de Subj. cens.*, n. 3). Verum, si simpliciter fertur, non afficit singulas personas distributive, secundum ipsorum particularia ministeria, sed afficit communitatem, id est, personas communitatis, prout constituunt unum corpus, secundum officia et beneficia illis communia. Si autem feratur in communitatem et singulas ipsius personas propter culpam particularem, tunc non afficit personas innocentes, sed solum delinquentes, et sic innocens, cessante scandalo, potest se gerere ac non suspensum (cap. *Spe, de Elect.*, in 6°).

d) *Causa* ob quam fertur suspensio. 1° Si agatur de suspensione, prout communiter sumitur, neque a judice ob culpam levem infligi potest, neque a jure ob eamdem talem imposita est. Ratio est, quia hæc censura ex se grave malum est : communis sent. 2° Nequit ferri ob culpam alienam, prout proprie pœna est privans jure quæsito proprio, quia iniqum est innocentem pœnas nocenti debitas sustinere. Colligitur etiam ex c. 2, *de Const.*, etc.

III. Sub qua forma ferri possit ac debeat suspensio?

Forma servanda in ferenda suspensione. 1° *Monitio* præcedere debet, quia Ecclesiæ constare debet de contumacia et inobedientia delinquentis. Sed hoc intelligendum est de suspensione per modum censuræ proprie dictæ, seu quæ infertur ad correctionem delinquentis; nam si feratur in pœnam delicti commissi, monitione non indiget, ut constat ex c. *Tam litteris*, 33, *de Test. et attest.*, et colligitur ex c. *Romana*, 5, h. t. in 6°, ubi post factam mentionem excommunicationis, suspensionis et interdicti, subditur de sola excommunicatione eam nunquam ferri sine monitione ; ergo tacite indicatur suspensionem et interdictum aliquando sine monitione ferri posse. Ita Schmalzgrueber, n. 288; Giribaldi, *de Suspens.*, dub. 1, etc.

2° Ferri debet *in scriptis*, et exprimi ibi causa ob quam imponitur, insuperque instrumentum dari debet suspenso, si illud postulet : eruitur ex cap. 1 huj. t. in 6°. Judex hanc constitutionem temere violans, per mensem ab ingressu ecclesiæ et officiis divinis suspenditur, et posset a superiore condemnari ad expensas et omne interesse.

IV. Qui sunt effectus?

a) Effectus suspensionis *ab officio*. 1° Suspensio illa potest ferri *absolute*, et tunc accipitur de omni officio tam ordinis quam jurisdictionis, ut jam supra dictum est ; potest ferri *determinate* in aliqua materia, et tunc non extenditur ultra illam materiam. Itaque suspensus ab ordine non est suspensus a jurisdictione; imo suspensus ab ordine superiori, non ideo suspensus est ab ordine inferiori : sic episcopus suspensus ab ordine episcopali potest omnes actus ordinis sacerdotalis exercere; vicissim suspensus ab ordine inferiori non inde prohibetur ab exercitio ordinis superioris, nisi actus istius actum ordinis inferioris a quo suspensus est, includat, ut actus cantandi evangelium includitur in celebratione missæ. Ratio horum omnium est, quia pœnæ sunt restringendæ. Porro effectus suspensionis non sunt jure communi connexi, sicut effectus excommunicationis; quapropter solus Papa potest separare effectus excommunicationis, dum in suspensione attendi debent

verba juris aut judicis, ut suspensio restringatur ex proprietate verborum ad effectum expressum.

2° Sequitur quod suspensus absolute ab officio, seu ab omni officio, non potest administrare sacramenta, nec celebrare missam, neque indulgentias concedere, neque eligere, neque eligi ad beneficium ecclesiasticum quod datur propter officium, quia hæc omnia pertinent ad officium clericale. Sed potest recipere sacramenta, ingredi ecclesiam, assistere divinis officiis, canere in choro more laicorum; probabilius vocem habet in capitulo, cum hic actus non sit exercitium ordinis nec jurisdictionis, cum feminæ aliquando vocem habeant.

Dubium est, an suspensus ab officio eo ipso suspensus sit a beneficio? Ratio dubitandi est, quia beneficium est accessorium officio. Sed communis sententia negat, et ratio est evidens, quia aliquando fertur suspensio ab officio, aliquando a beneficio, aliquando ab utroque; porro hæc distinctio non fieret, si suspensio ab officio includeret suspensionem a beneficio.

b) Suspensio a *beneficio* non privat beneficio, sed tantum illius fructibus, ex comm. sentent. Hinc onera beneficii apud suspensum manent, cum illa consequantur, non ex fructibus perceptis, sed ex beneficio.

Si hæc suspensio sit absolute lata, suspendit beneficiarium ab omnibus beneficiis quæ actu possidet, nisi contrarium clare colligatur ex circumstantiis. Idem plane dicendum ac de suspensione absoluta ab officio.

Dubium exsurgit circa illos fructus quibus privat suspensio. Sed in primis privat distributionibus quotidianis quæ proveniunt ex beneficio. Secus si ex particulari fidelium fundatione; nam in primo tantum casu sunt proprii fructus beneficii. — Privat administratione beneficii, ut colligitur ex c. 16, *de Elect.*, in 6°, et constat eo quod hæc administratio est usus beneficii. At non privat potestate eligendi vel conferendi, ut colligitur ex c. 7, *de Elect.*, in quo ultra suspensionem a beneficiis additur privatio potestatis eligendi, quæ potestas alias non est usus beneficii. Tandem si in pœnam delicti commissi lata sit, non privat iis fructibus qui sunt necessarii ad suspensi sustentationem; secus si in contumaciam, et suspensus non vellet se liberare a suspensione.

c) *Violatio* suspensionis. 1° Violans suspensionem committit peccatum ex genere suo mortale, quia contemnit Ecclesiæ præceptum et gravem illius censuram. Tamen admittitur parvitas materiæ, seu transgressio potest non esse nisi venialis. Excusaretur etiam a peccato, si ad petitionem fidelium exerceret officium a quo suspensus est, dum a suspensione non potuerit prius absolvi : constat ex extravag. *Ad evitanda* Mart. V; secus tamen si esset denuntiatus : non posset suum officium exercere extra urgentissimas causas.

2° Irregularitatem incurrit suspensus, saltem si suspensio sit vera censura, et non pura pœna vindicativa (Comm. Patav., p. 311; S. Lig., *l. c.*, n. 314), violans suspensionem ab ordine, per solemne exercitium ordinis a quo suspensus est : imo et actus esset irritus, si ab Ecclesia penderet, et ipse suspensus esset denuntiatus. De hoc antea dictum est tit. XXVII. Sed violatio suspensionis a beneficio, jurisdictione, etc., non importat irregularitatem.

V. Modus quo tollitur suspensio.

1° Si suspensio sit lata pro tempore determinato, vel sub aliqua conditione, tollitur dum lapsum est tempus, vel impleta conditio; talis enim erat intentio ferentis, ultra quam progredi nequit suspensio. Ante elapsum tempus vel impletam conditionem, non tollitur nisi per absolutionem aut dispensationem, pro diversa suspensionum natura, nempe prout est vera censura, vel prout vindicativa aut simplex inhabilitas.

2° Si fuerit absolute seu sine temporis determinatione lata et a jure, tunc opus est distinctione : si lata sit ad comprimendam contumaciam alicujus delinquentis, quo casu est vera censura, relaxari potest ab episcopo vel ejus vicario, modo Pontifex absolutionem non sibi reservaverit, et suspensus recesserit a contumacia : constat ex c. 29 h. t. et 11, *de Const.*, et ex comm. sentent. DD. (Illæ suspensiones reservatæ aut expresse enumerantur in const. *Apostolicæ Sedis*, aut renovantur ex concilio Trid.) Si vero lata sit in puram pœnam delicti et publica, multi DD. putant illam relaxari non posse ab episcopo, quia hæc pœna de jure communi esset perpetua; porro episcopus absque delegatione nihil potest in iis quæ sunt juris communis; ex altera parte, conc. Trid. non concessit facultatem absolvendi

a quavis censura, nisi delictum fuerit occultum et ad forum contentiosum non deductum. Tamen benignior sententia est valde probabilis, eamque propugnant Suarez, Layman, Schmalz., qui autumant illam suspensionem non esse in rigore juris perpetuam, alias frustra adderetur « in perpetuum »; porro hæc suspensio absolute lata videtur differre ab illa in qua perpetuitas ipsa exprimitur. At in hac re hodie standum est perspicuis dispositionibus const. *Apostolicæ Sedis*. Prætermittitur ergo casus quo expresse imponeretur in perpetuum suspensio.

3° Si fuerit lata *ab homine*, absolutionem regulariter non dat, nisi is qui illam suspensionem tulit, vel ejus successor aut delegatus. Tamen superior posset valide sententiam ab inferiore latam relaxare; sed extra casum appellationis illicite ageret, cum per talem relaxationem contemnatur auctoritas ferentis.

4° Nulla forma absolvendi a suspensione est ex præcepto seu necessitate determinata ; sufficit ut sine ambiguitate exprimat intentionem absolventis. Communiter usitata est sequens : « Ego te absolvo a vinculo suspensionis ob talem causam, et restituo te exsecutioni ordinis, officio vel beneficio, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Sufficit unica forma ad absolvendum ligatum pluribus suspensionibus.

Si dubia sit suspensio, præstanda est absolutio sub conditione: « Si teneris vinculo suspensionis, absolvo te.... » Hæc absolutio *ad cautelam* est necessaria ut officium exerceatur, et beneficium administrare possit dubie suspensus.

§ III. *De interdicto*.

I. Quid et quotuplex sit interdictum.

a) Interdictum est censura ecclesiastica, privans hominem usu quorumdam sacramentorum, divinorum officiorum et sepultura ecclesiastica, quatenus illa sunt participatio quædam rerum sacrarum. Per ultimam partem definitionis, « quatenus illa sunt.., » interdictum differt ab excommunicatione et suspensione; nam excommunicatio eodem usu privat, in quantum est communicatio cum fidelibus ; suspensio vero, in quantum usus ille est exercitium potestatis ecclesiasticæ. Deinde inter-

dictum potest esse pœna mere vindicativa. Interdicto subjacent etiam laici, dum suspensio est pœna clericorum propria.

b) *Divisio interdicti.* 1° Dividitur in locale, personale et mixtum. *Locale* est, quando prohibetur ne in tali loco celebrentur divina officia; unde immediate afficit locum, in quo non possunt divina officia celebrari, et mediate afficit personas, quæ non possunt in tali loco adesse divinis officiis. *Personale* afficit immediate personas quibus prohibitum est assistere divinis officiis, seu participare divinis in quocumque loco, et ideo mediate afficit locum: interdictum sequitur personam quocumque ierit. *Mixtum* dicitur, quando locus et personæ talis loci immediate interdicuntur : unde interdictum mixtum includit locale et personale simul; vocatur etiam *deambulatorium*, quia afficit non tantum personas, sed quemcumque locum quem illa persona fuerit aggressa, ut constat ex c. 11, *de Spons.*, et c. 1, *de Appell.*

2° Locale et personale dividuntur in generale et speciale. *Locale generale* est quod plura loca sub se continet, ut si interdiceretur locus universalis, ut regnum, provincia, diœcesis; *personale generale* est, quando totus populus civitatis, collegii, interdicitur. Est *speciale locale,* si feratur vel in locum determinatum, ut si una aut plures ecclesiæ determinatæ interdicantur; *speciale personale* illud est, quod in personas particulares fertur, ut in Petrum, Paulum; sufficit ut persona quovis modo sufficiente designetur.

3° Personale iterum est *totale* vel *partiale*, prout comprehendit omnes effectus interdicti personalis, vel aliquos tantum.

II. Quid sub illis interdictis comprehendatur?

a) *Generalis regula.* Cum odia sint restringenda, verba interdicti sunt stricte interpretanda; unde interdicto generaliter populo alicujus civitatis, non intelligitur interdictus clerus, nisi hoc exprimatur; nec, interdicto clero, censetur populus interdictus; nec, sub generali interdicto cleri, comprehenduntur religiosi, qui, licet in favorabilibus veniant nomine cleri, non tamen in materia odiosa.

Sed ut distincte hæc omnia expendantur, quæritur :

b) Quænam *loca* comprehendantur interdicto generali locali?

Resp. 1° Si interdicatur *civitas*, interdicuntur suburbia illius, etsi sint alterius domini et potestatis : ita communiter ex c. 17 h. t. in 6°. Talis est intentio ferentis, qui per « civitatem » intelligit id quod vulgo venit nomine civitatis.

2° Interdicta diœcesi, interdicta etiam censetur ecclesia cathedralis, quia secus enervaretur vis interdicti generalis; nec obstat quod ex c. 4, *de Præbend.,* in 6°, in odiosis nomine ecclesiarum non veniat ecclesia cathedralis, nisi exprimatur; nam, in hoc capite agitur de litteris provisoriis alicujus beneficii. Item censentur interdictæ civitates et omnia loca civitatis, cum diœcesis coalescat ex civitatibus, villis et pagis.

3° Interdicta aliqua ecclesia, interdictæ censentur capellæ illius et cœmeterium contiguum : ex c. 17 h. t. in 6°. Ratio est, quia censentur illius partes. At, interdicto cœmeterio, non censetur interdicta ecclesia.

4° Interdictis terris alicujus domini, comprehenduntur sub hoc interdicto omnes terræ in quas dominium absolutum et plenum ille habet. Venditio illarum terrarum alteri domino non tollit interdictum, quod adjacet terræ. Ita communis sententia apud Schmalzgr., n. 330. In hoc interdicto comprehenduntur templa, ecclesiæ et oratoria ibi existentia, etiamsi exstruantur post interdictum; nam interdictum inhæret loco super quem exstat ipsa ecclesia.

5° Interdictum locale omnes tam sæculares quam regulares, tam incolæ quam exteri, tam exempti quam non exempti, observare tenentur, nisi sint speciali privilegio muniti (c. 4 et c. 10, *de Priv.*, in 6°). Ratio est, quia hæc prohibitio non tam personæ facta sit quam loco, ut in eo non celebrentur divina.

6° Tandem interdictum locale semper secum fert interdictum personale illorum qui causam interdicto dederunt, ita ut isti non possint divina participare, neque in loco interdicto, neque alibi, dum alii qui non fuerunt causæ interdicti, possunt interesse divinis extra locum interdictum (c. 15 h. t. in 6°).

c) Quæ *personæ* comprehendantur sub interdicto personali?

1° Quando generali interdicto subjicitur populus, collegium seu universitas quælibet, illo comprehenduntur omnia populi vel collegii membra, ideoque etiam absentes, innocentes, clerici et religiosi (quoad collegium), si partes sint communitatis,

magnates et duces, nisi privilegio, consuetudine, eximantur.

Excipiuntur autem episcopi, nisi de ipsis fiat expressa mentio (c. 4 h. t. in 6°), infantes doli nondum capaces, et amentes, qui tamen non possunt tradi sepulturæ ecclesiasticæ, ut animadvertunt comm. DD. Excipiuntur etiam qui mutant domicilium seu a papali interdicto recedunt : ita comm. sentent., apud Schmalzg., n. 335. Excipiuntur etiam probabiliter exteri, etsi diu in populo habitent : non videntur subjecti legi interdicti, quæ singulares personas afficit.

2° Interdicto *populo*, clerus non censetur interdictus, nec contra, interdicto *clero*, populus : ratio est, quia verba sunt stricte interpretanda. Sed an, interdicto populo, loca illius populi interdicta sint? Communior sententia negat, quia interdictum personale differt a reali.

Sequitur etiam quod, interdicto clero alicujus ecclesiæ, non hoc ipso talis ecclesia interdicta censetur, ut notat Glossa in c. 16 h. t. in 6°.

III. Causæ interdicti.

a) Causa *efficiens* seu minister interdicti est is qui jurisdictionem in foro contentioso habet regulariter ; qui sententiam excommunicationis et suspensionis ferre potest, etiam interdicere potest. Colligitur ex c. 3, *de Off. ordin.* Sequitur quod in specie interdicere possunt : Summus Pontifex, ejusque legatus, nuntius, delegatus ; episcopus, etiam non consecratus atque hodie sine consensu capituli, et quicumque alii qui jurisdictionem quasi episcopalem habent; capitulum, sede vacante, saltem mediante vicario capitulari. Prælati regulares possunt suos religiosos subjicere interdicto, ut docent multi (Schmalzgr., n. 341). At isti omnes, ut ferre possint interdictum, non debent esse suspensi vel excommunicati ; tamen illicite tantum ferunt, si non sunt denuntiati, invalide autem si sunt denuntiati, cum tunc careant jurisdictione.

b) Causa *finalis* est culpæ emendatio vel punitio. Hæc autem culpa ob quam fertur interdictum, saltem absolutum et integrum, debet esse peccatum mortale, cum hæc censura sit pœna gravissima. Imo generale ferri nequit nisi a S. Pontif., et ob culpam alicujus personæ, nisi hæc persona sit caput commu-

nitatis : comm. sent., Schmalzg., n. 325). Interdictum partiale et ad breve tempus injungi posset ob culpam venialem, juxta plures (Apud Palaum, d. 5, p. 3, § 2, n. 9). Sed an pro delicto a capite vel communitate commisso in retinendo ære alieno, possit ferri interdictum locale speciale? Negant communiter DD., quia hoc videtur contra extrav. 2[am] inter comm. h. t., quæ intelligi debet non minus de speciali quam de generali interdicto.

c) Causa *materialis*, seu forma servanda in impositione interdicti. 1° Ad validitatem nulla requiritur forma specialis; ad licitam impositionem, interdictum ferri debet in scriptis, et ibi exprimi causa ob quam fertur, et exemplar tradi debet parti intra mensem, si petierit : alioquin interdicens ab ingressu ecclesiæ per mensem est ipso jure suspensus.

2° Interdictum locale, ut habeat vim alligandi, debet denuntiari, et observari ab iis in quorum gratiam latum est; alias conseretur Ecclesia remittere : eruitur ex c. 20, *de Privil.*

IV. Effectus interdicti.

a) Quatuor enumerantur, qui omnes incurruntur, si interdictum absolute sit latum :

1° Privatio activa et passiva sacramentorum, ex c. 43 h. t. et c. 6 eod. in 6°; 2° privatio activa divinorum officiorum, ex c. 57 h. t.; 3° privatio activa et passiva sepulturæ ecclesiasticæ (c. 11, *de Pœn. et remiss.;* c. 3, *de Privil.,* et c. 8 eod. in 6°); 4° privatio ab ingressu ecclesiæ (c. 48 h. t., c. 20 eod. in 6°).

b) Quoad primum effectum, certum est 1° quoad *baptismum*, tempore interdicti, illud sacramentum concedendum esse parvulis, ex c. 11, *de Spons.,* imo et adultis sive sanis sive infirmis, ex c. 19 h. t. in 6°. Hæc autem administratio fit solemniter, januis templi apertis, ut docent communiter DD., apud Schmalzgrueber, n. 351. Hinc minister interdicto generali personali subjectus posset administrare baptismum; secus, si specialiter interdiceretur; tunc in casu necessitatis tantum posset baptizare et privatim, seu absque solemnitate.

2° Idem dicendum de *confirmatione* ac de baptismo, cujus est accessorium : iidem DD.

3° Sacramentum *pœnitentiæ* de jure antiquo solis moribundis et peregrinis concedebatur (c. 11, *de Pœn. et remiss.*). Jure

recentiori, conceditur omnibus, modo pœnitens non sit excommunicatus excommunicatione reservata, et non dederit causam interdicto (Reiffenst., n. 20).

4° Sacramentum *Eucharistiæ*, tempore interdicti localis aut personalis generalis, non administratur nisi constitutis in probabili periculo mortis, sive ob infirmitatem, sive ob partum difficilem, navigationem periculosam, etc., dummodo communicandus non dederit causam interdicto, nec fuerit specialiter interdictus. In his ultimis casibus, interdicti deberent prius præstare satisfactionem condignam vel cautionem, saltem juratoriam. Confertur in his casibus solemniter.

Non prohibetur expositio SS. Sacramenti, nec benedictio cum illo, nec delatio ad infirmos (Suarez et alii, apud Schmalzgr., n. 354).

5° *Extrema unctio* in nullo interdicto, locali aut personali, ministrari potest (c. 11, *de Pœn.*, et c. 11, *de Sponsal.*), nisi ad hoc sit speciale privilegium, quale habent religiosi mendicantes. Excipitur infirmus qui nullum aliud sacramentum posset recipere, quia tunc extrema unctio fit moraliter necessaria. Tum præsumitur Ecclesiæ consensus, quæ non vult morituris denegare media necessaria ad salutem.

6° *Ordo* nunquam conceditur personis specialiter interdictis, quia quælibet sacramentorum receptio et administratio personis specialiter interdictis est prohibita. Sed posset dari personis generaliter interdictis in loco non interdicto (c. 43 h. t.).

Verum si aliqua provincia careret sacerdotibus ad ministranda sacramenta pœnit. et Euchar. moribundis, probabilius licita esset ordinatio in loco interdicto : hoc sacramentum fit necessarium. Ita communior sent. contra aliquos.

7° *Matrimonium* contrahere nequeunt specialiter nter dicti quandiu contumaces sunt. Sed probabilius contrahi potest tempore interdicti localis et a personis generaliter interdictis : multi apud Schmalzgr., n. 358 ; et ratio eorum est, quia matrimonium principaliter est contractus humanus, qui tempore interdicti non est prohibitus. At nuptiæ benedici nequeunt, quia benedictio sub officio divino continetur, et est diversæ rationis ac nuptiæ.

c) Quoad secundum effectum, seu privationem divinorum

officiorum, 1° nomine officii tria veniunt : quæ primo et per se annexa sunt alicui ordini sacro, et quæ solis clericis permittuntur, ut sacrificium missæ; benedictiones vel consecrationes quæ fiunt ab episcopo vel sacerdote; horæ canonicæ, si in communi dicantur et in loco ad id specialiter deputato, et hæc recitatio intelligitur etiam de illa quæ fit a monialibus, quia est solemnis atque indulta ad instar clericorum. Ex altera parte, si horæ canonicæ recitentur in domo privata, absque solemnitate, illa recitatio non foret prohibita. Ex illa descriptione jam liquet sub nomine officii non comprehendi *concionem*, quæ non ad Deum, sed ad populum instruendum ordinatur, neque benedictionem mensæ, recitationem itinerarii clericorum, adorationem crucis in die veneris sancti, etc., saltem si omittatur solemnitas.

2° At sunt exceptiones, seu quidam dies privilegiati. Hoc privilegium datum fuit in c. *Alma*, 24 h. t. in 6°, festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes et Assumptionis B. Virginis. Hæc suspensio interdicti fuit extensa, a Martino V et const. Eugenii IV *Excellentissimum,* ad festum Corporis Christi et totam illius octavam; deinde a Leone X, ad festum Immaculatæ Conceptionis pro tota Hispania. In his diebus, officia celebrantur more ordinario, et iis interesse possunt omnes illi qui interdicto causam non dederunt, et non sunt specialiter interdicti.

3° Altera exceptio consistit in eo quod, ex c. 47 h. t., tempore interdicti semel in hebdomade celebrari potest missa ad conficiendam Eucharistiam pro infirmis. Hæc facultas postea in c. *Alma* fuit extensa, ut missæ celebrari possint singulis diebus et in quibuscumque ecclesiis et monasteriis, sed absque cantu, januis clausis, sine pulsu campanarum et cum exclusione interdictorum denuntiatorum. Sed hoc privilegium intelligi debet de interdicto locali generali, non vero de speciali, ut communiter interpretatur.

d) Quoad privationem sepulturæ ecclesiasticæ, opus est distinctione : 1° Si interdictum est generale, fideles, adulti vel infantes, sepeliri non debent (c. 11, *de Pœnit. et remiss.*). At conceditur sepultura clericis, modo non sint specialiter interdicti, nec causam dederint interdicto. Nomine clericorum veniunt omnes personæ ecclesiasticæ viri et feminæ, cum agatur

de favorabilibus. At sepultura fieri debet sine solemnitate ecclesiastica et sine pulsatione campanæ.

Utrum in festivitatibus privilegiatis nuper enumeratis possint sepeliri corpora defunctorum? Disputant CC.

2° Si interdictum sit locale speciale, prohibetur sepultura ecclesiastica. Sed an concessio facta clericis extendatur ad interdictum speciale locale? Probabilius affirmatur, saltem si sepultura fiat in ecclesia propria clerici sepeliendi; imo, juxta plures, etiam in ecclesia interdicta extranea (Apud Schmalzgr., n. 376).

3° Si interdictum sit *personale, taliter interdictus* privatur sepultura ecclesiastica, sive interdictum sit *generale,* sive sit *speciale* (c. 8, *de Priv.,* in 6°, et Clem. 1ª, *de Sepult.*). Nullus hic conceditur favor clericis, *saltem denuntiatis.*

e) Privatio *ab ingressu ecclesiæ.* Notandum est quod interdictum non trahit illum effectum sine *speciali sententia;* quia hæc privatio est quasi novum interdictum, ideo quia ille effectus non est absolute *annexus interdicto.*

1° Nomine *ecclesiæ* venit *quodlibet templum* auctoritate episcopi deputatum (c. 9, *de Imm. eccl.*). At non venit *cœmeterium,* quia ex c. 20 h. t. distinguitur interdictum ecclesiæ ab interdicto cœmeterii.

2° Sic interdictus probabilius potest *ingredi ecclesiam et ibi preces fundere tempore quo ibi non celebrantur divina officia;* hoc non censetur contra voluntatem Ecclesiæ. Probabile est etiam quod possit *recipere sacramenta,* cum hoc nullibi expresse prohibeatur, et lex sit benigne interpretanda.

V. Violatio interdicti ejusque cessatio.

a) Peccatum eorum qui violant interdictum. 1° Clericus violans interdictum locale vel personale mortaliter peccat, si hæc violatio fiat per administrationem vel susceptionem sacramentorum. Ita censent omnes. Verum quoad officia divina, tantum aliqui dubitarunt an peccatum sit mortale; sed communior sententia affirmat, quia est etiam materia in se gravis, nisi interdictus assistat tantum parti non notabili divini officii.

2° Laici violantes interdictum personale per susceptionem sacramenti sibi prohibiti, sine dubio peccant mortaliter, quia materia est gravis. Item si in loco interdicto illud sacramentum

recipiant. Ratione assistentiæ divinis officiis, peccarent mortaliter, si compellerent clericum solemniter celebrare in loco interdicto, si pulsis campanis convocarent populum in tali loco, si moniti, recusarent egredi, si præsumerent impedire ne excommunicati vel interdicti nominatim exeant e loco sacro, quando sunt a clero admoniti.

b) Pœnæ violantium interdictum. 1° Contra laicos nulla certa pœna ipso jure ponitur, præter quatuor casus supra enumeratos in quibus, ex Clem. 1ª h. t., incurrebant excommunicationem reservatam S. Pontif. 2° Quoad clericos, si personaliter vel generaliter interdicti sint, vel in loco interdicto celebrent, vel alium actum ordini sacro annexum exerceant, irregularitatem ipso facto incurrunt (c. 1., *de Sent. et re jud.,* et c. 1, 18, et 20 h. t. in 6°). Tamen qui non esset interdictus, sed admitteret interdictos ad divina sacramenta et sepulturam, non incurreret irregularitatem, cum nullibi ista pœna decernatur; sed tantum arceretur ab ingressu ecclesiæ (c. 8, *de Priv.,* in 6°.) Clerici religiosi, vel etiam moniales interdictum locale violantes, redduntur inhabiles ad electionem tam activam quam passivam (c. 1, *de Sent. et re judic.*).

c) Cessat 1° elapso tempore vel conditione posita, si fuerit pro certo tempore vel sub aliqua conditione. Interdictum absolute latum, si locale est, cessat destructo loco ; si personale est in communitatem, cessat exstincta communitate, etiamsi aliquis de communitate subsistat, saltem si is non dederit causam interdicto, quia tunc esset personale speciale.

2° Quodlibet interdictum cessare potest absolutione vel dispensatione facta ab eo qui potestatem ad hoc habet. Quare interdictum locale sive generale sive speciale, non reservatum, relaxare nullus alius potest præter eum qui jurisdictionem episcopalem habet in eum locum. Idem dicendum de interdicto personali *generali*. Ita communiter DD. Ratio est, quia secus enervaretur efficacia interdicti. Si sit personale *speciale* et non reservatum, probabiliter ab illo absolvere possunt etiam parochus vel alius proprius sacerdos.

VI. De cessatione a divinis.

a) Quid et quotuplex ? 1° Cessatio a divinis aliquam analogiam

habet cum interdicto, et ideo solet annecti huic censuræ. Definiri solet : « Prohibitio ecclesiastica clericis imposita abstinendi ab officiis divinis in aliquo loco. » Per divina veniunt non solum ipsa officia divina, sed etiam sacramenta et sepultura ecclesiastica, saltem quando cessatio interdictum supponit. Hæc prohibitio, ut jam supra monuimus, non est censura, etsi non apponatur nisi ob culpam gravissimam alicujus; sed non magis nocentes quam innocentes afficit, et ab Ecclesia injungitur clericis in signum doloris et tristitiæ, et in reparationem gravis injuriæ honori divino illatæ.

Differt ab interdicto, tum quia non est censura, tum quia non a jure, sed semper ab homine imponitur, et immediate afficit locum, tandem quia violans cessationem a divinis non incurrit irregularitatem.

2° Est generalis vel specialis, prout respicit provinciam, civitatem, etc., vel loco particulari, ecclesiæ, cœmeterio, oratorio, etc. apposita, est.

b) Effectus cessationis a divinis. 1° Tempore cessationis a divinis, tam generalis quam particularis, non est licitum recitare divina officia, nec missam celebrare, nequidem, juxta plures, aliis refragantibus, in festivitatibus in quibus id licet tempore interdicti generalis ex c. *Alma mater*, cum in illo capite sermo sit tantum de tempore interdicti, non vero de tempore cessationis. Tamen licitum est semel in hebdomada celebrare missam ad renovandam Eucharistiam propter infirmos. Possunt etiam beneficiati recitare bini in ecclesia, cum hæc recitatio sit privata, non vero solemnis et publica : ita communis sententia (Apud Schmalzgr., n° 411). Sed an etiam possint clerici, voce submissa, januis clausis et sine cantu, recitare in ecclesia horas canonicas? Hæc recitatio aliquibus non videtur esse publicum officium, sed privatum, et ideo permitteretur. Ita Giribaldi, qui multos citat. Alii tamen negant, quia cessatio a divinis sub interdicto non comprehenditur (Schmalzgrueber, n° 407).

2° Tempore cessationis possunt administrari in periculo mortis sacramenta baptismi, confirmationis, pœnitentiæ et Eucharistiæ, non tamen sacramentum ordinis et extremæ unctionis, nec Eucharistiæ respectu bene valentium. Tamen in casu quo

quis decederet sine alio sacramento, possint administrari extrema unctio vel Eucharistia. Idem plane dicendum ac de interdicto. Probabilius etiam videtur nuptias posse celebrari (Schmalzgr., n. 412). Alii tamen negant, nisi faveat consuetudo (Giribaldi, *de Interd.,* n. 27).

3° Quoad privationem sepulturæ ecclesiasticæ, nonnulli illam recensent inter effectus cessationis; sed communis sententia negat, quia nomine divinorum officiorum, quibus privat cessatio a divinis, non venit sepultura ecclesiastica.

c) *Causa cessationis.* 1° Causa efficiens est ille solus qui habet jurisdictionem in foro externo, ut dictum est supra *de censuris.* 2° Causa ob quam fertur est delictum gravissimum, notorium et manifestum notorietate facti, ut illius scandalo per talem cessationem possit occurri. Hæc causa exprimi debet in instrumento publico per tabellionem, seu litteris patentibus sigillo authentico munitis. Istæ litteræ tradi debent ei contra quem cessatio indicitur. Debet etiam prius delinquens moneri an satisfactionem et emendationem præstare velit, quia non indicitur cessatio nisi in contumaciam. Istæ omnes conditiones sunt substantiales, ita ut ex defectu cujuscumque ex enumeratis, invalida sit cessatio a divinis : constat ex c. *Quamvis,* 8, *de Off. ord.,* in 6°.

d) Obligatio servandi cessationem. 1° Certum est obligationem servandi cessationem adstringere sub peccato mortali, quia hæc violatio est transgressio legis ecclesiasticæ ex gravissima causa impositæ. Religiosi exempti tenentur servare cessationem impositam ab episcopo; quia, etsi in conc. Trid. (s. 25, cap. 14, *de Reg.*) expresse agatur de censuris tantum, nihilominus vigent rationes obligantes ut religiosorum conventus se conforment cum ecclesia matrice.

2° Sed nulla pœna est de jure statuta contra violantes cessationem. Olim regulares, sive exempti, sive non exempti, incurrebant excommunicationem ipso facto, ex Clem. 1ª, *de Sent. excommunicat.*, ob violationem cessationis a divinis; sed censura non videtur renovata in const. *Apostolicæ Sedis.*

QUINTA PARS

EPILOGUS TOTIUS JURIS CANONICI.

Ad imitationem juris civilis, clauditur jus canonicum per titulos generales *de Verborum significatione* et *de Regulis juris*. Prior titulus complet dicta passim et speciali modo, in primo libro, de interpretatione legum; nam in materiis juridicis quæstiones de nomine sæpe maximi momenti sunt, cum jurium interpretes ad rerum manifestationem non veniant, nisi investigatione verborum; ultimus titulus respicit etiam juris interpretationem, et specialem tractatum constituit interpretibus juris et moralistis valde utilem.

TITULUS XL.

DE VERBORUM SIGNIFICATIONE (1).

a) Verbum hic sumitur pro omni directione significativa, quæcumque pars orationis sit. In ordine ad rem significatam, tres sunt partitiones : 1° *verbum*, seu potius oratio, alia dicitur *affirmativa*, alia *negativa*.

2° Verbum aliud est *singulare*, aliud *particulare*, aliud *indefinitum*, aliud *generale*, aliud *universale*, ut docent logici.

3° Oratio est vel *dispositiva*, vel *enuntiativa* seu *narrativa*. Dicitur enuntiativa, quando exprimit rei sive actus gesti substantiam, seu id quod de præsenti et principaliter actum est a disponente uno vel pluribus, a quorum voluntate pendet. *Enuntiativa* est, qua aliquid refertur incidenter solum, sive exprimitur quod non de præsenti ab ipso disponente, sed ab alio, vel de præterito actum est.

(1) Vide Pandect., h. t., et lib. XXXIV, tit. v; Cod. lib. VI, tit. XXXVIII.

Ipsa significatio ratione originis seu institutionis, alia est *propria,* quam verba habent ex primævo usu; alia *usualis* seu consuetudinaria, quam verba, non ex primævo sed moderno et communi usu, nunc obtinent; alia *abusiva,* quam verba obtinent ex acceptione vulgi seu rudium, contra usum communem; alia tandem *civilis* sive *juridica,* quam vocibus confert jus, sive lex aut canon.

b) Regulæ interpretationis verborum. In hac parte complentur superius dicta in titulo II libri primi, *de Interpretatione legum*. In titulo secundo agebatur directe et immediate de legibus ipsis seu de genuino enuntiationis sensu, dum hic potius de ipsa vocabulorum in se spectatorum significatione. Tamen sensus enuntiationis seu propositionis pendet a significatione verborum. Inde hic complentur dicta in titulo secundo. Istæ regulæ sunt plures vel pauciores, prout specialiori, vel generaliori modo sumuntur. Schmalzgrueber viginti quatuor regulas affert; Reiffenstuel octo præcipuas relictis aliis, Pichler sex, sed in illis seu generalioribus speciaiores omnes includit. Desumuntur istæ regulæ ex jure civili. Recensentur præcipuæ et utiliores, de quibus nullo modo, vel indirecte tantum actum est in titulo *de Constitutionibus*.

Prima et principalis regula, tam quoad sensum propositionum quam quoad significationem vocum est sequens, jam in titulo II relata : « Verba accipienda sunt secundum mentem et intentionem proferentis » (c. 6 h. t.). Ratio est, quia « non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni, » ut dicitur can. *Humanæ,* causa 22, q. 5. Hinc, 1° verba ambigua vel dubia semper intelligenda sunt conformiter motivo seu causæ finali, et secundum subjectam materiam. Ratio est, quia legislator et generatim omnis proferens, censetur his verba sua accommodare.

Secunda regula. Quando aliunde non constat de mente proferentis, « verba sunt accipienda in sensu proprio et secundum communem hominum usum. » Ad hanc regulam revocari possunt sequentes, tanquam corollaria : 1° verba simpliciter prolata in dubio intelligenda sunt simpliciter et non secundum quid; 2° generalia generaliter intelligenda sunt; 3° si verba dispositionis habere possint sensum civilem et naturalem, civili

præferendus est naturalis; nam significatio naturalis est magis propria; 4° verba intelligenda sunt secundum sensum communem et modernum loquendi usum, adeo ut propterea aliquando recedendum sit a significatione primæva. Ratio est, quia per usum et intellectum communem verborum significationes, sicut notæ sunt, sic exolescere et mutari solent.

Tertia regula. « Verba specialia plus operantur quam generalia, » quia expressio specialis magis declarat mentem disponentis quam generalis. Sic species derogat generi. Sequitur quod verba geminata plus quam simplicia operantur, cum majori studio proferantur.

Quarta regula. « Verba dubia contra proferentem sunt interpretanda. » Ratio est, quia in proferentis potestate est mentem suam apertius declarare. Hæc regula valet in contractibus et in probationibus, non vero in sententiis judicum et in actibus judicialibus.

Quinta regula. « Verba debent intelligi cum effectu, seu ut aliquid operentur et non sint superflua. » Hoc procedit tam in legibus interpretandis quam in instrumentis, tam in odiosis quam in favorabilibus.

Sexta regula. « In dubio, illa significatio est præferenda quæ non derogat juri tertii jam quæsito; ita ut ad avertendum præjudicium juris tertio quæsiti, verba etiam improprie sumenda sint. » Item ut evitetur quælibet iniquitas.

Septima regula. « In omni dispositione verba sunt concilianda verbis, seu ita explicanda ut contradictio vel juris correctio excludatur. » Nemo enim censetur idem velle et nolle. Hinc 1° ita sunt intelligenda, ut consonent præcedentibus et subsequentibus; 2° sumi debent ut a communibus juris regulis quam minime recedant.

---

* TITULUS XLI.

DE REGULIS JURIS (1).

a) *Natura et varietas regularum.* 1° Regula a *regendo* dicitur, quia rectitudinis normam præbet. Definitur in jure Rom. (l. I, ff. h. t.). « Regula est, quæ rem quæ est, breviter enarrat, » seu quæ jus præexistens summarie refert. Est ergo sententia quædam generalis plurium legum et canonum eamdem rationem habentium, summam paucis complectens ; et ideo non ex regula fit jus, sed ex jure præexistente facta est regula.

2° Regulæ ratione auctoritatis et originis dividuntur in *authenticas* et *doctrinales* seu *brocardicas*. Illæ sunt *authenticæ,* quæ auctoritate legislatoris nituntur, nempe jussu Summi Pontificis vel imperatoris insertæ sunt juri canonico, seu quinto et sexto Decretalium, vel jure civili seu Pandectis. Istæ regulæ jus faciunt et fundant intentionem allegantis, donec adversarius casum a regula exceptum ostendat; nam nulla regula sine exceptione. *Doctrinales* sunt, quæ a jurisconsultis vel aliis doctoribus privatis instar axiomatum inventæ et usurpatæ sunt. Depromuntur ex variis juris textibus ac dispositionibus, vel etiam philosophorum dictis, nempe ex jure positivo et naturali. Istæ regulæ jus non faciunt, nec juris auctoritatem habent, unde non fundant intentionem allegantis, sed utiliter allegari possunt, et admitti solent, quando scholarum et curiarum stabili et uniformi usu receptæ et approbatæ sunt. Vocantur etiam *brocardicæ,* forsan a Burchardo, episcopo Wormatiensi, qui sententias juridicas tradidit; at circa originem vocis non consentiunt eruditi. Dividuntur etiam, ratione extensionis, in generales et particulares. *Generales* sunt, quæ nullo certo loco aut argumento comprehensæ, per universum jus diffunduntur ; *particulares* vero, quæ certo loco vel materiæ adaptantur.

3° Regulæ authenticæ in decretalibus duplicem locum habent; undecim ponuntur ad finem libri Decretalium quinti, et ideo di-

(1) Vide Pandect., tit. ult.

cuntur Gregorianæ, octoginta octo in sexto Decretalium referuntur. Fuse has regulas expendunt Barbosa, Reiffenstuel et alii; brevius Maschat, cujus explanationem excribemus auctam et emendatam nonnullis animadversionibus. Præcipuæ regulæ juris canonici ex jure Romano fuerunt depromptæ. In Digestis, ad finem libri quinquagesimi, ponuntur ducentæ et undecim regulæ.

b) *Usus regularum.* 1° Regulæ juris authenticæ, licet vim juris habeant, nihilominus jus novum non faciunt, cum jus constitutum supponant; dixit jurisconsultus in l. I, ff. *de Regul. juris:* « Non ex regulis jus, sed ex jure regula est desumpta. » Verumtamen magna est earum utilitas pro decisione causarum; nam, ut supra diximus, pro eo semper est pronuntiandum pro quo stat regula, nisi adversarius probet illud de quo est quæstio, specialiter esse exceptum a regula.

2° Regula perperam allegatur, et contra allegantem meritò excipitur : 1° quando regula certam materiam spectans, ad quamlibet aliam, perinde ac si communis omnibus esset, trahitur; 2° quando in citatione regulæ non attenduntur circumstantiæ personarum, loci, temporis, etc.

3° Præcipuos effectus exceptionis a regula declarant hæc tria usu trita axiomata. Primum est: *Exceptio declarat regulam;* nam qualitate exceptionis apparet de quo genere regula intelligenda sit. Secundum est : *Exceptio firmat regulam in contrarium, in casibus non exceptis ;* etenim casus non excepti censentur comprehensi sub regula. Tertium est : *Exceptio non ampliat, sed restringit regulam;* nam universalitas ipsius deficit respectu casus excepti, cum exceptio ex natura sua regulæ detrahat, non vero addat.

EXPLICIT LIBER QUINTUS AC ULTIMUS DECRETALIUM.

RECENTIORA SEDIS APOSTOLICÆ

DECRETA AC DECLARATIONES

CIRCA NONNULLAS QUÆSTIONES DE QUIBUS ACTUM EST

IN LIBRO V DECRETALIUM.

SECTIO PRIMA.

MODUS INQUIRENDI CONTRA CONFESSARIOS SOLLICITANTES AD TURPIA.

I. — **S. R. et U. Inquisitionis instructio ad omnes archiepiscopos, episcopos aliosque locorum ordinarios circa observantiam constitutionis S. M. Benedicti XIV quæ incipit :** *Sacramentum pœnitentiæ.*

Quæ Supremus Pontifex gl. mem. Benedictus XIV, in constitutione die 1 junii, anno 1741, edita, cujus initium est *Sacramentum pœnitentiæ*, confirmavit ac decrevit, ea ad hæc quatuor maxime capita reducuntur. In primis, quemadmodum jam antea sancitum fuerat præsertim a Gregorio XV, constitutione quæ sub die 30 augusti, anno 1622, data incipit *Universi*, omnes locorum ordinarii æque ac inquisitores deputantur ad inquirendum et procedendum et condignis pœnis animadvertendum contra sollicitantes ad turpia in confessione, quamvis ab ordinaria jurisdictione quomodolibet exemptos. Itidem omnes sacerdotes ad audiendas sacras confessiones constituti, sicut antea quoque præscriptum erat, obligantur monere suos pœnitentes, ut sollicitantes hujusmodi quamprimum poterunt inquisitoribus aut locorum ordinariis deferant; eosdemque pœnitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent. Præterea tertio loco Apostolicæ Sedi reservatur, excepto mortis articulo, eorum casus qui innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulant, vel sceleste procurant ut id ab aliis fiat. Quarto denique sacerdoti cuilibet facultas omnis et jurisdictio ad sacramentales confessiones personæ complicis in peccato turpi contra sextum decalogi præceptum commisso excipiendas adimitur, nisi extrema prorsus urgeat necessitas, nimirum si in ipsius mortis articulo alter sacerdos desit, qui confessarii munere fungatur, vel sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo vocari aut accedere nequat (const. ejusdem S. P. Bened. XIV *Apostolici mu-*

neris, die 8 febr. 1745). Et Apostolicæ Sedi reservatur eorum confessariorum casus, qui complicem in peccato turpi absolvere ausi fuerint.

Nullum sane dubium est, quin hæ præscriptiones, prohibitiones, reservationes omnes et singulæ in cunctas nationes universim vires extendant, et ubique terrarum *inconcusse* ac *inviolabiliter* observandæ sint. Quod quidem vel legenti Gregorii XV et Benedicti XIV constitutiones evidentissime patet; et idipsum consequentium pontificum suffragio, prout se dedit occasio, ad hanc usque diem confirmatum est. Et re quidem vera vicario apostolico Cocincinæ sciscitanti :

I. *An constitutio Benedicti XIV adversus sollicitantes obliget etiam missionarios franciscanos, qui ministerium exercent in Cocincina?* II. *An eadem constitutio restringi possit ac moderari in aliquo casu ob magnam confessariorum penuriam in eodem regno Cocincinæ?* Jussu Pii VI, anno 1775, opportuna instructione responsum fuit : ad I *affirmative;* ad II *negative*. Et proxime Smus D. N. Pius Papa IX decreto hujus supremæ Inquisitionis, sub feria 4ª, die 27 junii, anno 1866, edixit, *in facultatibus quibus episcopi aliique locorum ordinarii ex concessione apostolica pollent, absolvendi ab omnibus casibus Apostolicæ Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum, et exceptos habendos esse casus reservatos in bulla Benedicti XIV quæ incipit* Sacramentum pœnitentiæ. Hoc decretum vero omnibus ubique terrarum ordinariis prædicta absolvendi facultate donatis, absque ulla exceptione, significandum mandavit.

Quamobrem omnibus locorum ordinariis enitendum summopere est, ne earum vigor, quæ in prædicta constitutione salubriter providentur, paulatim uspiam elangueat. At Emi PP. cardinales supremi inquisitores nuper cognoverunt eamdem constitutionem non ubique, sicuti par esset, exsecutioni tradi, atque in aliquibus locis nonnullos tum in denuntiationis onere adimplendo, tum in judicio contra sollicitantes instituendo, irrepsisse abusus, qui sine justitiæ ac providæ severitatis discrimine tolerari minime possent. Itaque neque inopportunum neque ipsis locorum ordinariis ingratum fore judicarunt, si quæ contra eosdem abusus ab hac suprema Congregatione ad tramites sacrorum canonum decreta fuerunt in unum collecta præ oculis habeantur. Ad quem effectum præsentem instructionem edi mandarunt.

1. Personæ sive mares sive feminæ, quæcumque illæ sint, ad turpia sollicitatæ in confessione vel occasione aut prætextu confessionis, quemadmodum enucleate in memorata constitutione præcipitur, rem ad Sanctam Sedem vel ad loci ordinarium deferre debent.

2. Denuntiari oportet quemcumque sacerdotem etiam jurisdictione carentem, sollicitantem in confessione, vel etiam pœnitentis sollicitationi consentientem, quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem et non præbentem absolutionem pœnitenti (1).

(1) Ex declar. diei 11 februarii 1661 confirmata in constitutione *Sacramentum pœnitentiæ.*

3. Hujus denuntiationes a nemine absque culpa lethali omitti possunt. Qua de re pœnitentes debent admoneri, neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat.

4. Sacerdotes ad sacras audiendas confessiones constituti, qui de hac obligatione pœnitentes suos non admonent, debent puniri (1).

5. Pœnitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi : qui vero ob justam causam denuntiationem differre debent, eamque quo citius poterunt faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi.

6. Denuntiationes anonymæ contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent : denuntiationes enim fieri debent in judicio, nempe coram episcopo ejusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum juramento et cum expressione et subscriptione sui nominis, nec sufficit si fiat per apochas vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris (2). Cæterum prohibetur ne in recipiendis denuntiationibus præter judicem et notarium, virum utrumque ecclesiasticum, speciali et scripto exarata episcopi deputatione munitum, testes intersint. Cavendum quoque, ne ex denuntiantibus quæratur num sollicitationi consenserint : et convenientissimum foret, si de hujusmodi consensu, quantumvis sponte manifestato, nihil notetur in tabulis (3).

7. Denuntiationis onus est personale et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur, quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se, vel per epistolam, vel per aliam personam sibi bene visam, suum adeat ordinarium vel Sanctam Sedem per sacram Pœnitentiariam, vel etiam per hanc supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat juxta instructionem quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat juxta consilia et monita sui confessarii. Ast si nullo impedimento detenta denuntiationem omnino renuat, in hoc casu aliisque supra memoratis, laudandus est confessarius qui operam suam pœnitenti non denegaverit, et vel ordinarium vel Sanctam Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen pœnitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli (t. I, consult. 104), Carena, Albitius, etc.

8. Non infrequenter occurrit casus ut confessarius aliusve ecclesiasticus vir ab episcopis (quorum utique hæc potestas est) deputetur ad denuntiationes recipiendas in re ad sollicitationis crimen spectante, absque interventu notarii. Huic instructioni folium adjicitur circa modum quo hisce in casibus confici denuntiatio debet. Qui enim ad hoc gravissimum munus viri maxime idonei destinantur, de actu denuntiationis judiciaria ratione assumendo instrui debent ac moneri,

(1) Ex declar. sub diebus 20 martii 1624, 1 octobris 1626, penes Albit., *De inconstantia in fide*, cap. XXXV, n. 17.
(2) Albit., *loc. cit.*, n. 21.
(3) Ex declar. Urbani VIII sub fer. 5ª, die 17 aprilis 1624.

ut statim a recepta denuntiatione, eam continuo ad ipsum episcopum a quo fuerunt deputati caute transmittant, neque confecti actus exemplum vel vestigium aliquod sibi retineant. Atque in hunc fere modum haud difficulter denuntiandi munus adimpletur. Profecto a locorum ordinariis efficiendum est, ne ad loca suæ jurisdictionis subjecta applicari oporteat quod pro missionibus Pernambuci in America, die 22 januarii, anno 1627, declaratum fuit : *Mulieres videlicet sollicitatas non teneri ad denuntiationem, si ministri Inquisitionis et vicarii episcopi in longinquis regionibus degentes, sine gravi incommodo adiri nequeant.*

9. Si in denuntiationibus, quod non raro contingit, aliæ indicantur personæ forte pariter sollicitatæ, vel quæ de hoc crimine testimonium ferre aliqua ratione possint, hæ quoque omnes et seorsim judiciaria forma superius enuntiata examinandæ sunt, et primo per generalia, deinde per gradus, quoad ita res ferat, ad particularia deveniendo, interrogari debent, utrum et quomodo revera fuerint ipsæ sollicitatæ, vel alias personas fuisse sollicitatas viderint vel audierint.

10. Accepta denuntiatione, non illico proceditur, sed a superiore ecclesiastico inquiri sedulo debet, utrum persona denuntians sit fide digna. Sollicitationis crimen ut plurimum secreto perpetratur; hinc privilegium est, ut in causis quæ contra hoc crimen instituuntur, ad plenam probationem faciendam attestationes etiam singulares admittantur. At in memoratis Summorum Pontificum constitutionibus præscribitur, ne cum testibus singularibus procedatur, nisi præsumptiones, indicia et alia adminicula concurrant. Pondus igitur cujusque denuntiationis, qualitates et circumstantiæ serio accurateque perpendendæ sunt, et antequam contra denuntiatum procedatur, perspectum exploratumque judici esse debet, quod mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducantur. Oportet enim ut testes hujusmodi singulares ab omnibus privatis affectionibus sint immunes, ut ipsis integra fides haberi possit (1).

11. Ea est hujusmodi supremæ Inquisitionis consuetudo, ut post unam alteramve denuntiationem rescribatur, quod denuntiatus *observetur*, ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur, ut quum primum per novas denuntiationes res explorata erit, in judicium vocandus sit. Ut plurimum nonnisi a tertia denuntiatione procedi solet. Ad formale examen vocantur parochi vel probatæ fidei spectatæque virtutis viri præsertim ecclesiastici, qui cum juramento de veritate dicenda et de secreto servando super qualitatibus denuntiantium et denuntiati, et super mutuis eorum odiis et inimicitiis examinentur. Hisce peractis diligentiis, reus in judicium adducitur, et coram judice cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes agat, super singulis cujusque denuntiationis et examinis adjunctis, juramento di-

(1) Ex instruct. jussu Pii VI, anno 1775, ad vicar. apost. Cocincinæ data.

cendæ veritatis obstrictus, respondere debet. Cavetur solertissime, ne denuntiantium nomina reo manifestentur et ne sacramentale sigillum quoquomodo violetur.

12. Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad defensionem, prout jura exposcunt, admisso, deveniendum erit ad illi interdicendum in perpetuum ne confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quascumque facultates ad id munus eidem etiam per quodcumque privilegium vel ab ipsa Sancta Sede impertitas. Hujusmodi sententiam episcopus ipse, et non alius ab eo delegatus, proferat; et pro modo culpæ, atque omnibus attentis circumstantiis, cæteras quoque pœnas reo irroget, quæ in supradictis pontificiis constitutionibus decernuntur. Præterea, si reus in judicio crimen confessus fuerit, congruam debet emittere abjurationem, ut se ita purget ab ea, quam incurrit, hæresis suspicione : et hac quoque pœna in ipsa sententia mulctetur. Notandum est, pœnas hujusmodi omnes et ipsam inhabilitatem ad sacrosanctum missæ sacrificium celebrandum, in decreto Benedicti XIV, die 5 augusti, anno 1745, præscriptam esse tantum *ferendæ sententiæ*. Abstinendum tamen erit ab infligenda degradatione et traditione brachio sæculari. Id nimirum a Gregorio XV statutum fuit : cæterum *ad terrorem* potius impositum haberi debet quam ut exsecutioni mandetur (1).

13. Qui nullis omnino super hoc crimine præventi denuntiationibus, conscientia victi, ordinario loci ejusve delegato se sistunt, patrata a se sollicitationis flagitia sponte confitentur et veniam petunt, dimitti debent cum congrua abjuratione et pœnitentiis duntaxat salutaribus, adjecto consilio vel præcepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstineant, nec cæteris pœnis antea dictis, accedentibus licet postmodum denuntiationibus, afficiantur. Qui vero judiciaria forma jam præventi, sed nondum citati, sua sponte se sistunt, et ii pariter quos veritatem non integram sed diminutam in spontanea apparitione confessos esse ordinarius loci et acceptis postea denunciationibus, deprehenderit, beneficio impunitatis non gaudent, verumtamen pro ipsius ordinarii prudentia mitius puniantur.

14. Quod in hisce causis vel ex commissione apostolica vel ex jure episcoporum proprio tractandis, majorem in modum curari et observari debet, illud est, ut eædem causæ utpote ad fidem attinentes secretissime peragantur, et postquam fuerint definitæ et exsecutioni jam traditæ, perpetuo silentio omnino premantur. Omnes curiæ ecclesiasticæ administri, et quicumque alii ad has pertractandas vel patroni ad defendendas causas assumuntur, jusjurandum de secreto servando debent emittere, et ipsi episcopi aliique locorum ordinarii ad servandum secretum obstringuntur, prout in jure cautum est (cap. *Statuta;* fin., *de Hæret.*, in 6°, et in Clementina *Multorum*, § *Porro, de Hæreticis*). Qui vero denuntiationis oneri satisfaciunt, quique in hisce causis examini

(1) Albit, *op. cit.*, cap. XV, n. 13, et Bened. XIV, in privata epistola die 11 novembri anno 1718 data ad Emmanuelum de Azevedo S. J. presbyterum.

subjiciuntur, juramentum ab initio de veritate dicenda, et, actu expleto, de secreto servando, tactis sacrosanctis Dei Evangeliis, etiamsi sint sacerdotes, præstare tenentur. Hæc si caute sancteque teneantur, nullum invidiæ infamiæque vel aliud quodvis periculum timeri potest, quod vel testes a dicenda veritate, vel competentes judices ab investigando et condignis pœnis animadvertendo sollicitationis crimine contineat.

15. Indultum fuit a Pio VI in instructione de qua antea dictum est, anno 1775 ad vicarium apostolicum Cocincinæ data, ut cum difficillimum sit in illis tam dissitis ac disparatis regionibus ea omnia adamussim servare quæ in hisce causis servanda sunt; et cum, si aliqua ex his omittatur, justitia non patiatur, ut pœnæ infligantur adversus reos, de quorum crimine judiciaria ratione adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse esset si extra judicii ordinem procedatur ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos in casibus particularibus vicarii apostolici prudentia cum animarum zelo conjuncta suggeret. Jam vero quisque videt hanc indulgentiam pro locis adeo dissitis ac disparatis factam, neque omnibus esse communem, neque absque Apostolicæ Sedis auctoritate jure posse ubivis induci.

16. Cæterum si locorum ordinarii in conficiendis processibus, vel etiam, confecto processu, in proferenda sententia contra sollicitantes ad turpia in confessione, gravioribus involvantur difficultatibus, rem, transmissis actis, deferre poterunt ad hanc supremam Congregationem, quæ peculiares instructiones singulis casibus accommodatas, ut sæpe fit, tradet, ac definitivam sententiam, si expediens fuerit, ipsa proferet.

Hæc sunt quæ ad predictam pontificiam constitutionem caute recteque exsequendam conducunt, quæque utpote ubique locorum observatu facilia, sacra hæc Congregatio supremæ et universalis Inquisitionis pastorali ordinariorum zelo ac sollicitudini vehementer commendat.

Datum Romæ, die 20 februarii, an. 1867.

II. — Modus quo recipi debent denuntiationes in re ad sollicitationem spectante ab iis qui ad denuntiationem aliquam absque interventu notarii delegantur.

Die . . . . mensis . . . . anni . . . . . . Sponte personaliter comparuit coram me infrascripto sistente in..., (*notabit locum ubi reperitur ad actum recipiendum*) ad hunc actum tantum ab Illmo et Rmo N. specialiter delegato, prout ex ejusdem ordinarii litteris mihi directis et datis sub die (*exprimet quo die ipsi scriptæ fuerint litteræ*), præsenti positioni alligandis, N. N. (*scribet nomen, cognomen, patrem, patriam, ætatem, conditionem et habitationem personæ denuntiantis; et si hæc religiosa fuerit, exprimet etiam nomen quo ea vocabatur in sæculo. Deinde prosequetur*), cui delato juramento

veritatis dicendæ, quod præstitit tactis SS. Dei Evangeliis (*quæ manu tangere faciet*), exposuit prout infra, videlicet :

Hic persona denuntians vernaculo sermone declarare debet se scire obtentam esse ab ordinario loci facultatem recipiendi absque interventu notarii quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea quia justis de causis, eidem Rmo antistiti se sistere nequit: deinde narrare continuo debet quæ ad sollicitationes ei factas attinent, seu verba fuerint, seu scripta, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices et singula adjuncta, necnon utrum in actu confessionis, an prius vel post sacramentalem absolutionem ea evenerint; nominare debet confessionalem sedem et ipsum confessarium sollicitantem, et quatenus hujus nomen et cognomen aut ignoret aut oblita fuerit, describet accurate illius personam, omnes distincte characteres notando, ita ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus, non esse interrogandam personam denuntiantem, utrum consensum ad actum turpem quocumque modo præstiterit vel recusaverit, cum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce scriptis prout narrantur, delegatus quæ sequuntur, neque aliud præterea quidpiam requiret.

Interrogata : An sciat vel dici audierit, dictum N. N. (*nominando personam*) confessarium sollicitasse alias pœnitentes ad turpia, et quatenus, etc.?

Respondit (*Notabit responsionem, et si hæc affirmativa fuerit, nomen et cognomen personarum sollicitatarum exquiret, et causam scientiæ*).

Interrogata de fama supradicti confessarii N. N. tam apud se, quam apud alios, et quatenus, etc.

Respondit (*Responsionem exscribet*).

Interrogata : An odio vel amore præfata deposuerit, et super inimicitia, aliisque generalibus, etc., et quatenus, etc.?

Respondit: Recte. (*Si ad propriam conscientiam exonerandam denunciasse se dicet. Si a sollicitatione plus uno mense præter lapsum fuerit, erit etiam interroganda*).

Interrogata : Cur tandiu distulerit præfata denuntiare proprio ordinario, et conscientiam suam exonerare?

Respondit (*Notabit reponsionem*).

Actus claudatur hac ratione :

Quibus habitis et acceptatis, etc., dimissus (vel dimissa) fuit juratus (vel jurata) de silentio servando ad novum tactum SS. Dei Evangeliorum (*super Evangelium iterum jurabit*), et in confirmationem præmissorum se subscripsit, (*et si scribere nesciat*) et cum scribere nesciret, prout asseruit, fecit signum crucis. (*Crucis signum calamo faciendum ab ea exiget.*)

Postquam denuntians se subscripserit, aut crucis signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo :

Acta sunt hæc per me N. N. ab Illmo et Rmo antistite N. N., ut supra specialiter delegatum.

Integrum deinde actum directe ad proprium ordinarium delegantem transmittet una cum instructione et litteris acceptis, nihil omnino apud se retinendo.

SECTIO II.

DECLARATIONES CIRCA SCHOLAS NEUTRAS.

I. — S. S. Domini nostri Pii Noni epistola venerabili fratri Hermanno, archiepiscopo Friburgensi in Brisgovia.

PIUS PAPA NONUS.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Quum non sine maxima animi nostri ægritudine ex pluribus nuntiis accepimus, in magno isto Badensi ducatu de novo popularium scholarum regimine parari ordinàtiones, quæ variis modis christianam juventutis institutionem et educationem in magnum adducunt discrimen, propterea quod illas a salutari catholicæ Ecclesiæ magisterio ac vigilantia quotidie magis amovent, nihil dubitavimus, quin tu, venerabilis frater, pro eximio tuo in animarum salute curanda studio, ac pro perspecta tua in Ecclesiæ libertate, ejusque juribus tuendis constantia, fortiter iis omnibus obsisteres quæ vel minimum animarum saluti damnum afferre, vel quovis modo episcopalis tui ministerii liberam auctoritatem coarctare possent. Quod autem pro certo habebamus, id luculenter confirmarunt tuæ litteræ super hoc tanti momenti negotio ad nos datæ et commentarius eisdem adjectus. Ac vehementer lætamur cum videamus te, venerabilis Frater, licet ætate gravem, pro Ecclesia strenue pugnare eadem illa fortitudine qua in episcopalis tui ministerii decursu summopere præstitisti, ac nostras et hujus Sanctæ Sedis laudes merito optimoque jure tibi comparasti. Equidem inter maximas quibus affligimur acerbitates, summa utimur consolatione, noscentes quomodo dives in misericordia Deus sacrorum antistites eo majore divinæ suæ gratiæ auxilio roboret ad Christi Jesu gregem tuendum, quo graviora damna in ipsum gregem luctuosissimis hisce temporibus inimicorum hominum opera irruunt et invadunt.

Nemo certe ignorare potest tristissimam ac deplorandam conditionem in quam hodierna societas magis in dies prolabitur, derivare ex tot funestissimis machinationibus quæ adhibentur ut a publicis institutionibus ac domesticis familiis quotidie magis sanctissima Christi fides, religio, ejusque salutaris doctrina amoveatur, et saluberrima ejus vis coangustetur ac præpediatur. Quæ perniciosissimæ machinationes ex tot pravis doctrinis necessario originem habent, quas hac miserrima nostra ætate, cum maximo christianæ civilisque reipublicæ damno,

undique majorem in modum invalescere, et caput altius extollere vehementer dolemus. Et sane cum veritates a Deo revelatæ impudenter denegentur, vel humanæ rationis examini subjiciantur, evenit ut illa naturalium rerum plane tollatur subjectio quæ supernaturali ordini omnino debetur, utque homines ab æterno suo fine arceantur eorumque cogitationes actionesque ad materialium, fugaciumque hujus mundi rerum limites redigantur. Et quoniam Ecclesia, quæ columna et firmamentum veritatis a divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines divinam edoceat fidem, ejusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines eorumque consortia et actiones ad morum honestatem, vitæque integritatem, juxta revelatæ doctrinæ normam dirigat et fingat, idcirco pravarum doctrinarum fautores et propagatores omnia conantur ut ecclesiasticam potestatem sua erga humanam societatem auctoritate spolient. Quamobrem nihil intentatum nihilque inexpertum relinquunt, ut omnem Ecclesiæ potestatem, ejusque salutarem vim, quam ipsa Ecclesia ex divina sua institutione semper exercuit et in humanæ societatis instituta exercere debet, vel magis in dies coarctent, vel ab eisdem institutis arceant, et ipsa instituta pleno civilis politicæque auctoritatis arbitrio subjiciant ad imperantium placita, et ad volubilium ætatis opinionum rationem.

Nihil vero mirum si hujusmodi funestissimi sane conatus in publicam juventutis institutionem educationemque in primis comparentur, nihilque dubitandum, quin humana societas gravissimis repleatur et vexetur damnis, ubi a publica et privata juventutis institutione, qua rei cum sacræ, tum publicæ felicitas tantopere continetur, fuerit moderatrix Ecclesiæ auctoritas ejusque salutifera vis amota. Hoc enim modo humana societas vero illo christiano spiritu sensim privatur, qui unus potest et publici ordinis tranquillitatisque fundamenta stabiliter servare, ac verum utilemque civilitatis progressum efficere ac moderari, et ea omnia hominibus præbere subsidia quæ ad ultimum suum post mortalis hujusce vitæ stationem finem assequendum, scilicet ad æternam salutem obtinendam, sunt necessaria. Et sane institutio quæ non solum rerum duntaxat naturalium scientiam, ac terrenæ socialis vitæ fines spectat, verum etiam a veritatibus a Deo revelatis decedit, in erroris mendaciique spiritum prolabatur oportet, et educatio quæ sine christianæ doctrinæ morumque disciplinæ auxilio teneras adolescentium mentes, eorumque cerea in vitium flecti corda informat, non potest non parere progeniem quæ pravis cupiditatibus propriisque rationibus tantum permota et impulsa, maximas tum privatis familiis, tum reipublicæ, affert calamitates.

At vero, cum hujusmodi perniciosissima docendi ratio sejuncta a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate maximo sit hominibus et societati damno, dum agitur de litteris severioribusque disciplinis tradendis ac de educatione curanda in scholis publicisque institutis quæ honestioribus societatis classibus sunt destinata, ecquis non videt multo graviora mala et damna ex hac methodo derivare, si eadem in populares

inducatur scholas? Etenim in hisce potissimum scholis omnes cujusque e populo classis pueri vel a teneris annis sanctissimæ nostræ religionis mysteriis ac præceptionibus sedulo sunt erudiendi, et ad pietatem morumque honestatem, et ad religionem, civilemque vivendi rationem accurate formandi. Atque in eisdem scholis religiosa præsertim doctrina ita primarium in institutione et educatione locum habere ac dominari debet, ut aliarum rerum cognitiones, quibus juventus ibi imbuitur, veluti adventitiæ appareant. Quapropter juventus maximis exponitur periculis, nisi ejus in memoratis scholis institutio arctissimo cum religiosa doctrina vinculo consocietur. Cum igitur populares scholæ ad populum religiose formandum ejusque pietatem et christianam morum disciplinam fovendam sint præsertim statutæ, idcirco omnem Ecclesiæ curam, sollicitudinem et viligantiam præ cæteris educationis institutis sibi merito atque optimo jure semper vindicarunt. Ac propterea consilia, conatusque arcendi a popularibus scholis Ecclesiæ potestatem proficiscuntur ex animo eidem Ecclesiæ summopere adverso, atque ex studio exstinguendi in populis divinum sanctissimæ fidei nostræ lumen. Quocirca Ecclesia, quæ easdem fundavit scholas, summa cura studioque eas semper est prosecuta, illasque veluti potiorem ecclesiasticæ suæ auctoritatis ac regiminis partem consideravit, et quæcumque earum ab Ecclesia sejunctio maximum eidem Ecclesiæ ipsisque scholis affert detrimentum. Ii autem omnes qui perperam contendunt Ecclesiam debere salutarem suam moderatricem vim erga populares scholas deponere aut intermittere, iidem nihil aliud profecto vellent, quam ut Ecclesia contra divini sui Auctoris mandata ageret, et gravissimo officio curandi omnium hominum salutem, sibi divinitus commisso, deesset. Certe quidem ubi in quibusque locis regionibusque perniciosissimum hujusmodi vel susciperetur, vel ad exitum perduceretur consilium expellendi a scholis Ecclesiæ auctoritatem, et juventus misere exponeretur damno circa fidem, tunc Ecclesia non solum deberet intentissimo studio omnia conari, nullisque curis unquam parcere, ut eadem juventus necessariam christianam institutionem et educationem habeat, verum etiam cogeretur omnes fideles monere, eisque declarare ejusmodi scholas catholicæ Ecclesiæ adversas haud posse in conscientia frequentari.

Tibi autem, venerabilis Frater, summopere gratulamur, quod catholicæ Ecclesiæ doctrinæ quoad juventutis institutionem, educationemque firmiter inhærens tuo commentario omnibus opinionibus, ordinationibusque sapienter et constanter obstitisti, quæ ab isto magno Badarum ducatu propositæ fuere circa popularium scholarum reformationem, quæque maximam christianæ educationi perniciem afferunt, et veneranda Ecclesiæ in tanto negotio jura omnino destruunt. Ac persuasissimum nobis est, te nihil unquam inexpertum esse relicturum, ut ejusdem Ecclesiæ jura impavide defendas, utque ab adolescentium institutione et educatione diligentissime removeas quiquid fidei firmitatem vel leviter turbare, labefactare, aut religiosam eorumdem con-

scientiam corrumpere, morumque honestatem contaminare possit, quæ unice a fide nostra sanctissima producitur, alitur et augetur; summa vero afficimur consolatione, cum istius tuæ diœcesis clerus suæ vocationis et officii probe memor una tecum suam omnem in Ecclesiæ ejusque catholici populi juribus tutandis operam impendat. Nec minori gaudio perfundimur, propterea quod iste fidelis populus, optime sentiens de catholica suæ prolis educatione, nihil antiquius habeat quam ut eadem proles omnino instituatur in scholis quæ a catholica dirigantur Ecclesia. Jam vero levantes oculos nostros ad Dominum Deum nostrum ab ipso humiliter enixeque exposcimus, ut in abundantia divinæ suæ gratiæ tibi, venerabilis Frater, et isti clero populoque fideli semper propitius adesse velit, quo omnes cœlesti ope roborati, pro Ecclesiæ suæ sanctæ causa sub tuo ductu strenue dimicare pergant. Atque superni hujus præsidii auspicem, et peculiaris qua te in Domino complectimur benevolentiæ pignus, apostolicam benedictionem ex intimo corde profectam tibi ipsi, venerabilis Frater, cunctisque clericis laicisque fidelibus tuæ vigilantiæ concreditis, peramanter impertimus.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die 14 julii, anno 1864, pontificatus nostri anno decimo nono.

PIUS PP. IX.

II. — 1875 junii 30 — Instructio S. Congr. de Prop. Fide, de scholis publicis, ad episcopos in Fœderatis Statibus Americæ Septentrionalis.

Pluries S. Congregatio de Propaganda Fide certior facta est, in Fœderatis Statibus Americæ Septentrionalis, catholicæ juventuti e sic dictis scholis publicis gravissima damna imminere.

Tristis quocirca hic nuntius effecit ut amplissimis istius ditionis episcopis nonnullas quæstiones proponendas censuerit, quæ partim ad causas cur fideles sinant liberos suos scholas acatholicas frequentare, partim ad media quibus facilius juvenes e scholis hujusmodi arceri possint, spectabant. Porro responsiones a laudatis episcopis exaratæ, ad supremam Congregationem universalis Inquisitionis pro natura argumenti delatæ sunt, et negotio diligenter explorato, feria 4ª, die 30 junii 1875, per instructionem sequentem absolvendam ab Emis Patribus judicatum est, quam exinde SS. Dnus Noster, feria 4ª, die 24 novembris prædicti anni, approbare ac confirmare dignatus est.

Porro in deliberationem cadere imprimis debebat ipsa juventutis instituendæ ratio scholis hujusmodi propria atque peculiaris. Ea vero S. Congregationi visa est etiam ex se periculi plena, ac perquam adversa rei catholicæ. Alumni enim talium scholarum, cum propria earumdem ratio omnem excludat doctrinam religionis, neque rudimenta fidei addiscent, neque Ecclesiæ instruentur præceptis, atque adeo carebunt cognitione homini quam maxime necessaria, sine qua christiane non vivitur. Enimvero in ejusmodi scholis juvenes educantur jam inde a

prima pueritia ac propemodum a teneris unguiculis, qua ætate, ut constat, virtutis aut vitii semina tenaciter hærent. Ætas igitur tam flexibilis, si absque religione adolescat, sane ingens malum est.

Porro autem in prædictis scholis, utpote sejunctis ab Ecclesiæ auctoritate, indiscriminatim ex omni secta magistri adhibentur, et cæteroquin, ne perniciem afferant juventuti nulla lege cautum est, ita ut liberum sit errores et vitiorum semina teneris mentibus infundere. Certa item corruptela insuper ex hoc impendet, quod in iisdem scholis, aut saltem pluribus istarum, utriusque sexus adolescentes et audiendis lectionibus in idem conclave congregantur, et sedere in eodem scamno masculi juxta feminas jubentur. Quæ omnia efficiunt ut juventus misere exponatur damno circa fidem, ac mores periclitentur.

Hoc autem periculum perversionis nisi e proximo remotum fiat, tales scholæ tuta conscientia frequentari nequeunt. Id vel ipsa clamat lex naturalis et divina. Id porro claris verbis Summus Pontifex edixit Friburgensi quondam archiepiscopo, die 14 julii 1864, ita scribens : « Certe quidem, ubi in quibuscumque loci regionibusque perniciosissimum hujusmodi vel susciperetur, vel ad exitum perduceretur consilium expellendi a scholis Ecclesiæ auctoritatem, juventus misere exponeretur damno circa fidem, tunc Ecclesia non solum deberet instantissimo studio omnia conari, nullisque curis parcere, ut eadem juventus necessariam christianam institutionem et educationem habeat, verum etiam cogeretur omnes fideles monere, eisque declarare ejusmodi scholas Ecclesiæ catholicæ adversas haud posse in conscientia frequentari. » Et hæc quidem, utpote fundata jure naturali ac divino, generale quoddam enuntiant principium, vimque universalem habent, et ad eas pertinent omnes regiones, ubi perniciosissima hujusmodi juventutis instituendæ ratio infeliciter invecta fuerit.

Oportet igitur ut præsules amplissimi, quacumque possint ope atque opera, commissum sibi gregem arceant ab omni contagione scholarum publicarum. Est autem ad hoc omnium consensu nil tam necessarium quam ut catholici ubique locorum proprias sibi scholas habeant, easque publicis scholis haud inferiores. Scholis ergo catholicis, sive condendis ubi defuerint, sive amplificandis et perfectius instruendis parandisque, ut in institutione ac disciplina scholas publicas adæquent, omni cura prospiciendum est. Ac tam sancto exsequendo consilio, tamque necessario haud inutiliter adhibebuntur, si episcopis ita visum fuerit, e congregationibus religiosis sodales, sive viri, sive mulieres, sumptusque tanto operi necessarii, ut eo libentius atque abundantius suppeditentur a fidelibus, opportuna oblata occasione, sive pastoralibus litteris, sive concionibus, sive privatis colloquiis, serio necesse est ut ipsi commonefiant sese officio suo graviter defuturos, nisi omni qua possunt cura impensaque scholis catholicis providerint. De quo potissimum monendi erunt quotquot inter catholicos cæteris præstant divitiis ac auctoritate apud populum quique comitiis ferendis legibus sunt adscripti.

Et vero in istis regionibus nulla lex obstat civilis quominus catholici, ut ipsis visum fuerit, propriis scholis prolem suam ad omnem scientiam ac pietatem erudiant. Est ergo in potestate positum ipsius populi catholici ut feliciter avertatur clades quam scholarum illic publicarum institutum rei catholicæ minatur. Religio autem ac pietas ne a scholis vestris expellantur, id omnes persuadeant sibi plurimum interesse, non singulorum tantum civium ac familiarum, verum etiam florentissimæ Americæ nationis, quæ tantam de se spem Ecclesiæ dedit.

Cæterum S. Congregatio non ignorat talia interdum rerum esse adjuncta ut parentes catholici prolem suam scholis publicis committere in conscientia possint. Id autem non poterunt, nisi ad sic agendum sufficientem causam habeant; ac talis causa sufficiens in casu aliquo particulari utrum adsit necne, id conscientiæ ac judicio episcoporum relinquendum erit; et juxta relata, tunc ea plerumque aderit, quando vel nulla præsto est schola catholica, vel quæ suppetit parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suæ congruenterque adolescentibus. Quæ autem ut scholæ publicæ in conscientia adiri possint, periculum perversionis, cum propria ipsarum ratione plus minusve nunquam non conjunctum, opportunis remediis cautionibusque fieri debet ex proximo remotum. Est ergo imprimis videndum utrumne in schola de qua adeunda quæritur, perversionis periculum sit ejusmodi quod fieri remotum plane nequeat, velut quoties ibi aut docentur quædam, aut aguntur catholicæ doctrinæ bonisve moribus contraria, quæque citra animæ detrimentum neque audiri possunt, neque peragi. Enimvero tale periculum, ut per se patet, omnino vitandum est cum quocumque damno temporali, etiam vitæ.

Debet porro juventus, ut committi scholis publicis in conscientia possit, necessariam christianam institutionem et educationem, saltem extra scholæ tempus, rite ac diligenter accipere. Quare parochi et missionarii, memores eorum quæ providentissime hac de re concilium Baltimorense constituit, catechesibus diligenter dent operam, iisque explicandis præcipue incumbant fidei veritatibus ac morum quæ ab incredulis et heterodoxis impetuntur; totque periculis expositam juventutem, impensa cura, qua frequenti usu sacramentorum, qua pietate in beatam Virginem studeant communire, et ad religionem firmiter tenendam etiam atque etiam excitent. Ipsi vero parentes, quive eorum loco sunt, liberis suis sollicite invigilent, ac vel ipsi per se, vel, si minus idonei ipsi sint, per alios de lectionibus auditis eos interrogent, libros iisdem traditos recognoscant, et, si quid noxium ibi deprehenderint, antidota præbeant, eosque a familiaritate ac consortio condiscipulorum a quibus fidei vel morum periculum imminere possit, seu quorum corrupti mores fuerint, omnino arceant et prohibeant.

Hanc autem necessariam christianam institutionem et educationem liberis sui impertiri quotque parentes negligunt; aut qui frequentare eos tales scholas sinunt *in quibus animarum ruina evitari non potest;*

aut tandem qui, licet schola catholica in eodem loco idonea adsit apteque instructa et parata, seu quamvis facultatem habeant in alia regione prolem catholice educandi, nihilominus committunt eam scholis publicis, sine sufficienti causa ac sine necessariis cautionibus quibus periculum perversionis e proximo remotum fiat : eos, si contumaces fuerint, absolvi non posse in sacramento pœnitentiæ, ex doctrina morali catholica, manifestum est.

III. — SS. Domini nostri Leonis divina Providentia Papæ XIII allocutio habita die augusti 1880 ad S. R. E. cardinales in ædibus Vaticanis.

. . . .

Cum hæc consilia atque hic habitus animorum in iis esset, perlata lex de primordiis studiorum publice tradendis, propositi perficiendi causam attulit. Nostis, venerabiles Fratres, indolem hujusce legis atque rationem. Profecto in hac condenda hoc maxime consilium atque hanc sententiam fuisse apparet ab auctoritate catholicæ religionis, vel a pueritia, abducere animos, institutionemque juventutis, remota qualibet Ecclesiæ providentia, civilis potestatis imperio voluntatique reservare. Etenim ea lege decernitur in educatione puerili nullas esse debere sacrorum pastorum partes, nullam Ecclesiæ vigilantiam; dissociatisque penitus a religione litteris, ab eruditione puerorum, si ipsa publicarum scholarum ratio et disciplina spectatur, omnem de religione doctrinam abesse præcipitur : quod perfacile cernitur quam sit fidei et moribus ineuntis ætatis periculosum. — Eoque gravius esse periculum intelligitur, quod eadem lege omnis religiosa institutio plane excluditur ab iis ipsis litterarum palæstris quas scholas normales vocant, ubi exercitatione præceptisque conformantur qui quæve deinceps velint ad erudiendos pueros sese conferre.

Lex hujusmodi per quam plurimum de doctrina juribusque Ecclesiæ detrahitur, maximoque discrimini sempiterna adolescentium salus objicitur, non poterat, salvo officio, episcopis probari, quibus Deo id est muneris onerisque impositum, ut in salute animorum fideique sanctitate defendenda vigilanter elaborent. Revera cum probe sentirent quid a se tempus officiumque postularet, sedulam operam dederunt arcendæ ab ejusmodi publicis scholis juventuti, aliasque aperiendas curarunt, potestati suæ obnoxias, in quibus teneræ adolescentulorum mentes cum litterarum tum religionis elementis optime formarentur. Et hanc ad rem, laus est egregia Belgarum, peropportuno huic operi sese alacritate summa adjutores præbuisse. Cum enim animadverterent quantum religioni periculum ab ea lege impenderet, avitam fidem, quoquo modo possent, tuendam susceperunt; idque tam inflammato studio, ut laborum ac sumptuum magnitudo admirationem fecerit apud omnes ad quos hujus rei fama pervenit.

Nos vero, qui propter excelsum supremi pastoris et magistri munus,

intemeratam ubique famam conservare, sacra Ecclesiæ jura asserere, et salutis discrimina a capite gentium christianarum propulsare debemus, ipsa officii ratione sincere prohibebamur indemnatam per Nos abire legem, quam venerabiles fratres nostri episcopi belgici jure condemnavissent. Qua propter in litteris nostris ad dilectissimum filium nostrum Leopoldum II regem Belgarum aperte declaravimus legem die 1 julio mense actam magnopere catholicæ doctrinæ præceptis repugnare, eamdemque perniciosam saluti adolescentium, neque parum ipsi civitati calamitosam futuram. Igitur qua talem improbavimus damnavimusque non semel, sicut nunc in conspectu omnium vestrum, iisdem de causis, iterum improbamus atque damnamus. Quam rem more agimus institutisque Apostolicæ Sedis, quæ semper judicii atque auctoritatis suæ pondere scholas perculit cujuslibet religionis expertes, quas medias seu neutras appellant, quæque suapte natura illuc tandem evadunt, ut Deum prorsus non agnoscant : neque usquam passa est ejusmodi scholas a juventute catholica celebrari, nisi certis casibus, cum eam tempus et necessitas cogeret, cautoque prius ne præsens esset pravæ contagionis periculum. — Nihilominus christiana charitate animati, et quod nolebamus ullam dari causam quamobrem acerbius bellum fieret, valde auctores fuimus venerabilibus fratribus nostris episcopis, in medio certamine consistentibus, ut, quod ad decreta exsequenda moderationem et suavitatem in re præsenti ne relinquerent, et in pœnis exigendis agerent lenius ; quoniam rei christianæ studium, tam justa causa incensum, paterna illa benevolentia temperari oporteret, quæ devios quosque benigne complectitur.

SECTIO III.

DECLARATIONES CIRCA MAGNETISMUM, SOMNAMBULISMUM, ETC.

Sancti Officii Congregatione circa magnetismum animalem consulta, hoc emanavit decretum die 25 junii 1840, in congregatione generali S. R. universalis Inquisitionis habita in conventu S. Mariæ supra Minervam, coram em. ac rev. dominis S. R. E. cardinalibus, etc., iidem em. ac rev. domini dixerunt : Consulat probatos auctores, cum hac advertentia, quod, remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res aut effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis. Cumque eidem Congregationi, die 21 aprilis an. 1841, propositus

fuisset magnetismi casus nonnullis adjunctis stipatus, respondit: *Usum magnetismi, prout exponitur, non licere.*

Eadem ratione respondit Sacra Pœnitentiaria quæstioni propositæ his verbis : Persona magnetizata, quæ plerumque sexus est feminei, in eum statum soporis ingreditur, dictum somnambulismum magneticum, tam alte, ut nec maximus fragor ad ejus aures, nec ferri ignisve ulla vehementia illam suscitare valeant. Ab solo magnetizatore, cui consensum suum dedit (consensus enim est necessarius), ad illud extasis genus adducitur, sive variis palpationibus gesticulationibusque, quando ille adest, sive simplici mandato eodemque interno, cum vel pluribus leucis distat. Tunc viva voce seu mentaliter de suo absentiumque penitus ignotorum sibi morbo interrogata, hæc persona evidenter indocta illico medicos scientia longe superat; res anatomicas accuratissime enuntiat; morborum internorum in humano corpore, qui cognitu definituque peritis difficillimi sunt, causam, sedem, naturam indigitat; eorumque progressus, variationes et complicationes evolvit, idque propriis terminis ; sæpe etiam dictorum morborum diuturnitatem exacte prænuntiat, remediaque simplicissima et efficacissima præcipit. Si adest persona de qua magnetizata mulier consulitur, relationem inter utramque per contactum instituit magnetizator; cum vero abest, cincinnus ex ejus cæsarie eam supplet et sufficit. Hoc enim cincinno tantum ad palmam magnetizatæ admoto, confestim hæc declarare potest quid sit (quin aspiciat oculis), cujus sint capilli, ubinam versetur nunc persona ad quam pertinent, quid rerum agat, circaque ejus morbum omnia supradicta monumenta ministrare, haud aliter, atque si medicorum more corpus ipsa introspiceret. — Postremo magnetizata non oculis cernit, ipsis velatis, quidquid erit, illud leget legendi nescia, seu librum seu manuscriptum, vel apertum vel clausum, seu capiti seu ventri impositum. Etiam ex hac regione ejus verba egredi videntur. Hoc autem statu educta, vel ad jussum etiam internum magnetizantis, vel quasi sponte sua ipso temporis puncto a se prænuntiato, nihil omnino de rebus in proximo peractis sibi conscire videtur, quantumvis ille duraverit. Quænam ab ipsa petita fuerint, quæ vero responderit, quæ pertulerit, hæc omnia nullam in ejus intellectu ideam, nec minimum in memoria vestigium reliquerunt. *Quibus expositis, quærit :* An confessarius vel parochus possit pœnitentibus permittere aut parochianis: 1° ut magnetismum animalem, illis characteribus aliisque similibus præditum exerceant, tanquam artem medicinæ auxiliatricem atque suppletoriam; 2° ut sese illum in statum somnambulismi magnetici dimittendos consentiant; 3° ut vel de se vel de aliis personas consulant illo modo magnetizatas; 4° ut unum de tribus prædictis suscipiant, habita prius cautela formaliter ex animo renuntiandi cuilibet diabolico pacto explicito, omni etiam Satanicæ interventioni; quoniam, hac non obstante cautione, a nonnullis ex magnetismo hujusmodi vel iidem aliquot effectus obtenti jam fuerunt. *Resp.* S. Pœnitentiaria, mature expensis expositis, respondendum censet, prout respondet :

Usum magnetismi, prout in casu exponitur, non licere. Die 1 julii 1841.

Supremæ Sacræ Romanæ universalis Inquisitionis encyclica ad omnes episcopos adversus magnetismi abusus. — Feria 4ª, die 30 julii 1856.

In congregatione generali S. R. et universalis Inquisitionis habita in conventu S. M. supra Minervam, em. rev. DD. cardinales, in tota republica christiana adversus hæreticam pravitatem generales inquisitores, mature perpensis iis quæ circa magnetismi experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt edi præsentes litteras encyclicas ad omnes episcopos ad magnetismi abusus compescendos. Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phænomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati, posse occulta, remota, ac futura detegi magnetismi arte vel præstigio, præsertim ope muliercularum, quæ unice a magnetizatoris nutu pendent. Nonnullæ jam hac de re a S. Sede datæ sunt responsiones ad particulares casus, quibus reprobantur tanquam illicita illa experimenta, quæ ac finem non naturalem, non honestum, non debitis mediis adhibitis assequendum ordinantur; unde in similibus casibus decretum est feria IV, 21 aprilis 1841 : Usum magnetismi, prout exponitur, non licere. Similiter quosdam libros, ejusmodi errores pervicaciter disseminantes, prohibendos censuit S. Congregatio. Verum quia præter particulares casus de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulæ sic statutum fuit feria IV, 28 julii 1847 : Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodolibet pravum ; applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis. Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo aut illicitudo in usu aut abusu magnetismi, tamen adeo crevit hominum malitia, ut, neglecto licito studio scientiæ, potius curiosa sectantes magna cum animarum jactura ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi, divinandique principium quoddam se nactos glorientur. Hinc somnambulismi et claræ intuitionis, uti vocant, præstigiis, mulierculæ illæ, gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia quæque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario præsumunt, magnum quæstum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturæ. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et hæreticalis, et scandalum contra

honestatem morum. Igitur ad tantum nefas, et religioni et civili societati infensissimum, efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo, vigilantia et zelus episcoporum omnium. Qua propter quantum divina adjutrice gratia poterunt locorum ordinarii, qua paternæ charitatis monitis, qua severis objurgationibus, qua demum juris remediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum temporumque adjunctis, expedire in Domino judicaverint, omnem impendant operam ad hujusmodi magnetismi abusus reprimendos et evellendos, ut dominicus grex defendatur ab inimico homine, depositum fidei sartum tectumque custodiatur, et fideles sibi crediti a morum corruptione præserventur.

Datum Romæ, in cancellaria S. Officii, apud Vaticanum, die 4 augusti 1856. V. Card. MACCHI.

SECTIO IV.

DE CENSURIS.

I. — Constitutio sanctissimi D. N. Pii Papæ IX qua censuræ latæ sententiæ limitantur (1).

Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicæ Sedis moderationi convenit, quæ salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem Apostolica Sedes congruum supremæ suæ potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo nostro jampridem revolveremus ecclesiasticas censuras, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiæ tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas ætates indictæ ac promulgatæ sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis ob quas impositæ fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus, dubietates, anxietates, angoresque conscientiæ, Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri Nobisque proponi jussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus quasnam ex illis servare

(1) Habetur amplissimum hujus constitutionis commentarium in variis totius *Juris canonici* partibus quæ agunt de objecto diversarum excommunicationum a Pio IX renovatarum. Adeant ergo lectores hæc loca; sed ut facilior sit inquisitio illa, præcipua signabimus post singulos articulos constitutionis.

ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in negotiis fidei generalibus inquisitoribus per universam christianam rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione nostra, deque apostolicæ nostræ potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ hactenus impositæ sunt, nonnisi illæ quas in hac ipsa constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra constitutione conveniunt, verum etiam hac ipsa constitutione nostra, non secus ac si primum editæ ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ (1).

Itaque excommunicationi latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus :

I. Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores (Vide tit. VII et IX lib. V).

II. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicæ libros eorumdem apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes (Vide lib. cit., tit. VIII, sect. 3).

III. Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt (Vide tit. VIII lib. V).

IV. Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum concilium appellantes, necnon eos quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit (Vide lib. cit. tit. III).

V. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, Sedisque Apostolicæ legatos, vel nuntios, aut eos a suis diœcesibus, territoriis, terris seu dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem (Vide tit. XLIX libri III; tit. XXXIX, sect. 3, libri V).

(1) Quoad illas omnes excommunicationes, vide ephemer. *le Canoniste contemporain*, tom. I, II, III et IV.

II. Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos, vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis de quibus jure vel privilegio permittitur ut episcopus aut alius absolvat (1) (Vide tit. XXIX, sect. 2, lib. V, et excomm. Trid. infra).

III. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem præbentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel, quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis (Vide tit. XIV lib. V).

IV. Nomen dantes sectæ *massonicæ* aut *carbonariæ*, aut aliis ejusdem generis sectis quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam, seu clandestine, machinantur; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes; earumve occultos coryphæos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint (Vide infra instr. S. U. I. datam an. 1870).

V. Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare jubentes, aut violantes (Vide tit. XLIX lib. V; tit. XLIX, V, lib. III, etc.).

VI. Violantes clausuram monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in constit. *Decori* præscriptam (Vide tit. XXXV lib. III, sect. 2, II, et tit. XXXI, sect. 3, III ejusdem libri).

VII. Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes (Vide tit. supra citatum, *l. c.*, I).

VIII. Reos simoniæ realis in beneficiis quibuscumque eorumque complices (Vide tit. III lib. V.).

IX. Reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis (Vide loc. cit.).

X. Reos simoniæ realis ob ingressum in religionem (Vid. tit. cit.).

XI. Omnes qui quæstum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur constitutione S. Pii V *Quam plenum*, 2 januarii 1559 (Vide loc. cit.).

XII. Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent (Vide tit. XLI lib. III, sect. 1, § 2, 4) (2).

XIII. Omnes qui excommunicatione mulctantur in constitutionibus S. Pii V *Admonet nos*, quarto kalendas aprilis 1567, Innocentii IX *Quæ ab hac Sede*, pridie nonas novembris 1591, Clementis VIII *Ad Romani Pontificis curam*, 26 junii 1592, et Alexandri VII *Inter cæteras*, nono kalendas novembris 1660, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus (Vide laudata docum.).

XIV. Religiosos præsumentes clericis aut laicis extra casum ne-

(1) Vide *le Canoniste contemporain*, tom. VI, p. 412, 420, 451, 470.
(2) *Ibid.*, tom. IV, mens. jan.

IX. Omnes falsarios litterarum apostolicarum, etiam in forma brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. vice-cancellarios seu gerentes vices eorum aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum : necnon falso publicantes litteras apostolicas, etiam in forma brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis seu vice-cancellarii aut gerentis vices prædictorum (Vide tit. XX lib. V).

X. Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius sacerdos licet non approbatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem (Vide tit. XXXVIII lib. V, sect. I, V etc.) (1).

XI. Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes (Vide docum. Trident. excomm. et respons. S. U. I. 8 julii 1874, etc.).

XII. Invadentes, destruentes, detinentes, per se vel per alios, civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; necnon ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes (Vide tit. II, sect. 3, § 2, lib. II et documenta superius citata, etc.).

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis, nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam regularibus cujuscumque ordinis, congregationis, societatis et instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem præsumentes sine debita facultate, etiam quovis prætextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatæ innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiæ, si convaluerint.

Excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus :

I. Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV in const. *Suprema*, 7 julii 1745; *Ubi primum*, 2 julii 1746; *Ad eradicandum*, 28 septembris 1746 (Vide tit. VII, sect. 3, § 4, lib. V).

(1) Vide *le Canoniste contemporain*, tom. III, p. 240 seqq.

II. Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos, vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis de quibus jure vel privilegio permittitur ut episcopus aut alius absolvat (1) (Vide tit. xxix, sect. 2, lib. V, et excomm. Trid. infra).

III. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem præbentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel, quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis (Vide tit. xiv lib. V).

IV. Nomen dantes sectæ *massonicæ* aut *carbonariæ*, aut aliis ejusdem generis sectis quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam, seu clandestine, machinantur; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes; earumve occultos coryphæos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint (Vide infra instr. S. U. I. datam an. 1870).

V. Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare jubentes, aut violantes (Vide tit. xlix lib. V; tit. xlix, V, lib. III, etc.).

VI. Violantes clausuram monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in constit. *Decori* præscriptam (Vide tit. xxxv lib. III, sect. 2, II, et tit. xxxi, sect. 3, III ejusdem libri).

VII. Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes (Vide tit. supra citatum, *l. c.*, I).

VIII. Reos simoniæ realis in beneficiis quibuscumque eorumque [illegible] (Vide tit. [illegible] lib. V).

IX. Reos [illegible] in [illegible] quibuslibet, cujuscumque [illegible]

X. [illegible]

XI. [illegible] S. Pi. V [illegible]

XII. [illegible]

XIII. [illegible]

XIV. [illegible]

(1) [illegible]

(2) [illegible]

cessitatis sacramentum extremæ unctionis aut Eucharistiæ per viaticum ministrare absque parochi licentia (Vide infra excomm. Trid.).

XV. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris cœmeteriis cive catacumbis urbis Romæ ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem præbentes (prohibitio particularis).

XVI. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem (Vide tit. xxxix, II, dub. 1, etc. lib, V).

XVII. Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes (1) (Vide loc. supra cit.).

Excommunicationes latæ sententiæ episcopis sive ordinariis reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ episcopis sive ordinariis reservatæ subjacere declaramus :

I. Clericos in sacris constitutos, vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis, matrimonium contrahere præsumentes; necnon omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes (Vide tit. vi lib. IV, etc.).

II. Procurantes abortum, effectu secuto (Vide tit. xii lib. V, sect. 4, vi).

III. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes (Vide tit. xx lib. V).

Excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ nemini reservatæ subjacere declaramus :

I. Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos (Vide tit. xxviii lib. III, § 3, et tit. vii, sect. 4, ii, etc. lib. V).

II. Lædentes aut perterrefacientes inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; ejusve sacri tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes (Vide bullam *Si de progrediendis*, Pii V; cf. tit. xxxix, III, lib. V).

III. Alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico, ad formam extravagantis *Ambitiosæ, de Reb. eccl. non alienandis* (Vide tit. xiii lib. III, § 5).

IV. Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia, in quibuslibet casibus expressis a prædecess. nostris Gregorio XV const. *Universi*, 20 augusti 1622, et Benedicto XIV constit. *Sacramentum pœnitentiæ*, 1 junii 1741 (Vide tit. xxxviii lib. V, sect. 1, et docum.).

Præter hos hactenus recensitos, eos quoque quos sacrosanctum

(1) An hodie remaneat excommunicatio minor ? — Vide *le Canoniste contemporain*, tom. V, mens. decemb.

concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis pœna in decreto sess. 4 *de Editione et usu sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus qui libros de rebus sacris tractantes sine ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Suspensiones latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ.

I. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis, capitula et conventus ecclesiarum et monasteriorum aliique omnes qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt episcopos aliosve prælatos de prædictis ecclesiis, seu monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint litteras apostolicas de sua promotione. (Vide infra const. *Romanus Pontifex*).

II. Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta (Vide tit. XI lib. I, sect. 6).

III. Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus episcopis litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque ordinarii ejus loci litteris testimonialibus (Vide tit. supra citat., *l. c.*, et sect. 4, etc.).

IV. Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua congregatione viventi in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo (Vide eumdem tit., *l. c.*).

V. Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt religiosi ejecti, extra religionem degentes (Vide titulum XXXI, sect. 3, 4, lib. III).

VI. Suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio : eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus (Vide tit. XIII lib. I, etc.).

VII. Clerici sæculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo ordinario absque licentia card. Urbis vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint : nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus

suburbicariis, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui ordinarii ad alium directis quam ad card. Urbis vicarium : vel non præmissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt : episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum (Vide tit. xi lib. I, sect. 4, § 2, v).

Interdicta latæ sententiæ reservata.

I. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt universitates, collegia et capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum concilium appellantia (Vide tit. viii lib. V).

II. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab ordinario, vel delegato judice, vel a jure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint (Vide tit. xxxix, sect. 2, § 1, iii, lib. V).

Denique quoscumque alios sacrosanctum concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quæ vero censuræ sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, nostris aut prædecessorum nostrorum constitutionibus, aut sacris canonibus, præter eas quas recensuimus, latæ sunt, absque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum regularium, nec non quorumcumque collegiorum, congregationum cœtuum locorumque piorum, cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Cæterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quæ ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis explicita ac individua mentio facta fuerit : quæ vero privilegia aut facultates, sive a prædecessoribus nostris, sive etiam a Nobis cuilibet cœtui, ordini, congregationi, societati et instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari prædito, atque etiam speciali mentione digno, a quovis unquam tempore huc usque concessæ fuerint, ea omnia, easque omnes nostra hac constitutione revocatas, suppressas et abolitas esse volumus, prout reapse

revocamus, supprimimus et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis vel non in corpore juris aut apostolicis constitutionibus, et quavis confirmatione apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina synodo episcopis concessam sess. 24, cap. 6, *de Ref.*, in quibuscumque censuris apostolicæ Sedi hac nostra constitutione reservatis, iis tantum exceptis quas eidem Apostolicæ Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has litteras, atque omnia et singula quæ in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas quæ in eisdem factæ sunt ex anterioribus constitutionibus prædecessorum nostrorum, atque etiam nostris, aut ex aliis sacris canonibus quibuscumque, etiam conciliorum generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicæ Sedis nuntios, ac quosvis alios quacumque præeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam prætextu cujuslibet privilegii, aut consuetudinis inductæ vel inducendæ, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hac attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo octogentesimo sexagesimo nono, quarto idus octobris, pontificatus nostri anno vigesimo quarto.

M. Card. Mattei, pro-datarius, N. Card. Paracciani Clarelli.

Visa de Curia :
Dominicus Bruti.

Loco † plumbi. I. Cugnoni.

II. — Litteræ apostolicæ sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Domini Pii, divina Providentia Papæ IX, super vicariis capitularibus necnon electis et nominatis ad sedes episcopales vacantes.

Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, pro munere sibi divinitus collato regendi ac gubernandi universam Christi Ecclesiam, non solum SS. canonum observantiam urgere, sed etiam illorum certum et authenticum sensum declarare satagit, si quando quidpiam dubitationis in aliquo occurrat, ne diversis interpretationibus materia præbeatur, atque inde ecclesiasticæ disciplinæ unitas rumpatur, cum magno ecclesiastici regiminis detrimento.

Sane juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam, sede episcopali vacante, diœcesis administratio ad capitulum ecclesiæ cathedralis devolvitur; quod olim per se ipsum diœcesim, toto tempore quo sedes vacabat, administrare poterat, vel uni aut pluribus diœcesim administrandam committere, libera eidem relicta potestate deputatos eligendi eisque delegatam jurisdictionem, sive quoad usum, sive quoad tempus arctandi et constringendi.

At vero Concilii Tridentini Patres animadvertentes gravissima quæ oriebantur incommoda ex administratione viduatæ ecclesiæ cœtui personarum diversi fere ingenii concredita, ad ea vitanda sapienter decreverunt : ut « capitulum, sede vacante, officialem seu vicarium, infra octo dies post mortem episcopi, constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus. Si secus factum fuerit ad metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur, et si ecclesia ipsa metropolitana fuerit, aut exempta, capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior episcopus in exempta, vicarium possit constituere (1). »

Hujusmodi vero decretum varie interpretati sunt privati canonicarum rerum scriptores. Quidam enim censuerunt posse capitulum in constituendo vicario aliquam jurisdictionis partem sibi reservare; alii putaverunt fas esse capitulo ad certum tempus vicarium deputare; nec defuerunt qui arbitrati sunt licere capitulo vicarium pro arbitrio removere et alium substituere.

Recensitæ scriptorum sententiæ a nonnullis capitulis libenter exceptæ sunt : quo factum est ut in hac re tam magni momenti disciplinæ uniformitas deficeret, et Tridentinum decretum optatum finem plene non attingeret. Quamvis autem SS. Urbis Congregationes has sententias, suis responsis in casibus occurrentibus, pluries reprobaverint, ita ut ex eorum responsis manifeste appareat quæ fuerit mens Patrum Tridenti-

(1) Sess. 24, cap. 16, *de Reformat.*

norum in edendo decreto superius relato; attamen cum nondum omnia ubique ad eam mentem exigi videamus, ad submovendam prorsus quamlibet dubitationis causam vel obtentum, iisdem responsis et declarationibus apostolicæ auctoritatis robur adjiciendum censemus. Quocirca motu proprio, ac certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine declaramus et decernimus: totam ordinariam episcopi jurisdictionem, quæ, vacua sede episcopali, ad capitulum venerat, ad vicarium ab ipso rite constitutum omnino transire nec ullam hujus jurisdictionis partem posse capitulum sibi reservare, neque posse ad certum et definitum tempus vicarium constituere multoque minus removere, sed eum in officia permanere quousque novus episcopus litteras apostolicas, de collato sibi episcopatu, capitulo, juxta Bonifacii VIII prædecessoris nostri constitutionem (1), vel capitulo deficiente, ei exhibuerit qui, ad normam SS. canonum, vel ex speciali S. Sedis dispositione, vacantem diœcesim administrat, vel ejusdem administratorem, seu vicarium deputat.

Quamobrem pro nullis habendæ sunt limitationes, seu quoad jurisdictionem seu quoad tempus, adjectæ a capitulo electioni vicarii capitularis, qui idcirco, iis non obstantibus, officium sibi rite collatum, toto tempore quo sedes episcopalis vacua fuerit, totamque ordinariam jurisdictionem episcopalem libere et valide exercere perget, donec novus episcopus apostolicas canonicas suæ institutionis litteras, ut diximus, exhibeat.

Hac autem occasione declaramus etiam, et decernimus ea quæ a Gregorio X prædecessore nostro in concilio Lugdunensi II de electis a capitulis, constituta sunt (2) comprehendere etiam nominatos et præsentatos a supremis publicarum rerum moderatoribus, sive imperatores sint, sive reges, sive duces, vel præsides, et quomodocumque nuncupentur, qui ex S. Sedis concessione, seu privilegio, jure gaudent nominandi et præsentandi ad sedes episcopales in suis respectivis ditionibus vacantes, abolentes idcirco, cassantes et penitus annullantes usum, seu potius abusum sub quovis titulo, vel prætenso et asserto privilegio, quæsito colore et quacumque causa, licet speciali et expressa mentione digna, in quibusdam regnis seu regionibus præsertim longinquis invectum, quo capitulum ecclesiæ cathedralis vacantis obsequens invitationi seu mandato, licet verbis deprecatoriis concepto, supremæ civilis potestatis, concedere et transferre præsumit, ac de facto concedit et transfert in nominatum et præsentatum ad eamdem ecclesiam illius curam, regimen et administrationem, eamque nominatus et præsentatus sub nomine provisoris, vicarii generalis, aliove nomine gerendam suscipit ante exhibitionem litterarum apostolicarum, uti superius dictum est, de more faciendam, remoto proinde vicario capitulari, qui ex juris dispositione toto tempore vacationis ecclesiæ eam administrare ac regere debet. Confirmantes autem alia

(1) Extravag. *Injunctæ*, *de Electione inter comm.*
(2) Cap. *Avaritiæ*, *de Electione*, in 6°.

etiam decessorum nostrorum et præsertim Pii VII decreta et dispositiones, declaramus et decernimus, ut si interea vicarius capitularis decesserit, aut sponte sua muneri renuntiaverit, aut ex alia causa officium ipsum legitime vacaverit, tunc capitulum, vel capitulo deficiente, qui potestatem habet deputandi vacantis ecclesiæ administratorem seu vicarium, novum quidem vicarium vel administratorem eligat, nunquam vero electum in episcopum a capitulis, aut a laica potestate nominatum seu præsentatum ad dictam ecclesiam vacantem, cujus electionem ac deputationem, si eam capitulum vel alius, uti supra, peragere præsumpserit, cassamus, annullamus, et omnino irritam declaramus.

Confidimus autem dignitates et canonicos cathedralium ecclesiarum vacantium, ac illos qui, deficientibus capitulis, vicarios deputant, aut vacantes ecclesias legitime administrant, plane exsequuturos quæ hisce nostris litteris declarata et decreta sunt, ubi vero, quod Deus avertat, ea exsequi detrectaverint, ac concedere et transferre in nominatum et præsentatum ad eamdem ecclesiam ejus curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quæsito colore ausi fuerint, præter nullitatem jam decretam prædictæ concessionis et translationis, præfatos canonicos ac dignitates excommunicationis majoris, nec non privationis fructuum ecclesiasticorum beneficiorum quorumcumque aliorumque reddituum ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, similiter eo ipso incurrendis pœnis innodamus, et innodatos fore decernimus, et declaramus; ipsarumque pœnarum absolutionem seu relaxationem Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti duntaxat specialiter reservamus.

In easdem pœnas pariter reservatas ipso facto incurrunt nominati et præsentati ad vacantes ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a dignitatibus et canonicis aliisque, de quibus supra, in eos peractam, nec non ii qui præmissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem præstiterint, cujusque status, conditionis, præeminentiæ et dignitatis fuerint.

Præterea nominatos et præsentatos jure quod eis per nominationem et præsentationem forte quæsitum fuerit, decernimus eo ipso privatos.

Si vero aliqui ex prædictis episcopali charactere sint insigniti in pœnam suspensionis ab exercitio pontificalium et interdicti ab ingressu ecclesiæ ipso facto, absque ulla declaratione, incidunt, S. Sedi pariter reservatam.

Insuper quæcumque a sic nominatis et præsentatis in administratione vacantium ecclesiarum intrusis fiant, mandentur, decernantur et ordinentur, cum omnibus et singulis inde quovis modo sequutis, et quomodocumque sequuturis, omnino nulla, invalida, inania, irrita, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, et de facto præsumpta, nulliusque valoris, momenti et efficaciæ esse et perpetuo fore tenore præsentium declaramus et decernimus, illaque damnamus et reprobamus.

Hæc volumus, statuimus ac mandamus, decernentes has nostras litteras, et omnia in eis contenta nullo unquam tempore a nemine cujusque conditionis et dignitatis etiam imperialis et regiæ, sub quovis titulo, quæsito colore ac prætenso et asserto privilegio, quod si forte sit, cassamus et annullamus, infringi, impugnari, vel in controversiam revocari posse, sed semper firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus semper sortiri et obtinere debere: non obstantibus apostolicis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac nostris et Cancellariæ apostolicæ regulis, præsertim *de jure quæsito non tollendo*, cæterisque etiam speciali mentione dignis contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut facta harum litterarum publicatione, per affixionem transumptorum ad valvas basilicarum Urbis, omnes ubique fideles, ad quos spectat, qui, quomodocumque noverint eas, prout dictum est, Romæ fuisse promulgatas, ad earum exsequutionem perinde obstringantur, ac si personaliter singulis notificatæ fuissent.

Volumus pariter, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu tamen alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habantur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum declarationis, decisionis, annullationis, irritationis, statuti, præcepti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis vero hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo septuagesimo tertio, quinto kalendas septembris, pontificatus nostri anno vigesimo octavo.

F. Card. Asquinius.

Censuræ quas inflixit Tridentinum concilium cum adjectis ab eo reservationibus.

De usurpatoribus quorumcumque bonorum ecclesiasticorum aut jurium quorum excommunicatio est Romano Pontifici a concilio Tridentino reservata.

Sess. 22, c. 11, *de Reform.* « Si quem clericorum vel laicorum quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ seu cujusvis sæcularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacumque arte aut

quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire ne ab iis ad quos jure pertinent, percipiantur, is anathemati tandiu subjaceat, quandiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et redditus quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositæ personæ, pervenerint, ecclesiæ ejusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit... Clericus vero qui nefandæ fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat... »

Excommunicatio magistratus, si ad instantiam episcopi non præbeat auxilium adversus contradictores clausuræ monialium, itemque violantes earum clausuram.

Sess. 15, ex c. 5, *de Reg.* : « Bonifacii VIII constitutionem quæ incipit : *Periculoso*, renovans sancta synodus, universis episcopis sub obtestatione divini judicii et interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Quod auxilium ut præbeatur, omnes christianos principes hortatur sancta synodus, et sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, omnibus magistratibus sæcularibus injungit. »

Sess. 25, ex cap. 5, *de Reg.* : « Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerit, sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. »

Excommunicantur raptores mulierum eorumdemque consocii.

Sess. 24, ex cap. 6, *de Reform. matrim.* : « Decernit sancta synodus, inter raptorem et raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere censuerit, eam raptor in mulierem habeat, et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati. »

Excommunicantur qui libertatem matrimonii contrahendi violant.

Sess. 24, ex cap. 9, *de Ref. matr.* : « Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, ut viros et mulieres sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites vel spem magnæ hæreditatis habentes, minis et pœnis

adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis præscripserint. Quare, quum maxime nefarium sit matrimonii libertatem violare et ab eis injurias nasci, a quibus jura exspectantur, præcipit sancta synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant. »

Excommunicantur qui cogunt mulierem ad ingrediendum monasterium, vel impediunt.

Sess. 21, ex cap. 18, *de Regul.* : « Anathemati sancta synodus subjicit omnes et singulas personas, cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, sæculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodolibet coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subjicit eos qui sanctarum virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint. »

Excommunicantur duellantes et reliqui qui duellum quasi honestum spectaculum permittunt, vel adjuvant, vel assistunt.

Sess. 25, ex cap. 19, *de Reform.* : « Imperator, reges, duces, principes, marchiones, comites et quocumque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati... Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur excommunicationis... pœnam incurrant... Illi etiam qui consilium in causa duelli tam in jure, quam in facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur. »

Excommunicantur qui sequentes falsas propositiones docent.

Sess. 13, ex can. 11, *de Euchar.* : « Ne tantum sacramentum (Eucharistiæ) indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta synodus illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare vel pertinaciter

asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Sess. 24, ex cap. 1, *de Ref. matr.*: « Dubitandum non est clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde jure damnandi sunt illi, ut eos sancta synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. »

Suspenduntur illi qui in contrahendo matrimonio sponsis illegitime benedicunt.

Sess. 24, ex cap. 1, *de Ref. matr.*: « Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis, sive sæcularis, etiamsi sibi ex privilegio vel immemoriali consuetudine licere contendat alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tandiu suspensus maneat, quandiu ab ordinario ejus parochi qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. »

Suspenduntur vel interdicuntur qui variis modis violant canones de sacra ordinatione.

Sess. 23, ex cap. 8, *de Ref.*: « Unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores, ordinarii sui testimonio, commendetur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quandiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus. »

Sess. 23, ex cap. 14, *de Ref.*: « Cum promotis per saltum, si non ministraverint, episcopus ex legitima causa possit dispensare. »

Sess. 7, ex cap. 10, *de Ref.*: « Non liceat capitulis, sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant. In majoribus vero ab exsecutione ordinum, ad beneplacitum futuri prælati, sint ipso jure suspensi. »

Sess. 6, ex cap. 5, *de Ref.*: « Nulli episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio pontificalium,

et sic ordinati ab exsecutione ordinum, sint ipso jure suspensi. »

Sess. 23, ex c. 10, *de Ref.* : « Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre; nec ipsi abbates et alii exempti, aut collegia vel capitula quæcumque, etiam ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus quæ in hujus sanctæ synodi decretis continentur, ad episcopos intra quorum diœcesis fines existant, pertineat; non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Pœnam quoque impositam iis qui contra hujus sanctæ synodi sub Paulo III decretum (1), a capitulo episcopali, sede vacante, litteras dimissorias impetrant, ad illos qui easdem litteras non a capitulo, sed ab aliis quibusvis in jurisdictione episcopi, loco capituli, sede vacante, succedentibus obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam decreti, ab officio et beneficio per annum sint ipso jure suspensi. »

Sess. 14, ex cap. 2, *de Ref.* : « Nemo episcoporum qui titulares vocantur, etiamsi in loco nullius diœcesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cujusvis ordinis residerint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ, absque sui proprii prælati expresso consensu aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores ordines vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens exercitio pontificalium per annum, taliter vero promotus ab exsecutione ordinum sic susceptorum, donec suo prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi. »

Interdicuntur episcopi concubinarii et qui non denunciant episcopos illegitime absentes.

Sess. 6, ex cap. *de Ref.* : « Crescente vero contumacia (episcopi absentis ultra secundum semestre tempus), ut severiori SS. canonum censuræ subjiciatur, metropolitanus suffraganeos episcopos absentes, metropolitanum vero absentem suffraganeus episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras seu nuncium Romano Pontifici denuntiare teneatur. »

Sess. 23, ex cap. 14, *de Ref.* : « Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine (*concubinatus*) non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi. »

(1) Hoc decretum est illud sessionis 7, cap. 10, modo relatum.

S. Congr. S. U. Inquisitionis super constitutione *Apostolicæ Sedis* **instructio.**

(Ad quæsita ordinarii N.)

Ad supremam hanc Congregationem nonnulla dubia delata sunt, ab Amplitudine Tua proposita, quibus feria 4ª, die 15 junii labentis anni 1870, ita responsum est:

In quarto dubio, plura a te congesta sunt. Et primo quidem anxium te exhibebas circa magistratus catholicos et Gubernii servos, qui immunitatem asyli ecclesiastici violant, veritus nimirum ne omnes excommunicationi subjaceant quæ in constitutione *Apostolicæ Sedis*, 12 octobris 1869, est quinta inter excommunicationes latæ sententiæ R. Pontifici reservatas, eaque est tenoris sequentis : « Immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes aut usu temerario violantes. » Qua te anxietate ut eximerent Emi Patres, audito etiam SSmi oraculo, monitum te voluere in ea formula verba : *ausu temerario*, utrumque membrum complecti. Ex quo intelligas eum tantum excommunicationem incurrere, qui ab aliis minime coactus, prudens ac sciens immunitatem asyli ecclesiastici aut violare jubet, aut exsequendo violat, quem porro utpote omnis excusationis expertem excommunicationi subjacere mirum esse non debet.

Deinde similem aperiebas sollicitudinem quoad eosdem magistratus et Gubernii servos *trahentes clericos ad suum tribunal propter violationem legis civilis sive* alio modo, quos omnes timebas excommunicatione esse irretitos quæ in dicta constitutione *Apostolicæ Sedis* est septima inter excommunicationes latæ sententiæ R. Pontifici speciali modo reservatas. Sed in ea formula attendere debes verbum *cogentes*, quod sane indicat excommunicationem eos non attingere qui subordinati sunt, etiamsi judices fuerint, sed in eos tantum esse latam qui a nemine coacti vel tales vel alios ad agendum cogunt, quos etiam indulgentiam nullam mereri facile perspicies.

Mirum autem visum est, quod tertio loco de iisdem censuris addebas, *an revera excommunicationem incurrant illi qui vix ideam habent legum a longo tempore obsoletarum sive in Anglia sive in Gallia.* Agitur enim de constitutione *Apostolicæ Sedis*, quæ non a longo tempore, sed die 12 octobris, anno 1869, edita est, et in qua Summus Pontifex expresse monet censuras omnes quæ in ea continentur, « non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa constitutione nostra, non secus ac si primum editæ ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere. » Non igitur adeo recentis legis, regulariter loquendo, ignorantia obtendi potest, cum fuerit ea constitutio et pro tota Ecclesia in Urbe promulgata et ubique jam celebretur.

Quarto loco quærebas, an ii qui prædictas censuras incurrerunt, admonendi sint, quod porro minime constabat utrum de interno an

de externo foro quæreres. Sed si de interno res est, licet theologi doceant, aliquando (hoc est, debitis factis exceptionibus, de quibus iidem agunt) dissimulari cum pœnitente posse, cum duo hæc simul concurrunt, bona fides et indubia prævisio nullum ex admonitione fructum perceptum iri : huic tamen apertum est, sive ob personarum qualitatem quæ excommunicationi subjiciuntur, sive ob qualitatem constitutionis eamdem censuram inferentis, quæ recentissima est ac plane notoria, difficile dari posse bonam fidem quæ admonitionem omitti posse suadeat. Quod si de externo foro sermo sit, distinguendum erit inter pastoralem admonitionem ac judicialem sententiam, qua reum de quo agitur, excommunicationem incurrisse declaratur. Sententiam hanc declaratoriam, utrum ferri expediat, definiri generatim non potest, sed facti personarumque circumstantiis sedulo expensis dignosci debet. Ad pastoralem vero admonitionem quod attinet, quid theologi doceant probe nosti, qui, si, deficiente probabili spe emendationis ac fructus, prudentique metu gravioris cujuspiam mali concurrente, differri admonendi officium, quod ex proprio munere pastorem urget, posse consentiunt; nihilominus monent, si scandalum a pastoris silentio oriatur, intermitti illud non licere.

Quod denique quinto loco addebas, *utrum habeas facultatem absolvendi a prædictis excommunicationibus?* censuerunt Emi Patres, id a te quæri ob clausulas derogatorias quæ in constitutione *Apostolicæ Sedis* leguntur; nam cæteroqui, quid facultatum tibi datum sit, nosse ipse debes. Itaque decreverunt, ut declaratio circa prædictas clausulas de mandato Sanctitatis Suæ ab hac suprema Congregatione edita tibi communicetur, quæ est tenoris sequentis : *Colla detta costituzione il Santo Padre non ha punto inteso di recare la menon a alterazione alle facolta di qualsiasi natura della S. Sede innanzi alla promulgazione della medesima accordate sieno esse quinquennali o straordinarie o relative al presente giubileo e vuole che rimangano nel pieno loro rigore durante il termine nelle rispettive concessioni od idulti prefinito.*

In quinto dubio non satis te intelligere indicas cur in constitutione *Apostolicæ Sedis*, sub numero quarto excommunicationum latæ sententiæ, quæ Romano Pontifici reservantur, ea quoque recensetur, quæ est *contra non denuntiantes occultos coryphæos ac duces sectæ massonicæ aut carbonariæ aliarumve ejusdem generis sectarum, quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur, eaque dubii ratio a te proponitur, quod nomina præsidentium et membra cujusque logiæ publice typis dentur*. Sed ne in re tam gravi, quæque tanti interest incolumitatis Ecclesiæ, salutis animarum publicæque tranquillitatis, quempiam indormire sinas, persuadere tibi debes, non sine gravissimis causis Romanum Pontificem e sua specula ex qua totam Ecclesiam omnesque simul circumstantias circumspicit, excommunicationem illam jampridem latam, multo mitioribus terminis cohibitam retinuisse. Quamquam haud difficile cuique erit aliquam per se causam videre injunctæ denuntiationis, licet,

ut ais, *præsidentium ac membrorum nomina*, saltem in secta massonica et carbonaria, *publice typis dentur*. Cæteris enim prætermissis, quis sane dicere aut nosse valeat, utrum qui in publicis ephemeridibus apparent, specie tantum ac nomine tenus coryphæi ac duces sint, veri autem machinationum artifices directoresque delitescant? Aut quis etiam divinet, utrum perpetuo et constanter ducum nomina evulgare velint? Vides igitur non inutiliter neque sine causa præceptum esse, ut coryphæi, saltem qui occulti sint, denuntientur.

At quæris cui et a quibus fieri ejusdem denuntiationes in missionibus debeant. Obscurum esse minime potest a quibus faciendæ sint. Generale quippe est præceptum omnibus fidelibus injunctum. Cui vero sunt faciendæ manifestum quoque est, nimirum ei qui pro pastorali officio vigilare et cavere debet, ne oves sibi concreditæ in lupos incurrant, neve peste inficiantur; cujusmodi est quicumque episcopale vel quasi episcopale munus in missionibus gerit, vicarius videlicet vel præfectus apostolicus, vel ab eis ad hunc effectum delegatus.

S. Congr. Univ. Inquisitionis die 8 julii 1874.

Interrogata fuit circa dubia sequentia :

1° Qua parte Tridentinæ censuræ a constitutione *Apostolicæ Sedis* confirmatæ adhuc vigeant? Quod idem est ac quærere, an peccans in materia quam et constitutio *Apostolicæ Sedis* et concilium Tridentinum attingunt, in duplicem excommunicationem incidat, alteram R. Pontif. *specialiter* reservatam vi supradictæ const., alteram *simpliciter* reservatam vi concilii Trid.? Et proinde, an usurpatores bonorum ecclesiasticorum duplici innodentur excommunicatione?

2° An qui emunt ecclesiastica bona ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem R. Pontif. specialiter reservatam vi art. XI memoratæ const.?

3° An saltem in excommunicationem R. Pontif. simpliciter reservatam, vi capitis 11, *de Reform.*, sess. 22, a concil. Trid. editam?

Resp. S. Congr. : ad I. Negative, videlicet usurpatores bonorum ecclesiasticorum innodari sola excommunicatione R. Pontif. specialiter reservata.

Ad II. Minime dubitandum, quin ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus incidant in excommunicationem R. Pontif. reservatam : *etenim præscindendo a quæstione, an supradicta emptio aliquo modo attingatur a constitutione* Apostolicæ Sedis, *articulo XI*, nulli dubium esse potest quin comprehendentur a clarissima dispositione cap. 2, *de Reform.*, sess. 22, concilii Tridentini.

Ad III. Provisum in præcedenti.

Nota. Ex his documentis constat quæstionem de iis qui emerunt ab usurpatoribus, nondum esse solutam : ex una parte, in allocutione declaratur tantum emptores majori excommunicatione obstringi, quin definiatur an excommunicatio illa sit lata vi art. XI const. *Apostolicæ*

Sedis, aut ex dispositione conc. Tridentini; ex altera parte, S. Congr. U. Inquis. affirmare noluit emptores innodari excommunicatione speciali modo reservata, seu art. XI constitutionis *Apostolicæ Sedis* lata.

Excommunicantur missionarii quilibet in Indiis orientalibus et America existentes qui mercaturam exercent.

Cum a suprema S. Inquis. Congr. dubium fuerit expositum an post const. *Apostolicæ Sedis*..... adhuc vigeant censuræ latæ sententiæ contra ecclesiasticos et missionarios mercaturæ in Indiis orientalibus operam dantes in constit. Urbani VIII..... Clem. IX, etc. EE. PP. inquisitores generales ex congr. habita fer. IV, 4 dec. 1872, cum considerassent reservationem aut exceptionem factam ad paragraphum *Quæ vero censuræ*, prædictæ constitutionis, posse quæstionibus ansam præbere, censuerunt supplicandum SSmo Domino nostro ut declarare dignetur constitutiones SS. PP. Urbani VIII..... adhuc vigere et declarationem notificandam esse ab hac S. C. per litteras circulares, prout tenore præsentium fit missionariis quibuslibet in Indiis orientalibus et Americæ existentibus. Porro Sanctitas Sua eidem sententiæ in omnibus annuendum censuit.

Decretum S. Congregationis Concilii vi cujus ecclesiasticis provinciis Venetæ ac Mediolanensi, singulisque diœcesibus patriarchali ac metropolitanæ jurisdictioni subjectis, applicantur ea omnia quæ pro Helvetica fœderatione, quoad popularem parochorum electionem, sapientissime constituta sunt in nuperrimis litteris encyclicis diei 21 novembris 1873.

Decretum.

Actuosi iniquarum sectarum asseclæ, qui ubique fere rerum potiti omnem pervertere ordinem, ipsaque constitutionis Ecclesiæ Christi fundamenta suffodere conantur, etiam in catholica Italia plebes commovere audent, ut imitantes nefarium quorumdam Helveticorum exemplum, jus eligendi proprios animarum curatores sibi audacter usurpent. Nec, quod deterius est, defuit inter aliquos perditissimos ecclesiasticos viros, qui munus parochiale tam perverse sibi delatum suscipere, atque etiam obire impudenter præsumpserit. Detestabile sane facinus, quod ecclesiasticam hierarchiam evertit funditusque pessumdat : siquidem *docendus est populus*, inquit Cœlestinus Papa, *non sequendus, nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his consensum præbere debemus* (1). Temerarius proinde ausus *contra statuta sanctorum Patrum, crimen tam ambitionis, quam inobedientiæ*, ex quo, subdit Gregorius VII, *plurimas perturbationes in Ecclesia, imo ruinam sanctæ religionis oriri, ex quibus chris-*

(1) Can. *Docendus*, 2, dist. 63.

tiana religio conculcatur (1). Nil propterea mirum quod SS. canones tantum nefas perpetuo reprobaverint, ac gravissimis pœnis devoverint. Prælaudatus namque Gregorius VII (2), Paschalis II (3), Alexander II (4) et concilium Lateranense sub Alexandro III celebratum (5) solemniter decreverunt investituram ecclesiæ per manus laicorum susceptam irritam esse, et clericos ecclesias taliter recipientes ab introitu ecclesiæ interdici, excommunicatione mulctari, et, si in scelere persliterint, a ministerio ecclesiastico deponi debere. Quin imo scelus hujusmodi eam præterea redolet nequissimam jurisdictionis, bonorum ac jurium Ecclesiæ usurpationem, quam concilium Tridentinum (6) anathemati tandiu subjecit, quandiu usurpatio cessaret, ac constitutio *Apostolicæ Sedis*, IV idus octobris 1869 (7), obnoxiam declaravit excommunicationi latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ. Cum tamen tot saluberrimæ SS. canonum sanctiones haud fregerint audaciam ac nequitiam novatorum, ne in superioribus Italiæ regionibus illud ipsum patraretur nefas, quod in proxima Helvetia nuper fuerat apostolica auctoritate disjectum, sanctissimus D. N. Pius Papa IX, præ maxima qua flagrat erga omnes oves sollicitudine et charitate, mandavit huic Sac. Congregationi Concilii, eidem malo eadem occurrendum esse medela : ideoque jussit ecclesiasticis provinciis Venetæ ac Mediolanensi, singulisque diœcesibus patriarchali ac metropolitanæ jurisdictioni subjectis applicari atque inculcari, prout præsenti decreto reapse applicantur atque inculcantur, ea omnia quæ pro Helvetica fœderatione, quoad popularem parochorum electionem, sapientissime constituta sunt in nuperrimis litteris encyclicis diei 21 novembris 1873; adeo ut quicumque in præmemoratis diœcesibus, suffragante populo, ad parochi sive vicarii officium electi audeant sive ecclesiæ, sive jurium ac bonorum prætensam possessionem arripere, atque obire munia ecclesiastici ministerii, *ipso facto incurrant in excommunicationem majorem peculiariter reservatam S. Sedi, aliasque pœnas canonicas, iidemque omnes fugiendi sint a fidelibus juxta divinum monitum, tanquam alieni aut fures, qui non veniunt, nisi ut furentur, mactent et perdant.* Ita porro eadem Sac. Congregatio Concilii statuit ac decrevit, et ab omnibus servari mandavit, sublatis exemptionibus ac privilegiis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romæ, ex secretaria Sac. Congregationis Concilii, diei 23 maii 1874.

P. card. CATERINI, *Præf.*
P. Archiepiscopus Sardianus, *Secr.*

(1) Can. *Si quis deinceps*, 12, et can. *Quoniam*, 13, causa 16, q. 7.
(2) Can. *Si quis deinceps*, 12; can. *Quoniam*, 13; can. *Si quis episc.*, 14; causa 16, q. 7.
(3) Can. *Si quis clericus*, 16; can. *Constitutiones*, 17; can. *Nullus*, 18; can. *Sicut*, 19, causa 16, q. 7.
(4) Can. *Per laicos*, 20, causa 16, q. 7.
(5) Cap. *Præterea*, 4, *de Jurepatr.*
(6) Sess. 22, cap. 11, *de Reform.*
(7) Part. I, § 11.

Epistola encyclica S. D. N. Pii Papæ IX 1 nov. 1870.

.... Quoniam vero nostra monita, expostulationes vel protestationes in irritum cesserunt, idcirco auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum..., ac nostra.... universæ Ecclesiæ declaramus eos omnes, qualibet dignitate etiam specialissima mentione digna fulgentes, qui quarumcumque provinciarum nostræ ditionis atque almæ hujus Urbis *invasionem, usurpationem*, vel *eorum aliqua perpetrarunt*, itemque ipsorum *mandantes, fautores, adjutores, consiliarios, adhærentes* vel *alios quoscumque prædictarum rerum exsecutionem quolibet prætextu et quovis modo procurantes vel per seipsos exsequentes*, majorem excommunicationem aliasque censuras et pœnas ecclesiasticas a sacris canonibus, apostolicis constitutionibus et generalium conciliorum, Tridentini præsertim (sess. 22, c. 11, *de Reform.*).... decretis inflictas incurrisse...

S. D. N. Pii Papæ IX allocutio habita die 25 julii 1873.

Abstinendum censemus, venerabiles Fratres, ab iis iterandis quæ toties ad deterrendos ab ausu scelesto publicarum rerum moderatores... : sed omnino compellimur ab officio vindicandi Ecclesiæ jura, a studio præmonendi incautos, ab ipsa charitate erga sontes, elata voce nuntiare iis omnibus qui prædictam iniquissimam legem (suppressionis religiosarum familiarum) *proponere, probare, sancire non extimuerunt, necnon mandantibus, fautoribus, consultoribus, adhærentibus, exsecutoribus, bonorumque ecclesiasticorum emptoribus*, non solum irritum esse, cassum et nullum quidquid hac in re egerint aut sunt facturi, sed *universos majori excommunicatione aliisque censuris et pœnis ecclesiasticis juxta sacros canones, apostolicas constitutiones et generalium conciliorum, Tridentini præsertim, decreta inflictis obstringi...*

SECTIO V.

DE REGULIS JURIS.

---

§ I. Regulæ in Decretalibus antiquis.

(Sunt XI.)

I. *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, ex reg. 36 ff. : *Nihil tam naturale est, quam eo genere quodque dissolvere, quo colligatum est.* Valet in contractibus, et obligationibus temporalibus a voluntate contrahentium dependentibus (reg. 36, 100,

153, ff.). Fallit : 1° in his quæ sunt juris divini, ut matrimonium, et cetera sacramenta, juramenta, vota; 2° in translatione episcoporum, absolutione censurarum; quia sæpe ligat, qui solvere non potest, et solvit, qui ligare non potuit.

II. *Dubia in meliorem partem interpretari debent,* ex cap. 2 h. t. et reg. 30 in 6°, et reg. 9 ff. : *Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.* Valet in actibus indifferentibus et ex genere suo permissis, et in his quæ sunt securiora : sicut in dubio securius est reum absolvere, quam condemnare, c. 6, in fin., *de Fide instrum.* Fallit in delictis et actibus ex genere suo malis, qui præsumuntur dolo malo fieri, donec contrarium probetur (l. XV, § 38, ff. *de Injur.*).

III. *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.* Reg. procedit de veritate bonæ vitæ, quia non licet peccare ad evitandum scandalum. At veritas justitiæ vindicativæ et disciplinæ, seu rigor in puniendo, quandoque omitti potest, ne scandalum oriatur; et ideo permittuntur minora mala ad majora præcavenda (c. 23, *Etsi,* 1, q. 7, et can. 25, d. 50, etc.; glossa).

IV. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum;* nam necessitas non habet legem (c. 2, in fin., *de Observ. jejun.*). Valet in lege positiva, præsertim humana; fallit in lege naturali, et quoties lex positiva violanda esset in contemptum potestatis Ecclesiæ (c. 5, *De his quæ vi*).

V. *Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere ;* nam clam, per vim, vel alias illicite facta, sicut non obligant, ita non debent permanere ; cum contra jus, vel sint irrita, vel irritanda. Fallit in his quæ fieri prohibentur, et facta tenent.

VI. *In ipso causæ initio non est a quæstionibus,* seu tormentis et torturis *inchoandum,* ex l. I, ff. *de Qq.*, l. VIII, § 1, c. eod.; nam ante tormenta, seu torturam præcedere debet semiplena probatio, seu præsumptiones sufficientes. Reus tamen, si suspectus sit de fuga, ab initio incarcerari potest custodiæ causa.

VII. *Quidquid in sacratis Deo rebus et episcopis injuste agitur, pro sacrilegio reputatur, quia sacra sunt, et a quoquam violari non debent :* nam violatores rei, loci et personæ quæ sacra sunt, sacrilegium committunt, et jus publicum consistens in sacris et sacerdotibus offendunt (Can. 2, d. 1, ex l. I, § 2, ff. *de J. et j.*).

VIII. *Qui ex timore facit præceptum, aliter quam debeat facit; et ideo jam non facit.* Procedit de timore serviliter servili, non filiali, aut concepto ex motivo honesto, maxime supernaturali.

IX. *Defleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus,* ex Jac., II, et can. fin. *de Pœnit.*, d. 5. Fit omnium reus, ratione finis; quia etiam unum peccatum lethale impedit gratiam et vitam æternam ; non tamen fit reus omnium ratione malitiæ et pœnæ.

X. *Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et pastor nescit.* Reg. procedit de episcopis, et aliis præpositis animarum,

de quorum manibus sanguis subditorum requiritur. Ignorantia eos non excusat, quia plerumque supina est, cum prælatorum sit inquirere in delicta subditorum (Glossa).

XI. *Indignum est, et a Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur;* nam imponere pro spiritualibus juramentum fidelitatis a vassallis præstari solitum, est manifesta simonia, cum detur spirituale pro temporali. At juramentum obedientiæ, quod episcopi, et alii prælati præstant Sedi Apostolicæ, honestum est, necessarium hodie, et in Ecclesia usitatum (Can. 1 et 4, d. 100, c. 4, *de Elect.*, etc.)

§ II. Regulæ in sexto Decretalium.

(Sunt LXXXVIII.)

Decas I.

I. *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine canonica institutione obtineri.* Valet de beneficio in titulum obtento : fallit in beneficio obtento jure proprietatis et administrationis, et quoad proventus ecclesiasticos ex certa causa acquisitos etiam per præscriptionem (cap. *de Jurepatronat.*; can. 66, *Quicumque,* 12, quæst. 2; can. 61, *Possessione,* 16, quæst. 1, et can. 12, *Si episcopus,* 16, quæst. 3, etc.).

II. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit,* ex cap. 5, et fin., *de Præscr.* Hæc reg. corrigit jus civ. quo, ad continuationem possessionis, non requiritur bona fides, neque ad præscriptionem longissimi temporis 30 vel 40 annor. (instr. *de Usucap.*, l. VII, c. *de Præscr.*, 30). Nec obstat reg. 74 in 6°; nam procedit de actu perfecto et completo, non vero inchoato, sicut inchoatur possessio ad usucapionem.

III. *Sine possessione præscriptio non procedit.* Nomine possessionis venit etiam quasi possessio in rebus incorporalibus, seu juribus (cap. 10, *de Jurepatr.*). Unde quia laicus non est capax possidendi spiritualia, ideo præscribere nequit jus eligendi, instituendi, confirmandi clericos; bene vero jus patronatus, seu præsentandi, ad quod laici generaliter a jure habilitati sunt.

IV. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum* (S. Aug., in can. 1, 14, q. 6). Reg. procedit de omni læsione reparanda, saltem in proposito, seu affectu, si nequeat in effectu.

V. *Peccati venia non datur, nisi correcto,* ex can. 2, 24, q. 2. In temporalibus sæpe pœna dissimulatur, ne majus malum sequatur.

VI. *Nemo potest ad impossibile obligari,* ex reg. 185, ff. : *Impossibilium nulla obligatio est,* sive quid sit impossibile *ex natura,* ut hominem volare, sive impossibile *de facto,* ut a mendico dari decies mille aureos, sive impossibile *de jure* seu turpe contra jus divinum aut humanum, ut obligari ad furandum, fornicandum, etc.; *nam quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est* (l. XV, ff. *de Condit. institut.*).

VII. *Privilegium personale personam sequitur, et exstinguitur cum*

persona. At privilegium reale inhærens castro, communitati, dignitati, vel alteri rei, transit ad successores, ex reg. 196, ff. : *Privilegia quædam causæ sunt*, seurei, *quædam personæ : et ideo quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt; quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt*. Sic quia privilegium, seu jus pallii archiepiscopalis, personale est, non transit ad successorem (c. 2, *de Auctor. et usu pall.*); idem dic de privilegio competentiæ, dotis, et de privilegiis quæ episcopi pro sua persona solent impetrare a Sede Apost.

VIII. *Semel malus, semper præsumitur malus*, ex can. 14, *Parvuli*, 22, q. 5. Præsumptio ista juris est in eodem genere, quia ex malo fieri bonum, est facti, adeoque probari debet ad eligendam præsumptionem. Si autem delictum non præcedat, quilibet præsumitur bonus, donec probetur malus.

IX. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum* (l. VI, § 6, ff. *de Negot. gest.*). Reg. ista procedit : 1° in *delictis*, quæ non potest aliquis rata habere, si ejus nomine non sunt gesta; 2° in obligationibus et præjudiciis, seu rebus odiosis ; et ideo qui gessit negotia filii mei peculiaria, non meo, sed filii nomine, non obligor ei in solidum, sed peculio tenus (cit. l. VI, § 6), etsi negotiorum gestionem comprobaverim. Fallit regula ista : 1° in *novo consensu* confirmante : sicut superior, vel cujus interest, confirmare, seu consentire potest in factum alterius, quod alias vires non haberet, ex can. fin. 9, q. 2, ubi episcopus dispensative consentit in exsecutionem ordinum quos clerici ab alieno episcopo susceperunt, ex c. 3, *De his quæ a prælat.*, ubi convalidatur alienatio a prælato facta, si capitulum, superveniente consensu, eam ratam habuit; et c. 28, *de Elect.*, substitit electio, si canonicus spretus ei consentit; 2° fallit in eo ex quo jactura rei meæ sequeretur, nisi factum ratum haberem, ex l. II, § fin., ff. *Depositi*, l. XX, pr. ff. *de Pignorat. action.*, l. III, c. *de Rei vind.*, maxime, si æquitas id suadeat : ut si res mea, non meo nomine vendita, periit apud emptorem ; tunc enim ratificare possum venditionem, ut pretium ab emptore obtineam (l. IX, ff. *de Negot. gestis*).

X. *Ratibabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari*. Ne regula ista directe contrarietur priori, supplenda est, ut ratihabitio tunc mandato comparetur, dum quod ratum habeo, nomine meo gestum est (Glossa hic, et Gothofr., l. LX, ff. *de Reg. jur.*, n. 25). Valet reg. ista : 1° in *judiciis*, re quasi integra manente : ut si dominus ratam habeat contestationem litis a falso procuratore factam, vel positiones, aut responsiones suo consensu datas (l. LVI, ff. *de Judic.*, c. fin., in fin., *de Jurej.*, in 6°); 2° in *contractibus* (l. VI, pr. § 1, et seq. ff. *de Negot. gestis* ; l. IX, c. eod., etc.); an vero in tali casu gerenti negotium meum, a me ratificatum, competat actio *mandati*, vel *negotiorum gestorum*, in effectu nihil differt, quia utraque actio ad idem tendit ; 3° in *maleficiis*, seu delictis, saltem in quibus jus ratihabitionem pro mandato habet (reg. 152, § 2, ff. : *In maleficio ratibabitio mandato comparatur*). Sed fallit regula ista in multis : 1° Si ratihabitio

sit in præjudicium et contra jus quæsitum tertii : ut si dominus ratificaret gesta procuratoris falsi in judicio vincentis ; nam exceptio falsi procuratoris opponi potest etiam post sententiam (l. XXIV, c. *de Probat.*; l. I, pr. ff. *Quæ sent. sine appell.*). Secus si ratificatio solum præjudicium ratificantis contineat (l. fin., c. *ad SC. Maced.*, l. III, § un. ff. *Ratam rem haberi*, etc.). 2° Si mandatum, vel auctoritas per modum formæ ab initio requiratur (l. XXV, § 3, ff. *de Acq. hæred.*; reg. 29, ff. et reg. *Non firmatur*, in 6°). 3° Si principalis natura impeditus fuit ad dandum mandatum, sicut infans, furiosus. Unde infans adultus factus ratificando homicidium nomine suo factum, non censetur mandasse homicidium ; quia hoc ei erat per naturam impossibile. 4° Fallit in rescriptis justitiæ ad evitandas multas fraudes (c. 28, in fin., *de Rescript.*). 5° Fallit in plerisque delictis, nisi delicta essent pendentia, et ratificans concurreret ad eorum exsecutionem : secus non video quomodo fictio a jure non expressa locum habeat in criminalibus.

Decas II.

XI. *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori*, ex reg. 125, ff. : *Favorabiliores rei potius, quam actores, habentur*. Exempla habes can. 13, *Indicat.*, 3, q. 9, et c. 6, ad fin., *de Fide instrum.*, etc. Excipe, nisi actor persequatur causam favorabilem libertatis, matrimonii, dotis et testamenti (cap. 3, *de Probat.*; l. ante pen., ff. *de Manumissionib.*, et can. 3, *Si quis*, 33, q. I, etc.).

XII. *In judiciis non est acceptio personarum habenda*, ex can. fin. 3, q. 9 et c. 13 *de Judic.*, puta ut judex in sententiando recedat a justitia ; cum hoc grave sit peccatum. At in cæteris, ut assurgendo, sedendo, pœnam mitigando, sæpe defertur dignitati et personæ (can. 15, *Non oportet*, dist. 93 ; can. 1, d. 40 ; c. 9, *de Off. deleg.*; l. XVI, § 3 ff. *de Pœnis*, etc.). Item in arbitrariis potest judex gratiosus esse (c. 14, *de Offic. deleg.*), ne tamen peccet contra cap. 1, *de Sentent. et re jud.*

XIII. *Ignorantia facti, non juris excusat.* Facti ignorantia, dum quis sciendo legem, ignorat quid agatur, v. g. minorem esse, cum quo contrahit, excusat ; quia facta, cum sint innumera, etiam prudentissimos fallere possunt. Excipe, nisi factum notorium sit in vicinia (c. 8, *de Præsumpt.*), vel ignorantia sit improbabilis et culpabilis, sicut can. 6, *In lectum*, 34, q. 3, l. XXXVI, ff. *Famil. herciscund.*, tit. *de Hæreditar. action.* At ignorantia juris, dum quis leges communes ignorat, non excusat agentem ; quia leges scire debuit. Hinc ignorantia juris non prodest in usucapionibus, contractibus et ultimis voluntatibus (l. IV, l. IX, pr. § 3, 5, ff. *de J. et f. ignor.*; l. XVI, c. *de Testam.*). Excipe personas in quibus toleratur ignorantia juris, uti sunt milites, rustici, pueri, feminæ, quibus ignorantia juris non nocet in dispendiis, seu in amittendo suum, non tamen prodest in compendiis, seu in lucrando.

XIV. *Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere* (reg. 42 et 156, § 2, ff.). Sic hæres rem defuncto com-

modatam, vel depositam, cogitans esse hæreditariam, bona fide vendere potest, et emptor eam usucapere (§ 4, *Instit. de usucapion.*); nam de facto alieno justa est ignoratio. Valet reg. ista pro his qui conveniuntur, non pro his qui agunt; quia isti debent esse certi de jure suo (citat. reg. 42 ff.).

XV. *Odia restringi, et favores convenit ampliari*, ex l. CLV in fin., ff. h. t. : *In pœnalibus causis benignius interpretandum est.* Nomine odiorum veniunt hic pœnæ, obligationes, privilegia et dispensationes quæ contrariantur juri communi et juri tertii, uti et privilegia ambitiosa in beneficiis. Nomine *favorum* intelliguntur concessiones benevolæ, quæ nulli nocent neque præjudicant, nisi concedenti. Nonnunquam odia amplianda sunt, si lex aliter non possit sortiri suum effectum (c. 17, *de Sent. excomm.*, in 6°), et econtra favores restringendi, si incipiant esse noxii Ecclesiæ, bono communi, disciplinæ ecclesiasticæ et regulari (c. pen., *de Cler. non resid.*; c. 9, *de Decimis*, etc.).

XVI. *Decet concessum a principe beneficium esse mansurum*; nam sicut jura, ita et beneficia principum firma et perpetua esse convenit, modo sint *gratiæ factæ, non tantum faciendæ* (c. 36, *de Præb.*, in 6°), uno actu consummata, licet deinde causa cesset: secus, si pendent a causa tractum successivum habente : ut si quis dispensaretur a recitando breviario ob studia et labores : cessantibus studiis et laboribus, cessat, vel suspenditur hoc privilegium. Plura de his vide tit. *de Privil.*

XVII. *Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum*, puta ab inferiori. Sic episcopo indulgetur ut tribus mensibus per annum a sua diœcesi abesse possit (Trid. sess. 23, c. 1, *de Reform.*); parocho, ut intra annum suscipiat presbyteratum (cap. 14, *de Elect.*, in 6°); mulieri, ut mortuo viro, statim intra tempora luctus nubere possit (c. pen. et ult., *de Secund. nupt.*) Similiter conceduntur tempora dilationum, solutionum, appellationum, et alia passim in jure. At conditor juris, vel ejus successor, beneficia ista tollere, vel restringere potest.

XVIII. *Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non substitit*, ex reg. 29, ff. : *Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere*; et reg. pen. ff. : *Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex postfacto convalescere non potest.* Intellige, si res maneat in iisdem terminis in quibus fuit ab initio : secus, si illi adveniant omnia necessaria ad valorem. Solum ergo tempus ex actu invalido non facit validum; bene vero, si cætera necessaria cum tempore concurrant.

XIX. *Non est sine culpa qui rei quæ ad eum non pertinet, se immiscet*, ex reg. 36 ff. : *Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti*: ut si clericus exerceat chirurgiam vel ballistariam, et fortuito occidat aliquem; tunc enim non est sine culpa (can. 37, d. 50, cap. 19, *de Homicid.*, etc.). Non procedit ista regula, dum quis prudenter et perite aliena negotia gerenda assumit; quia hæc ad illum pertinent ex charitate et officio quod est inter hominem et hominem.

XX. *Nullus pluribus uti defensionibus* seu exceptionibus *prohibetur*,

ex reg. 43 ff. et l. VIII, *de Exc.* : *Nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diversæ sint*, nisi lex impediat.

Decas III.

XXI. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Valet hæc regula in judice electo (can. 4, § *Offeratur*, 3, q. 3), in prælato electo (can. 2, *Dilectissimi*, 8, q. 2), in matrimonio, professione religiosa, sacris ordinibus, et in pluribus aliis. Fallit in iis quæ mutationem admittunt ex causa superveniente, vel de novo innotescente (c. 4, *de Except.*; c. 4, *de Elect.*, in 6°, item si ex nova causa medicus, confessarius, parochus removendi sint a suis officiis (l. X, § 3, ff. *de Munerib.*), et in omnibus in quibus jus admittit pœnitentiam et mutationem : ut in appellationibus, testamentis, præsentationibus in patrono laico, libello judiciali, mandato, societate, deposito, sententia interlocutoria, et pluribus aliis, quæ glossa hic fuse enumerat.

XXII. *Non debet aliquis alterius odio prægravari*, ex reg. 74, ff. : *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri*; nam delicta suos tenere debent auctores. Sic propter delictum filii non excommunicatur pater, propter dolum compromissarii non puniuntur compromittentes (can. 1, *Si habes*, 24, q. 3, et c. 37, *de Elect.*, in 6°). Interdum ob atrocitatem delicti, vel aliam justam causam, alius pœna vel defectu afficitur : sicut filii ob crimen hæresis, vel læsæ majestatis a patre commissum : item in generali censura suspensionis aut interdicti, innocentes prægravantur, nati extra matrimonium illegitimitate notantur, etc.

XXIII. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Sequitur reg. ista ex priori. Quandoque subest causa cur quis sine culpa puniatur : sic maritus corruptæ fit irregularis, parochus incidens in morbum tenetur portionem aliquam dare coadjutori, dominus tenetur ex delicto servi, etc.

XXIV. *Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse*, ex reg. 167 in fin. ff. Procedit de his in quibus judex habet potestatem, secus non paretur ei citra dolum : ut si judex laicus præciperet clericum verberari, reum extrahi ab ecclesia, vasa sacra diripere, etc. (can. *Nemo*, 7, *de Pœnit.*, d. 1 et c. 17, § *Judices de elect.*, c. 5 in fin., *de Pœn.*, etc.); tunc enim magis Deo, quam judici malum imperanti parendum est.

XXV. *Mora sua cuilibet est nociva*, ex reg. 173, in fin. ff. : *Unicuique sua mora nocet : quod et in duobus reis promittendi observatur.* Morosus debitor est, qui a die vel homine interpellatus, et possibilitatem solvendi habens, non solvit, nisi jus permittat purgationem moræ, et pœnæ evitationem, sicut c. 1, dist. 18, can. 1, d. 100, et c. 6, *de Reb. Eccl.*; l. VIII, ff. *Si quis cautionib.*, etc.

XXVI. *Ea quæ fiunt a judice, si ad ejus non spectant judicium, viribus non subsistunt*, ex reg. 170, ff. : *Factum a judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est*; nam talis judex, etsi bonum sta-

tuat, si tamen excedat limites suæ potestatis, nihil agit (c. 1, d. 96): ut si laicus favorabiliter disponeret de clericis vel ecclesiis. Si tamen jura, et facta principum laicorum recepta et canonizata sunt a jure pontificio, valent.

XXVII. *Scienti et consentienti non fit injuria, neque dolus*, ex reg. 145, ff.: *Nemo videtur fraudare eos qui sciunt et consentiunt.* Procedit in rebus et juribus privatis, quibus aliquis cedere potest, non in jure publico, quod *privatorum pactis mutari non potest* (l. XXXVIII, ff. *de Pact.*). Sic clericus consentire nequit in violationem sui fori, canonis, competentiæ, etc.; maritus, in violationem tori; religiosus, pupillus, minor, in alienationem rerum suarum.

XXVIII. *Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*, ex reg. 141, ff.: *Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentia*; et reg. 162: *Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.* Sic privilegium præsentandi laicis concessum non debet trahi ad jus investiendi, seu instituendi, eligendi, judicandi de rebus spiritualibus (c. 56, *de Elect.*; c. 3, *de Judic.*). Sic etiam privilegia ecclesiis concessa non trahuntur ad res patrimoniales clericorum quoad formam alienandi, jus restitutionis in integrum, etc.

XXIX. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Et quidem si omnes tangat, ut universos, sub nomine collegii, debet capitulariter ab omnibus, hoc regulariter a majori parte approbari (c. 1, *De his quæ sunt a major.*). Si vero omnes tangat, ut singulos, requiritur singulorum consensus; cum jure suo nemo cedere teneatur (can. 1, d. 54).

XXX. *In obscuris minimum est sequendum*, ex reg. 9, ff.: *Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur*; et reg. 56, ff.: *Semper in dubiis benigniora præferenda sunt*; et reg. 168, ff.: *Rapienda occasio est, quæ præbet benignius responsum*; et reg. 192, in fin. ff.: *In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius.* Si non apparet, quid determinatum sit, neque id ex consuetudine aut circumstantiis colligatur, tunc minima obligatio, minima pœna, minima mensura, vel aliud quid minimum in *quantitatibus* determinandum est (c. 18, *de Cens.*, l. LXXV, ff. *de Leg.*, 3). At in *speciebus* seu *corporibus* mediocritas spectatur, præsertim si electio sit penes creditorem, qui v. g. ex equis non eliget optimum, nec pessimum, sed civiliter illum qui inter eos mediat: hoc ejus 19, q. 2, et c. 1, *de Off. custod.*; l. XXXVII, ff. *Delegat.* 1, l. XXXI, *de Auro arg.*

Decas IV.

XXXI. *Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet.* Sic canonici certi de morte prælati, non sunt de ea certiorandi; bene vero vocandi ad diem electionis. Item quisque præsumitur esse certus de eo quod publice notum est, cum hoc non sit necesse singulorum auribus intimare (c. 1, *de Postulat.*). Qui certus est ut homo, sæpe certiorari

debet ut judex, vel ad majorem cautelam (can. 18, *Multi*, 2, q. 1, et c. fin., d. 11).

XXXII. *Non licet actori quod reo licitum non existit*, ex reg. 41, ff.: *Non debet actori licere, quod reo non permittitur*. Sic appellatio negata reo, etiam negatur actori (c. fin. *de Mutuis petit.*). At reo plura conceduntur, quam actori, ut majores dilationes, etc.

XXXIII. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*, ex reg. 75, ff.: *Nemo potest mutare consilium in alterius injuriam*. Sic canonici voluntatem mutare nequeunt in præjudicium electi (c. 53, *de Elect.*), nec socius in re communi in præjudicium socii, venditor in præjudicium emptoris, etc. At si juri quæsito alterius non præjudicatur, licet mutare consilium, ut in postulando, præsentando ad beneficium, etc.

XXXIV. *Generi per speciem derogatur*, ex reg. 80, ff.: *In toto jure generi per speciem derogatur; et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est*. Sic rescripta specialia de hoc beneficio, de hac decima, derogant generalibus (c. 1, *de Res.*). Similis derogatio fieri potest in legibus, contractibus, legatis, substitutionibus, etc. Huic videtur adversari reg. 147, ff.: *Semper specialia generalibus insunt* (can. 19, *Non æstimemus*, 13, q. 2, l. fin. § 1, ff. *Quæ in fraude cred.*; l. XLV, ff. *de Leg.*, 3. Sed hoc procedit in ordinariis casibus. non vero extraordinariis, quæ speciali mentione opus habent : sic enim dispensatus ad ordines, vel ad dignitates, non censetur dispensatus ad ordines majores, sed minores, nec ad episcopatum, sed inferiorem dignitatem; et filiusfam. cui concessum est donare , non potest donare mortis causa (pr. *Inst. de donation.*), sæpe enim ex materia subjecta genus restringitur ad speciem certam.

XXXV. *Plus semper in se continet, quod est minus*, ex reg. 110, ff.: *In eo quod plus sit, semper et minus*. Valet in quantitatibus, quia major includit minorem : can. 41, *Si quis dederit*, 24, q. 1, ubi ex numero decem, septem, et quinque, approbatur pœnitentia quinque annorum, quia quinarius inest denario et septenario. Idem servatur in sententia arbitrorum (c. 1, *de Arbitr.*, in 6°). Fallit reg. ista in generalibus, quæ non semper continent omnes species, ut in reg. superiori dictum (c. 16, *de Præbend.*); item in qualitatibus disparatis : sic enim ex eo quod sis bonus jurista, non sequitur te esse bonum rhetorem ; item in mandatis, ubi forma diligenter observari debet, ne plus aut minus fiat.

XXXVI. *Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere*, ex reg. 131, ff. : *Qui dolo desierit possidere, pro possidente damnatur, quia pro possessione dolus est*, seu quia dolus rem ipsam repræsentat, ac si hic et nunc possideretur. Idem habetur in reg. 150, et 157, § 1, ff., atque ita jus fingit aliquem possidere, qui non possidet : v. g. Titius Caio abstulit vestem, et ne forsan cogeretur eam restituere, vendidit illam cuidam peregrino : in hoc casu Caius contra Titium agere potest actione ad exhibendum et reivindicatione, ac si Titius vestem possideret, cum dolus fit loco vestis. In effectu autem, si res ipsa restitui

nequeat, actio ista est condictio ad æstimationem, ut Titius tantum præstet, quantum vestis æstimatur.

XXXVII. *Utile non debet per inutile vitiari,* ex reg. 94, ff.: *Non solent, quæ abundant, vitiare scripturas;* quia cautela abundans non nocet. Procedit in his quæ divisionem, descriptionem et separationem admittunt. Sic etiam (cap. 19, *de Præbend.*) approbatur sententia in uno, et reprobatur in altero. Item donatio, fidejussio, promissio dotis valet quoad summam legitimam, corruit vero quoad excessum. Fallit reg. ista, si utile et inutile sint contraria, inseparabilia, et vitium in re contineant, seu substantialem errorem.

XXXVIII. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus exstitit oppugnare.* Impugnasti testamentum, non capies ex eo legatum (l. VIII, § 14, ff. *de Inoff. test.*). Excipe, nisi quis ex officio suo teneatur oppugnare ; tunc enim ut privata persona fructum capere potest ex re oppugnata.

XXXIX. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo.* Sic in quadragesima, prohibito esu carnium, prohibentur ova et lacticinia, quæ trahunt originem sementinam ex carne (can. 6, d. 4); et privatus officio, privatur etiam beneficio quod datur propter officium (can. 18, d. 81); et prohibito dominio religiosis, prohibetur quoque donatio, commutatio, venditio rerum ad usum concessarum, etc. Excipe ea quæ fieri prohibentur, sed facta tenent, effectusque ex illis sequentes sunt boni : sic enim contrahens cum altera de præsenti, licite utitur matrimonio, non obstantibus prioribus sponsalibus de futuro. Hæc reg. ampliatur ad antecedentia : « *Aliquo prohibito, omne id prohibetur per quod pervenitur ad illud* » (Glossa), quia cessante fine, cessant media ad illud. Unde cui prohibetur matrimonium, vel ordo, etiam ei prohibentur sponsalia, vel prima tonsura.

XL. *Pluralis locutio duorum numero est contenta :* puta si determinatus numerus non exprimatur. Sic dualitas sufficit, dum dicitur missam fieri coram pluribus, de pluribus martyribus, testimonium esse plurium, libertatem concedi post annos, etc. (can. *Hoc quoque,* 6, *de Consecr.*, d. 1, et can. 4, § *Ubi numerus,* 4, q. 3, l. XII, ff. *de Testib.*, l. XVII, § fin. ff. *Manumiss. vindict.*). In odiosis et ambitiosis, numerus pluralis restringendus est ad duo : v. g. si quis dispensetur ad plures præbendas vel dignitates, censetur tantum ad duas dispensatus (c. 19, v. *Si vero de præb.*, in 6°). Aliquando numero plurali venit singularis (pr. *Inst. de vi bonor. rapt.*, ibi : *Etiamsi quis unam rem, licet minimam rapuerit*); item in pronominibus *nos, vos,* etc., sicut Papa, et principes his utuntur in plurali. Econtra numero singulari venit quandoque pluralis, ut filio meo tutorem do, hoc est, omnibus filiis (l. XVI, §. 1, ff. *de Testam. tutel.*).

Decas V.

XLI. *Imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat, quod per eum faciendum erat.* Reg. procedit de imputatione ad pœnam, vel

amissionem juris proprii : ut si per te non stet, quod intra annum appellationem non prosequaris, non solvas intra terminum, quia creditor non comparet, etc. (can. 28, *Anteriorum*, 2, q. 6, et c. 35, *de Elect.* in 6°, ibi *annus autem*), quia impedito tempus non currit. Fallit reg. ista in lucris, et favoribus conditionatis, si per se pendeant ab eventu conditionis : v. g. qui hodie missam pro defuncto dixerit, aureum accipiet, etc.

XLII. *Accessorium naturam sequi congruit principalis*, ex reg. 129, § 1, ff.: *Cum principalis causa non consistit, ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent;* et reg. 178, ubi additur particula restrictiva *plerumque : Cum principalis causa non consistit, plerumque ne ea quidem quæ sequuntur, locum habent.* Sic ubi non subsistit matrimonium, nec ibi est dos (c. 3, *de Donat. int vir. et uxor.*) ; item potestas exsecutiva gratiæ *factæ* non exspirat morte concedentis, bene vero gratiæ *faciendæ*, quia in priori casu potestas est accessoria, in altero vero principalis (c. 9, *de Off. deleg.*, in 6°; c. 36, *de Præb.*, in 6°). Fallit reg. in his in quibus ob specialem rationem valet et sustinetur accessorium, licet deficiat principale : ut juramentum super usuris solvendis, vel alienando fundo dotali. Item sustinentur legata, maxime pia, etsi testamentum sit invalidum ex causa præteritionis, aut exheredationis (nov. 115, c. 3 in fin., *Auth. liberi de episc. audient.*). Vide hic gloss.

XLIII. *Qui tacet consentire videtur;* et XLIV : *Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*, ex reg. 142, ff. : *Qui tacet, non utique fatetur, sed tamen verum est eum non negare.* Ex variis conciliationibus DD. hæ magis placent : 1° Tacens consentire videtur in meris favorabilibus quæ nullum onus et gravamen tacenti afferunt : nam quisque præsumitur velle suum bonum. 2° Tacens non videtur consentire in favorabilibus quæ onus annexum habent; ut in sponsalibus, nuptiis, contractibus, electionibus, collationibus, etc. 3° Tacens in odiosis et sibi præjudiciosis regulariter non videtur consentire (l. VIII, § 1, ff. *de Procurator*, ibi : *Invitum accipere debemus non eum tantum qui contradicit, verum eum quoque qui consensisse non probatur*). 4° Tacens in odiosis, dum potest et debet contradicere, et non contradicit, habetur pro consentiente et confitente : ut si legitime jussus a judice non respondeat (c. 2, pr. *de Confess.*, in 6° ; l. I, § *Qui tacuit*, ff. *de Interrog. in jur. fac.*) ; item si parochus præsens non contradicat alteri sacerdoti volenti baptizare, assistere matrimonio : tunc enim censetur consentire ; uti et prælatus regularis in his quæ scit et videt, et non contradicit. At si tacens, qui deberet contradicere, facile non potest prohibere et cum effectu contradicere, non censetur consentire : sicut Papa, episcopi et prælati regulares multa per patientiam tolerant, ne majora mala sequantur, non tamen censentur consentire.

XLV. *Inspicimus in obscuris quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*, ex reg. 114, ff. : *In obscuris inspici solet quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet.* Hæc reg. supplet supe-

riorem reg. 30: *In obscuris minimum est sequendum ;* et plerumque procedit de factis, prout communiter fieri solent. Sic votum, matrimonium, sponsalia, delicta præsumuntur animo deliberato facta fuisse, et filius in dubio non censetur ingratus fuisse, etc. (can. 3, *Si quis*, 33, d. 1, c. 5, *de Fide instr. auth. non liceat;* c. *de Inoff. tes.*).

XLVI. *Is qui in jus succedit alterius, eo jure quo ille, uti debet,* ex reg. 177, ff. : *Qui in jus, dominiumve alterius succedit, jure ejus uti debet ;* et reg. 175, in fin. : *Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, a quo jus in me transit.* Regula ista innuit quod jura activa et passiva ratione rei, contractus, maleficii, voti realis, transeant in successorem universalem, et quod potuit vel debuit antecessor, idem possit, et debeat successor, seu hæres (reg. 59, ff.). At successor singularis succedit plerumque in sola jura realia rei cohærentia, non vero personalia, nisi id aliunde colligatur : sic enim venditor actione personali obligatur primo emptori, cui rem non tradidit; non tamen secundus emptor, cui res tradita fuit, ita obligatur. Pœnæ corporales ex maleficio non transeunt in hæredem; damna vero a defuncto causata reparari debent, præsertim de jure can. (c. fin., *de Sepult.*).

XLVII. *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur,* Regula procedit circa facta contingentia quæ quis scire non tenetur : ut si percutias clericum non vestitum habitu clericali (c. 4, *de Sent. excom.*). At contra circa jura et leges, circa notoria et publica, et circa ea quæ quis scire et indagare tenetur, præsumitur scientia, ubi ignorantia non probatur (can. fin., d. 16; can. 108, *Si qui a simoniacis*, 1, q. 1, et c. 1, *de Postulat.*, etc.).

XLVIII. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura,* ex reg. 206, ff.: *Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento et injuria fieri locupletiorem.* Sic pupillus et minor tenentur ex contractu, si locupletiores facti sint (l. I, ff. *de Auctor. tut.*); indebitum solutum condicitur (tit. ff. *de Condict. indeb.*). Excipe, nisi jus ex justis causis concedat locupletationem, sicut in usucapionibus.

XLIX. *In pœnis benignior interpretatio facienda est,* ex reg. 156, § 2, ff. Sic doctor privatus collegio sine determinatione temporis, non censetur perpetuo privatus (c. 11, *de Constit.*).

L. *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem,* ex reg. 77, ff. : *Actus legitimi qui recipiunt diem vel conditionem, velut mancipatio, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem.* Regula ista, omissis variis interpretationibus, procedit de illis actibus quibus ex natura rei, vel ex dispositione juris adversatur conditio aut dies, uti sunt emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, seu electio, in qua legatarius variare non potest, datio tutoris, scilicét per judicem facienda (cit. regul. 77), quibus tamen actibus tacita conditio non obest, v. g. ut filius sit emancipatus, donec ei placuerit in potestatem redire, etc. In jure can. sunt sacramenta, baptismus, etc., excepto matrimonio, quod conditionem recipit, modo non sit adversa substantiæ matrimonii (c. fin., *de Condition. appos.*); item sacramentalia

ut consecratio ecclesiæ, calicum, etc. Præterea electio, postulatio, collatio beneficii, et alii actus quos Ecclesia vult esse puros et absolutos.

Decas VI.

LI. *Semel Deo dicatum, non est ad usus hominum ulterius transferendum.* Sic religiosus, servus Ecclesiæ donatus, calices et alia sacra non sunt ad usus profanos retrahenda, nisi necessitas et pietas aliud suadeat, v. g. ut calices confracti vendantur pro redemptione captivorum, victu pauperum (can. 70, *Aurum*, 12, q. 2). Sed hac regula non continentur possessiones Ecclesiæ, quæ ad emptores laicos transire possunt.

LII. *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum :* nam paria sunt non fieri, et fieri sine effectu. Sic matrimonium prius invalidum non obest secundo, etc. Fallit reg. in his in quibus de jure sufficit sola attentatio, opere secuto : sic sacerdos suspensus invalide absolvens fit irregularis, matrimonium contrahens excommunicatur (Clem. un. *de Consang.*).

LIII. *Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus*, ex reg. 21, ff.: *Non debet, cui plus licet, quod minus est non licere.* Regula ista procedit in juribus et potestatibus subordinatis, quarum superior per se continet inferiorem, non vero in juribus et potestatibus disparatis. Sic sacerdos conficere potest Eucharistiam, quod est plus, non tamen ordinare clericos, aut ecclesias consecrare, quod est minus.

LIV. *Qui prior est tempore, potior est jure*, ex reg. 78 ff. : *Quoties utriusque causa lucri ratio vertitur, is præferendus est cujus in lucrum causa tempore præcedit.* Valet in pignoribus et aliis contractibus, in data rescriptorum, etc. Fallit, si superveniat fortior privilegiatus, ut providendus auctoritate apostolica in canonicatu.

LV. *Qui sentit onus, sentire debet commodum, et econtra*, ex reg. 10, ff. : *Secundum naturam est commoda cujusque rei eum sequi quem sequuntur incommoda.* Excipe, nisi quis privilegio eximatur ab onere.

LVI. *In re communi potior est conditio prohibentis.* Valet in re communi pluribus ut singulis : v. g. decem habent agrum communem, in quo novem volunt constituere servitutem Titio, decimus reclamat contra, cujus conditio utpote prohibentis, est potior ; at si nullum sit præjudicium prohibentis, non curatur ejus prohibitio.

LVII. *Contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda*, ex reg. 172, ff. : *In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est.* Nomine *legis* venit hic *lex privata*, seu conventio contrahentium, quæ in præjudicium proferentis intelligi solet. Sic c. 8, *de Probat.*, dictum obscurum de minore ætate, sine expressione 25 annorum, retunditur contra proferentem, quia ingressus monasterium non erat minor 14 annis. Plura exempla vide hic in glossa, quæ dicit reg. istam non procedere de legibus, quia in eis nihil est obscurum, vel ambiguum (can. 2, dist. 4) ; si quid ta-

men in legibus vel privilegiis obscurum est, id legislator interpretatur.

LVIII. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum :* ut si jures patrem occidere, furari, etc. (c. 24, q. 3, *Per tot.*); nam juramentum non potest ad illicitum obligare, ne ut vinculum iniquitatis : ut si juretur de dolo futuro remittendo, quod invitat ad malum (reg. 23, v. *Excepto,* ff.). Si mores sint mali tantum civiliter, v. g. ne dos alienetur, ne filia renunctiet hæreditati, juramentum super alienatione vel renuntiatione tali valet (c. 28, *de Jurej.;* c. 2, *de Pact.*).

LIX. *Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eumdem,* ex reg. 173, § 4, ff. : *Dolo facit, qui petit quod redditurus est ;* dummodo restitutio sit certa, et facienda eidem. Sic usurarius dolo petit usuras, et hæres dolo petit rem; quia ille usuras, iste rem ex persona defuncti statim restituere debet. At maritus petere potest dotem quam mox uxori, vel liberis, soluto matrimonio, restituit, etc.

LX. *Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri,* ex reg., 88, ff. : *Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla est petitio,* saltem in effectu ; et reg. 212 : *Nihil interest ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.* Sic munitus exceptione moratoria, si non solvat præfixo termino, non est in mora.

Decas VII.

LXI. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum* (l. VI, c. *de LL.*). Sic minor sine auctoritate tutoris non potest contrahere, vel agere : si tamen pro favore suo est contractus, vel sententia, privilegium ei obesse non debet (l. XIV, c. *de Procurator.*). Idem dic in alienationibus rerum Ecclesiæ. Excipe, nisi princeps ad instantiam petentis aliquid concedat, ut sententiam ferre, *remota appellatione;* tunc enim, spectata æquitate, in dispendium petentis retorqueri potest.

LXII. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur,* ex reg. 47, ff. : *Consilii non fraudulenti nulla obligatio est : cæterum si dolus et calliditas intercessit, de dolo actio competit;* nemo enim tenetur consilium alterius sequi. At mandans, tanquam causa moralis, tenetur actione mandati.

LXIII. *Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri,* nisi alias de puncto aliquo confessus fuisset. Unde qui excipit dicendo : *Jam solvi,* non confitetur se mutuam pecuniam accepisse ; quia solutio potuit esse de facto, et per errorem ; sed sensus est : *Si actor probaverit me mutuum accepisse, ego probabo exceptionem meam, quod solverim.*

LXIV. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi,* ex l. V, *Non dubium* (c. *de LL.*). Hæc reg. sane est intelligenda : 1° Quæ fiunt contra jus irritans expresse, ipso jure sunt nulla. 2° Quæ fiunt contra jus prohibens, quod tacite et virtualiter est irritans, puta dum actui præ-

scribit formam substantialem, sunt pariter ipso jure nulla; quia actus sine forma non subsistit. 3° Quæ fiunt contra jus pure prohibens, ipso jure valent; et regulariter sunt nulla tantum quoad effectum, quia non sunt firma, sed rescindi, aut exceptione elidi possunt : ita explicatur hæc reg. et cit. l. V. Dixi *regulariter*, qnia illa quæ ex natura sua sunt insolubilia, ut matrimonium, professio religiosa, si illicite fiant, sunt perpetuo firma, estque locus reg. ex c. 16, *de Reg.* : *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem.*

LXV. *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis*, ex reg. 128, ff. : *In pari causa possessor potior haberi debet ;* et reg. 126, § 2 : *Cum de lucro duorum quæritur, melior est causa possidentis.* Hoc est speciale privilegium possessionis. In delicto : Titius dedit judici pecuniam, ut pro se injustam sententiam ferret, vel virgini, ut secum fornicaretur; pecuniam non repetit, quia possidentis est conditio melior (l. XXX, ff. *de Condict. ob turp.*). Hoc in foro externo; at in foro interno, si juxta pretium Titii nec sententia pro illo, nec fornicatio virginis secuta est, attento jure naturali, restitutio facienda esset, nisi virgo dilapidasset pecuniam; quia tunc voluntate Titii et consumptione facit suam, neque cum damno suo restituere tenetur, multo minus fornicari. In causa, minor minori dedit pecuniam mutuam, et is eam dilapidavit; in hoc casu potior est conditio consumentis, utpote possidentis, ut restituere non teneatur (l. XI, *de Minor.*). Excipe, nisi jus resistat possidenti, et assistat petitori : ut si religiosi possideant decimas parochiæ; tunc enim possessor probare tenetur titulum proprietatis (c. 1, *de Præscript.* in 6°. fin. *de Restit. spoliat.*, in 6°).

LXVI. *Cum non stat per eum ad quem pertinet quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset*, ex reg. 161, ff.; nam ex parte illius fingitur conditio impleta. Vide reg. 41 in 6°.

LXVII. *Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.* Reg. ista procedit in maleficiis : quia sicut non licet, ut nomine tuo, seu in tuum commodum usuras exerceas, fureris, litteras apostolicas falses; ita neque licet delicta ista et similia facere nomine alieno, seu in alterius commodum. At in delegationibus honestis secus accidit : quia licet nomine tuo nequeas, tamen ex delegatione judicare poteris nomine Papæ, episcopi, etc., nisi incapacitas esset in delegato : ut si tibi non sacerdoti committeretur absolutio a peccatis, etc.

LXVIII. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.* Reg. ista procedit de actionibus quæ ex natura delegari et mandari possunt : ut judicare per alium, matrimonium contrahere; non vero de actionibus personaliter exercendis : sic enim non potes per alium jejunare, pœnitentiam agere, missam audire, etc. Econtra interdum *potest quis per alium, quod non potest per se ipsum;* quia id non decet, vel ratione personæ, vel ratione rei seu causæ : sic episcopus, non per se, sed per alium, potest clericos verberare (c. fin. 5, q. 3), judicium sanguinis exercere (c. fin., *Ne clerici vel monach.*, in 6°).

LXIX. *In malis promissis fidem non expedit observari;* nam sicut pro-

mittere, ita exsequi mala, peccatum est. At male bona promissa, per se loquendo servari possunt; ut si mendaciter et dolose promisisti nuptias, etc.

LXX. *In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri*, ex reg. 110, § 3, ff.: *Ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum*. In quibusdam exemplaribus legitur : *Electoris est electio*, sed legendum est *debitoris* (Glossa) : v. g. promisi tibi stichum vel equum, ego debitor eligam, et dando unum ex his duobus, implebo meam promissionem. Interdum ex mente disponentis servandus est ordo in alternativis : v. g. centum floreni pro missis dentur ecclesiæ parochiali ; vel, si hæc renuat accipere, dentur monasterio. Item quandoque creditoris est electio, dum verba ad eum diriguntur : v. g. Titius unum ex meis equis sibi accipiat, etc.

Decas VIII.

LXXI. *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus*, ex reg. 156, § 1, ff.: *Cui damus actiones, eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit ;* nam minus est exceptio, quam actio. Sic cui conceditur actio *quod metus causa*, multo magis exceptio metus ei concedenda est. Excipe, nisi exceptio in diversum quid tendat (c. 11, *de Excess. prælat.*).

LXXII. *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum*, ex reg. 180, ff. : *Quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset ;* et reg. 169 : *Is damnum dat, qui jubet dare*. Vide reg. 68.

LXXIII. *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat a quo non potuit inchoari*, ex reg. 85, § 1, ff. et l. CXL, § fin., ff. *de V. O.* Valet in actibus perfectis et jam consummatis, ut in matrimonio, episcopatu, monachatu, quibus superveniens impedimentum non nocet. Fallit in actibus causam successivam habentibus : ut si ex causa debilitatis die veneris dispensetis ad carnes, cessante causa debilitatis, cessat vel suspenditur ista obligatio.

LXXIV. *Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet aliis in exemplum*. Vide supra reg. 15.

LXXV. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat ;* nam frangenti fidem fides frangenda est ; et frustra auxilium legis invocat, qui committit in legem (cap. 14, *de Usur.*).

LXXVI. *Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare :* puta si prælatus delinquat ut privata persona ; secus, si delinquat cum capitulo, vel si ipsi subditi graviter delinquant : tunc enim in pœnam delicti, potest Ecclesia privari dignitate (can. 25, *Ita nos*, 25, q. 2). Item in judiciis, maxime omittendo, prælatus nocet Ecclesiæ (can. 25, *Placuit*, 16, q. 3 et toto tit. *de Præscription.*).

LXXVII. *Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore ;* modo onus sit reale honori annexum : sic enim successor in

jure patronatus tenetur ecclesiam defendere, sicut suus antecessor (can. 31, *Filiis*, 16, q. 7) et succedens in prælatura tenetur solvere debita ratione prælaturæ contracta (cap. 1, *de Solut.*). Secus, si onera erant personalia honori non annexa.

LXXVIII. *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.* Vide reg. 28 et 27, in Pandectis reg. 162 : *Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.*

LXXIX. *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*, ex reg. 120, ff. : *Nemo plus commodi hæredi suo relinquit, quam ipse habuit*, ex reg. 160, § 2 ; nam nemo dat quod non habet (c. 5 in fin., *de Jure patr.*). Valet reg. ista quoad ea jura quæ rem tangunt, non quoad alia aliunde pendentia.

LXXX. *In toto partem non est dubium contineri*, ex reg. 113, ff. : *In toto et pars continetur.* Sic cui adjudicata est tota domus, deinde actor partem illius petere non potest (l. VII, *Per tot.*, ff. *de Exception. rei judicat.*, ubi plura exempla invenies tum in corporibus, tum in quantitatibus).

LXXXI. *In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Hæc regula indicat sub genere commisso nunquam venire illas species quæ speciali expressione sunt dignæ. Sic sub potestate generali commissa vicario non venit potestas donandi, aut criminalia exercendi (c. 2 et fin., *de Offic. vicar.*, in 6°), sub potestate absolvendi non venit potestas absolvendi a reservatis (c. 2, *de Pœnit.*, in 6°), sub generali potestate legati non venit potestas circa causas fidei (can. 52, *Frater.*, 16, q. 1, etc.).

LXXXII. *Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere*, ex reg. 199, ff. : *Non potest dolo carere, qui imperio magistratus seu legi non paruit.* Sic monasterium vel parochus percipiens decimas in aliena parochia, præsumitur id agere mala fide, quia contra jura mercatur. Idem dic de illo qui investituram recipit ex manu laici, qui dat temporale pro spirituali (can. 14, *Si quis*, 16, q. 7); nam talis, vel scit similia a jure prohiberi, vel non scit : si scit, agendo contra jura, mala fide agit; si non scit, ignorantia juris parit in eo malam fidem juridicam seu civilem.

LXXXIII. *Bona fides non patitur ut semel exactum iterum exigatur*, ex reg. 57, ff. : *Bona fides non patitur ut bis idem exigatur.* Regula ista procedit maxime in concursu plurium actionum; nam si per unam tuum consecutus est, non debes per alteram idem petere : ut si Titius tibi solvit loco Caii, istum molestare non debes.

LXXXIV. *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.* Regula ista procedit in iis quæ alicui simpliciter et in se prohibentur, et conseq. omnes viæ ad illud : v. g. prælato prohibetur alienatio et donatio sine solemnitatibus canonicis, ergo et pignoratio, compromissum et alii modi quibus pervenitur ad alienationem. At si res ipsa non prohibeatur, sed tantum certus modus, poterit quis alio modo seu alia via ad illam pervenire. Sic episcopus, non via

electionis, sed postulationis venire potest ad aliam ecclesiam; et irregularis, via dispensationis, ad ordines et beneficia, etc.

LXXXV. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, ex reg. 23, ff., ibi : *Hoc servabitur, quod initio convenit; legem enim contractus dedit.* Nomine *legis* venit hic *lex privata*, seu pactum contractui appositum; quod quidem est præter leges communes, non tamen contra bonos mores : v. g. in deposito juxta jus comm. præstanda est culpa lata : si convenit ut præstaretur etiam culpa levis aut levissima, servandum est, quia contractus hanc legem dedit. Sic a contrahentibus lex imponi potest ut præstetur casus fortuitus, ut venditor in se suscipiat periculum rei venditæ, aut emptor periculum evictionis, etc.

LXXXVI. *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare*, ex reg. 203, ff. : *Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.* Sic clericus sibi imputet quod negligat beneficium vacans petere (cap. 2, *de Præbend.*, in 6°). Similiter puella sponte consentiens in sui deflorationem, procurator negligenter agens in judicio, vel tutor in administratione rerum pupillarium, licet damnum incurrant, tamen non intelliguntur damnum sentire.

LXXXVII. *Infamibus portæ non pateant dignitatum*, ex l. II, c. *de Dignitat.*, in 12° : *Neque famosis et notatis, et quos scelus aut vitæ turpitudo inquinat, et quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt.* Et quidem *infamia juris*, quæ a jure, vel per sententiam judicis ob crimen famosum introducta est, perpetuo removet a dignitatibus, ut ab officio judicis, advocati, prælati, etc., nisi a principe tollatur; at *infamia facti*, quæ ex vita inhonesta oritur, est temporalis, donec mores corrigantur in melius.

LXXXVIII. *Certum est quod is committat in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*, hoc est, qui legem secundum litteram observat, sed contra voluntatem legislatoris. Sic usurarius, non in pecunia, sed in mercibus, vestibus aut obsequiis usuras percipiens, agit contra mentem legis (can. 3, *Plerique*, 14, q. 3). Sic etiam episcopus et parochus, quibus præcipitur residentia, contra mentem sacrorum canonum agerent, si corporaliter domi residerent et officium suum non administrarent.

EXPLICIT TOMUS TERTIUS.

INDEX

LIBER QUARTUS DECRETALIUM

DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

PARS PRIMA.

DE CONTRACTU SPONSALIUM ET MATRIMONII

PARS SECUNDA.

IMPEDIMENTA QUÆ CONSENSUI OFFICIUNT.

PARS TERTIA.

DE IMPEDIMENTIS QUÆ IPSAS CONTRAHENTIUM PERSONAS EARUMQUE QUALITATEM CONCERNUNT.

PARS QUARTA.

DE MATRIMONII LEGITIMI EFFECTU ET DISSOLUTIONE.

TRACTATUS DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

RECENTIORA

SEDIS APOSTOLICÆ DOCUMENTA

CIRCA MATRIMONIUM

LIBER QUINTUS DECRETALIUM

DE CRIMINIBUS

PARS PRIMA.

DE CRIMINIBUS OPPOSITIS CULTUI DIVINO ET VERÆ RELIGIONI.

PARS SECUNDA.

DE CRIMINIBUS CONTRA PROXIMUM SEU ADVERSANTIBUS CHARITATI ET JUSTITIÆ ERGA PROXIMUM.

PARS TERTIA.

DE DELICTIS PROPRIIS CLERICORUM.

PARS QUARTA.

DE PŒNIS DELICTORUM.

PARS QUINTA.

EPILOGUS TOTIUS JURIS CANONICI.



RECENTIORA SEDIS APOSTOLICÆ

DECRETA AC DECLARATIONES

Circa nonnullas quæstiones de quibus actum est

IN LIBRO QUINTO DECRETALIUM

FINIS INDICIS.

Ex. J. M.
10/16/20

Vesontione. — Ex typis Outhenin-Chalandre filiorum et soc.







